

PARTVS MEDICVS

multo labore à LEONE in lucem editus

seu

TRACTATVS NOVISSIMVS

de

VARIOLIS

ET

MORBILLIS

Ex Veterum & Recentiorum, quotquot in Bibliothecis celebrioribus, variarum Provinciarum extant Voluminibus, fideliter, enucleate ac compendiose excerptus, multisque partim alienis, partim propriis Rationibus, Experimentis & Consiliis, Remediis item Domesticis & Pharmaceuticis condecoratus

Discentibus, Docentibus, Practicantibus, proficuus, familiaris, necessarius.

Cui accessit



APODIXIS MEDICA




Di Gennaro de Gjannelli

MORBIS INFANTUM



Authore

JOANNE FRANCISCO LÖW
ab Erlsfeld, Phil. J. V. & Medicinæ Doctore; Sac. Cæsareæ Regiæque Majest. Consiliario in Alma & antiquissima Vniversitate Carolo Ferdinandea Pragensi, ejusdemque Medicinæ Praxeos Professore Regio Publico & Ordinario, Facultatis Medicæ Seniore, Sac. Lateranensis Palatij Aulæq; Cæsareæ Comite ac Medico, nec non præfatæ Vniversit. p. t. Rectore Magnifico.




NORIMBERGÆ,

Sumpt. JOHANNIS ZIEGERI & GEORGII LEHMANNI,

Anno M. DC. XCIX.





AD LECTOREM

Amice & Benevole Lector!

EN! Partum meum Medicum, *hilari quidem animo conceptum, & feliciter in sinu Praxeos gestatum; sed tandem* multo labore *in Cathedra Professoria* editum. *Nomen sortitus est de* Variolis & Morbillis, *ut tanto aptius verificetur illud:*

Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

Hi enim affectus, cùm tàm ab origine (Veteribus ignoti crediti) quàm ab effectu (cùm Neo-natos plerumque impetant) cognitu curatuque difficiles & laboriosi sint; proinde nemo miretur, quod Tractatum hunc de Variolis & Morbillis, *Partum multo labore editum, insignire voluerim. Re enim vera multum laborem mihi peperit, quòd, cùm fundatissimæ olim antiquitatis, tùm etiam incomparabilis ingeniorum hujus sæculi sagacitatis argumenta, asserere, adstruere atque conciliare, omni nisu allaboraverim: id quod eò confidentius præstiti, quò certius scio, me in omnibus illius fundamenta nunquam deseruisse, hujus autem eruditionem ambabus semper manibus amplexum fuisse. Ne tamen inde arguar, me præter*

morum honeſtatem, utriuſque Sectæ ſententias in ambobus ferre humeris, & mox unius placita adſtruere, mox eadem non ſine turpitudinis labe deſtruere; id quod inſcitiæ & confuſioni potius portam aperit, quàm proficuæ reſerat januam eruditionis, ideò nullam unquam unius ab altera ſeparationem agnoſco, quin potiùs tantam utriuſque molior combinationem, ut Vetera Novis, & Nova Veteribus ſibi ſimillima; imo eadem inter ſe, pauca verborum diſcrepantiâ excepta, cuique obvio videri queant. Ex qua unitate, eam Benevole & Amice Lector! *reapſe capies utilitatem, quam Titulus hujus Opuſculi, paucâ quidem verborum ſerie, ſed copioſa rerum contentarum ſuppellectili promittit. Ubi, ſi quædam minus ornate prolata, aut ſimpliciori ſtylo exarata Tibi videbuntur, ſcias, me hac vice non Oratorem, ſed Medicum egiſſe, adeòque ad res magis quàm ad verba, vel ad nucleum magis quàm corticem, hoc eſt, ad utile magis quàm jucundum reſpexiſſe; ſpe, gratiorem fore hunc Tractatum, ſi, quod ſpondeo, multijugem potius Experientiam cum Ratione conjunctam ſapiat, quàm ſi inanibus ſaltem & ſeſquipedalibus Verbis turgeret. Vale.*



Aggra-

Aggratulatio,

De nuper edito fœcundo LEONIS partu.

NObilis indicium ſobolis ſi vita parentum eſt,
Si decus in ſobolem fama paterna refert;
Ut ſua caligine ſat pandit gloria natæ
Palladis, in terras dum Jove parta venit.
Alcidesque tuum cum ducis germen olympo,
Magnus ſi quamvis hinc habeâre plagâ:
Sique decus reliquæ primum hinc ſuper æthere turmæ
Vobis, quòd genitas ætheris aula ferat:
Nec minùs in terris (ſic arbor germina prodit)
Gloria ſi primò ſæpe paterna ſat eſt:
Summa profectò novo hoc ſi non veſtigia partu
Edita Czechiadis dixero, iniquus ero.
Magnanimos equidem, vili quis prole *Leones*
Natos eſſe putet? non ſinit iſta *Leo*.
Fortior infirmos neſcit genuiſſe lacertos,
Magnos magna decent, parva dediſſe latet.
Abſit ut exiguam celſæ generâſſe columbam
Obijcias aquilæ! celſior alta parit.
Altior exiguis ut ſe *Leo* viribus æquet,
Abſit! nil iſthic debile poſſe poteſt.
Id ſatìs una meæ retegat virtutis egeſtas
Id ſat debilitas roboris ima probet.
Cui *Leo* nî ſummâ columen virtute tuliſſes
Proſpera fortunæ merſa carina foret.
Poſtquam, quidquid opis, tua quidquid dextra vigoris
Attulit in cunctis non niſi ſumma fuit.
Sed quid plura meo rudis auſim prodere verbo
Maxima dum ſatiùs publica fama canit.
Malo perinde meas tacitus ſorbere loquelas
Nè dum plus cupio dicere, plus ſileam.

Unum Musa tamen liceat retulisse petenti!
Unum quod cupiunt dicere vota fave!
VIVe preCor sanVs Leo partV hoC CresCe beatVs
HoC VoVeo VItas MILLe renatVs agas.
Hinc mihi præ reliquis quâ leniar una voluptas;
Cùm, donec vivum novero, vivus ero.

De eodem Medico LEONIS partu
Lusio Epigrammatica.

Eia novâ felix *Leo* Czechice prole triumpha!
Noscitur hic equidem partus: *ab ungue patet.*

Alia.

Nôsse cupis Medicum, quid sit? sociato *Leoni.*
Est *Leo*, qui vigil est, sit *Leo*, qui Medicus.

Alia.

Maturus quàm sit partus dum fortè requiris?
Respice, ubi (*) *Leo* Rex, sidera, scire potes.

Alia.

Fæcundus quàm sit, dubius nè quærito; summum
Nonne (**) *Leo* gravidus frugibus esse solet.

Alia.

Unde, petis celebrem simul hic deduxerit ortum?
Aspice sidereo qui sit in orbe *Leo.*

Alia.

Nescio quid Medica velit hunc exesse cohorte
Cum rutilante, magis (***) Phæbe, *Leone* faves.

Alia.

Optima sed tali de prole quis omnia nescit?
Dum simul hunc terræ, dum simul astra fauent.
Dant terræ Medicum, vigilem dant astra *Leonem*,
Hinc oculo, ut medicâ sublevet inde manu.

Ode

(*) *Leo signum cæleste, frugibus maturitatem dante Mense Julio regnat.* (**) *idem signum cæleste.* (***) *Phæbus seu Sol à Poëtis Medicinæ repertor creditur.*

Ode.

Jo! ſecundis pergito curſibus!
Jo! ſerenis pectora plauſibus!
Fæcunda tanto Czechia ortu
Anxia cedere neû moreris!
Hic eſt, renatam, partus hic ipſus eſt,
Orbi voventem maxima, qui novo
Splendore fœcundat Parentem.
Hoc opus, hic labor, & honoris.
Hæc fortis, hæc eſt pectoris indoles,
Hæc vera celſi (gignere quam ſolet,
Nam neſcit imbellem) hæc *Leonis*
Undique magnanimi propago.
Cujus vigentem, nec minùs Herculis
Jam plus lacertis vividum, & inſcium
Cædis valorem noſſe ſi quis
Zoilus in dubio relictus
Quærit? vel ex hinc ſat bene colligat,
Poſtquam ſub ictu fatidicæ neque
Clothus ferè ſpe deſtituto
Inſcius & rudis eſt mederi.
Hac verò ut una Prole refloridus
Plureis dierum, lætus agas, *Leo*
Soſpes, recurſus: id benigna
Temperies, Superûm favebit.

Prænobili, Generoſo, Clariſs. ac Excellentiſs. Dn. Authori

In debitæ obſervantiæ argumentum

ita accinit.

Leonardus Ferdinandus Meiſner,
Phil. & Med. Doctor, Collegiatus
Pragenſis.

FILIaLIs

FILIaLIs aMorIs tessera, eLegIâ In eDItas pagInas parentIs eXposIta, & obseqVenter faVorI atqVe tVtVI paterno reposIta.


Elegia

EXpers Principij durans sine temporis Orbe
Immensum & simplex Ens sine fine DEVS
Pro bonitate sua condit genus omne animantûm
Quæ ut proprius moveat spiritus, intus agit.
Sed mirum: in tantis ac tot animantibus *Una*
Est genitrix, Mater terra, tamenque suos
Cuncta tenent mores, *diversas* proprietates
Quadrupedum quodvis semper habere cupit
Hi æternis certant odiis, hi rursus amore
Ardent, Rex Vincit, victus amat fugere.
Parcere subjectis & debellare superbos
Magnificus Leo Rex sic generosè solet.
Est *Pater* ille bonus *parvis*, Vastissima vincit
Corpora, fronte minax igneus ore ferox;
Hic *Leo* qui *Magnis terror*, *fulmenque*, tenellis
Parvis sublime & grande *levamen* erit
Quòd primo *Infantum mala* pellat nemo stupescat
Est *Pater*, â *parvis* cœpit amor *patrius*.
RespICe benIgno tVtV tIbI DanDIs aMores
QVêIs pLVs VIX natVs ferre patrI poterIt.

Ità accinit Devotissimus & Obsequiosissimus Filius

Joannes Josephus Löw, Eques ab Erlsfeldt
Metaphysices & Ethices Auditor.

ELEN-



ELENCHUS AUTHORUM,

qui in hoc Opere continentur.

A.

AGricola
Alexander
Ammannus.
Anthor
Auenzoar
Auicenna
Augenus

B.

Ballonius
Baricius
Bartholinus
Bauderonus
Bauhinus
Becherus
Bertinus
Binnigerus
Blokvvic
Bonettus
Borelllus
Bırnet,

C.

Caldera
Campeli
Cardanus
Caulis
Cekkius
Celſus
Claudius
Cluvius
Colerus
Corbelius
Crato
Cremſius.

D.

Diemerbroeck
Digbæus
Diomedes
Dolæus
Donatus.

E.

Ephemerides Annus 1. 3.
8. 1672.
1. 1680.
Ettmüllerus

)( )(Faber.

F.

Faber
Fabricius
Faventinus
Fehr
Fernelius
Ferrerius
Fiſcherus
Florentinus
Fonſeca
Fontanonus
Foreſtus
Fortis
Fracaſtorius
Franchimont
Froman
Fuchſius.

G.

Gabelhover
Galenus.
Garcialopius
Geſnerus
Gieſvveinius
Gobelius
Grülingius
Guainerius.

H.

Helmontius
Heurnius
Hildanus
Hippocrates
Hirnheim
Hœfferus
Hoffmannus
Hollerius
Horſtius.

I.

Ioëlis
Ionſtonius
Ioubertus
Iüncken.

K.

Kerkringius
Kircherus.

L.

Langius
Lemnius
Liddelius
Lipſius

Schneiderus
Schönfelder
Schröderus
Sebizius.
Sennertus
Septalius
Silvaticus
Sorbait.
Stoyhius
Strobelberger
Sydenham.
Sylvius.

T.

Thiermayer
Tilingius
Timæus
Trincavellius.

V.


Valeriola
Valescus de Taranta
Vega
Velschius
Verzastra
Victorius
Vidius.

W.


Wallæus
Waltherus
Willis.

Z.

Zachias
Zacutus
Zechius
Zvvelfferus.




  



PROŒMIUM.

De

Variolis & Morbillis.



Ebri pestilenti & malignæ adeò affines sunt Variolæ & Morbilli, inquit Riverius, ut plerique Veteres putârint se non ineptè fecisse, ea sub uno capite tractare: Neoterici autem, inter quos est Willisius, Dolæus, aliique quàm plurimi, Veteres secuti, earum tractationem mox post malignarum & pestilentium febrium deductionem, proponunt; hinc factum est, quòd Rhases, qui inter Arabes de his omnium optimè scripsit, eas Pestem vocaverit, quòd sit morbus epidemius contagiosus, & valde periculosus, etenim Pestem sæpè præcedunt, vel eandem sequuntur. Verùm relicto Rhasis nomine Arabico, ejusdemque mihi ignota significatione, si Græcorum Latinorumque normam sequamur, deprehendo illos quoq; Variolarum & Morbillorum tractationem, titulo de Peste inscripsisse: ast malè meo judicio; sunt quidem, fateor, morbus subinde malignus & contagiosus, sed propriè tamen Pestis non sunt, sæpe enim sporadicæ sunt, & communiter

Introductio.

Cujus moris morbus sint Variolæ & Morbilli.

communiter

muniter quocunque anni tempore quidam Pueri iis afficiuntur, & liberantur, hoc eſt, majori ex parte ſalubres ſunt, quod Peſti non convenit, ea enim maxima ex parte deleteria eſt.

Quæ Variolæ dicendæ ſalubres.

Dixi *ſalubres*, id eſt, Variolæ ut ſic, non autem illæ malignæ & peſtilenciales, quæ unâ cum Peſte ingruunt, & revera vel Peſtis ſunt, vel ejus materiam & ferociam induunt, ſimpliciter tamen peſtilentes non ſunt. Quòd autem Rhaſes eas Peſtem vocâverit, & Græci & Latini eum ſecuti, ſub titulo Peſtis eas comprehenderint, eorum ſolitæ brevitati eſt adſcribendum, aut certè dicendum, ideò factum eſſe, quod Variolæ & Morbilli, â vitio aëris tanquam cauſâ communi & Peſti æquè analogâ inceperint, quæ poſtmodum ex quodam veluti naturæ præſcripto morbus quaſi hæreditarius factæ, maximam hominum (non tamen brutorum) partem afficiunt, & nullos aut pauciores eſſe (hoc eſt inter mille millia vix unum, niſi præcox mors illum tollat) qui hiſce, ſive in utero (ut multorum teſtantur Authorum exempla, præ cæteris Foreſti *Lib.* 5. *Obſ.* 44. *pag.* 196. Bartholini *Obſ. Centur.* 4. *hiſtor.* 50. Mœllenbrocii *in Ephemeridibus German. Anno* 1670. *Obſervat.* 53. *fol.* 150. Schenkii *Lib.* 6. *Obſervationum, titul. de Variolis & Morbillis.* Fabricii Hildani *Centuria* 4. *Obſervat.* 55. Rhodii *Obſervat.* 83. Nicolai Florentini *Tractat.* 2. *ſumma* 4. *Diſtinct.* 6. *Cap.* 13. Augenii *Lib.* 9. *de febrib. Cap.* 7.) hinc dicit Dolæus ſæpius quàm naſcimur morimur, id eſt in ipſo utero, ſive extra uterum exiſtentes, non afficiantur, adeò ut Avenzoar ſcripſerit, miraculi inſtar eſſe, ſi mortalium quis labe hac non corripiatur, hoc ſi quis neget, pœnâ ſenſus dignus eſto: quin imò qui ab hiſce liberi exſtitêre, eos leproſos facillimè evadere, compertum eſt, ideò autem plerique iis afficiuntur, quia, uti diximus, morbi hæreditarii ſunt, id eſt, quia illorum parentes laboraverunt; cujus tamen contrarium

Quare Græci eas appellaverint Peſtem.

Quare maxima hominum

rium tenet Franciscus De Le Boë Sylvius, *Prax. Med. appendice, tract.1.§.2.fol. 67.* ubi inquit. *creduntur Variolæ & Morbilli esse inevitabile hominibus malum, quamvis plures noverim ad ætatem senilem deductos & sic mortuos, qui nunquam Variolis laborârunt.* Cujus viri authoritates legendæ quidem, sed in præjudicium tot & tantorum Virorum contrarium sentientium, non admittendæ.

pars i's afficiatur: datur ratio

Ubi tamen notandum, quòd Ly *hæreditarium* non sumatur formaliter, & propriè seu strictè, sed consecutivè non propriè seu latè tantum. Ratio prioris est: quia Ly *hæreditarium* formaliter & propriè dicit, quod perpetuò & sæpius affligit; Unde Podagra, Calculus & similes affectus sunt formaliter & propriè morbi hæreditarii, quia perpetuò & sæpius affligunt: Ratio posterioris verò: quia licet ab initio talis proprietas nobis naturalis & hæreditaria non fuisse videatur, attamen post primam tum naturæ tum cœli influentiam, quia omnes tentati sunt, facta est connaturalis & hæreditaria proprietas, quæ in omnes derivatur, exemplo Hippocratis *Lib. de Aëre, Aquis & Locis*; sicut Indiæ Macrocephali primò tales artificiosis compressionibus & ligaturis facti sunt, & tandem proles Macrocephalas generârunt. Ita generant in hunc usque diem, factâ nempe proprietate communicativa: Sic propemodum contingit in Variolis & Morbillis: sunt ergo morbi hæreditarii non *primario* sed *secundario*, non *propriè* sed *impropriè*, non *strictè* sed *laxè*, non *formaliter* sed *consecutivè* & materialiter sumptæ, nam si propriè essent morbi hæreditarii, cur semel tantum, aut bis iis homines corripiuntur & non sæpius? Deinde cur qui Peste semel laborant, eandem ad Pestem aptitudinem soboli non communicant? atqui hoc non fit, & quidem meritò; nam natura vincens venenum pestilens, illud de corpore planè exterminat, idque eodem modo in Variolis & Morbillis facit, & nisi hoc fieret, nemo â Vario-

Quomodo ly hæreditarium de Variolis sumatur.

 lis

lis & Morbillis perfectè sanaretur; Ergo sicut Pestis & similes morbi propriè hæreditarii dici non possunt; ità nec Variolæ aut Morbilli. Ratio ulterior dari potest, nam non omnes morbi quibus parentes laborant, necessariò in corpore relinquunt dispositiones, per quas iidem in sobolem deriventur. Ratio rationis: hæreditarii enim morbi, non nisi per semina liberis communicantur, quia hæc semina similarium partium ideam, formam & proprietatem continent; sic arthritici & calculosi, semen articulorum parentis arthriticum, renum calculosam dispositionem habent, debet ergo in solidis partibus inesse diathesis illa; at iis qui Variolis laborârunt & perfectè defuncti sunt iis, nulla remanet labes, nulla superest dispositio talis, tota enim per criticam evacuationem & exanthematum excretionem depurata est, alioqui periculum esset recidivæ; quomodo igitur eam quam in solidis & carnosis partibus non habent diathesin, liberis comunicabunt? neque enim omnes morbi hæreditarii sunt qui fiunt, sed hi tantum qui facti sunt, sic febres putridæ & fientes morbi proli non comunicantur. Quapropter ut morbi dicantur hæreditarii, necesse est, ut dependeant à primis generationis principiis, tùm formalibus, qualia sunt semen utriusque sexûs, tùm etiam materialibus, qualia sunt sanguis maternus seu menstruus, semen autem ut dicemus infrà, ad Variolas seu Morbillos non facit, ergo morbi hæreditarii propriè non sunt.

Requisita ad hoc ut morbi fiant hæreditarii.

Objectio. Sed dices quosdam fuisse, patres & matres qui Variolis & Morbillis correpti nunquam fuêre, quorum proles etiam immunes manserunt beneficio hæreditario, è contra ii parentes, qui iisdem correpti in proles eodem jure deduxerunt, ergo sunt hæreditarii.

Responsio. Respondeo hoc argumentum esse particulare, & nihil probare, ut infra patebit. His omissis, alia magis succincta, cur plerique iis afficiuntur, dari potest ratio, quod sint affectus

Alia ratio cur iis plerique

affectus mixti, partim juxta, partim contra naturam consti- tuentes; nam quoad originem, seminarium nobis habent connatum, quoad effectus verò, symptomata præternaturalia & (sicut ipsa quasi Pestis) venenata quidem producunt, ex quo fit, ut peculiare aliquod genus febrium constituunt, hominibus tantum proprium, convenit enim homini omni & soli & plerumque semel. Nec obstat, quòd si fortè quispiam immunis in vita ab iis fuerit, aut quispiam in hos affectus sæpius inciderit; sunt hæc rara dubia, & inusitata naturæ eventa, quæ communi observationi & veritati minimè derogant, de quibus apertiùs in sequentibus. rique afficiuntur.

CAPUT I.

De Etymologia Variolarum & Morbillorum.

VOcantur autem à Græcis *Exanthemata*, quo nomine tam generalissimo in universum omnes eruptiones, seu cutis efflorescentiæ, quibus corpus nostrum afficitur & natura ad cutim deponit, intelliguntur. Latini eas *Maculas* appellant, sed nimis latâ æquè significationē, nam ly *macula*, *vitiligini* tribuit Philosophus 3. *de histor. animalium* 2. unde Variolæ & Morbilli etiam sub his comprehendi possunt, quod nimirum turgentium instar in plantis gemmarum tumeant. Plinius vocavit *Papulas*: Plinium secuti plures alii, tam Veteres quàm Recentiores, nomina Variolarum & Morbillorum confundunt inter se, & unum quandoque pro altero accipiunt, ut videre est apud Sennertum *Lib.4. Cap.* 10. & Forestum *Lib.6. de febr. obs.*51. Paræum *Lib.*19. *Cap.*1. *fol.*550. Etymologia à Græcis. à Latinis latè.

Echtymata Variolas seu *pustulas*, *Exanthemata* verò *Maculas* seu *Morbillos* vocant. Alii Variolas â variando dicunt, eò quod cutim varient: Arabes verò propriorum vocabulorum amatores, Variolas appellarunt â varorum similitudine, quòd instar *vari* in corpore emineant: sunt autem vari tumores exigui infacie *psitraciis* affines, ex crasso ferventique succo collecti, ad quorum similitudinem Variolæ dictæ sunt, tanquam *parvi vari*. Riolanus utpote Vir arte & scientia provectissimus, Variolas dicit pustulas esse eminentes, humore plenas, & plerumque suppurantes, Germanis die Urschlechten/ die Pocken/oder die Blattern. Gallis, La petite Verole, dictæ. Morbillos verò vocat Rosalia, Rubeolas; quia cutim rubore tantum perfundunt, nec elevantur aut suppurantur, Germanis die Masern oder Flecken. Gallis, Rougeole. Clariorem & ad rem aptam horum nominum Etymologiam & differentiam discernit Ludovicus Mercatus *de Puerorum morbis Lib. 2. cap. 22. Rationem nominis* (inquit) *desumptam esse â varis & morbo, quippe Vari sunt excrescentiæ pustulosæ, quæ in facie plerumque apparent* (vulgò die Finnen oder Ungarn) *cum evidenti cutis asperitate. Morbillus verò sic vocatur ex maligniore conditione, cum certum sit, Pestem antiquitus morbum fuisse nuncupatum, & ea ratione Morbillus quasi levis Pestis dicitur:* Est tamen uterque affectus Variolæ & Morbilli de genere pustuloso, quippe in Variolis pustulæ sunt humectiores majores & suppurabiles; in Morbillis verò minores, resolubiles aut evanescentes: Fracastorius Morbillos vocat â fervore: verùm quidquid sit, si de rebus constat, facilè de verbis conveniri potest, ut fusiùs patebit, ubi infra de differentiis acturi sumus.

Variolæ unde dictæ

Unde Morbilli.

CAPUT



CAPUT II.

De Definitione Variolarum & Morbillorum.

VAriolæ sunt exanthemata, seu pustulæ saniosæ, in summa totius corporis cute, partibusque cuti proportione correspondentibus, cum febre continua, propter sanguinis peculiarem effervescentiam & ebullitionem, varia quoque secum vehentes symptomatum genera. Definitio Variolarum.

Dixi Primò *Exanthemata*; quod genus generalissimum denotat, sub hoc enim etiam echtymata continentur; nam ly exanthemata, non est certi morbi nomen ut phlegmone, sed ἐξανθεῖν dicuntur generali significatu humores quilibet, qui ex alto corporis in cutem pullulant, pustulasque excitant, aut asperitates quasdam, & ideò Variolis & Morbillis hoc nomen potest adaptari teste Hipp. & Gal. *6. Epid. Sect. 2. 2. Epid. Sect. 3. Gal. 5. Meth. Med. Cap. 12.* Explicatio ejusdem. Quare dicantur Exanthemata.

Dixi Secundò. *Pustulæ saniosæ.* Quod significat genus differentiale, siquidem in genere sub natura tumorum præter naturam continetur: Sunt enim eminentiæ adestque magnitudo aucta: prominent autem (in genere loquendo) in cute tumores, tubercula & pustulæ, tumor tuberculo major est, utroque minor pustulæ, unde elucescit genus differentiale, quod Variolæ non ad tumores & tubercula, sed ad pustulas & exanthemata referantur, quia tumorum, minimi sunt, nequaquam magni, ut Phlegmone & Furunculus, atque ideo Hipp. 3. *Aphor.* inter pueriles morbos numerað Quare pustulæ saniosæ.

ex-

exanthemata. Nec obstat quod Mercurialis probare conatur Variolas nostras non esse Veterum exanthemata; quod superfluum assertum videtur ex eo, cùm hoc nomen adeò sit generale, ut certam non indicet morbi speciem, sed omnibus in cutem eruptionibus, etiam ipsis maculis attribui possit.

Objectio. Dices. Variolas & Morbillos Hippocrati & Galeno cæterisque veteribus non fuisse cognitas; ergo alia videntur esse exanthemata, quàm Veteribus fuerint cognita; nam ut inquit Manardus Ferrariensis *Lib. Epist.* 7. *Epistola* 1. *Variolas & Morbillos sub Exanthematum nomine Galeno, & sub Herpetis titulo Hippocrati forsan notas fuisse, vel planè ignotas.*

Responsio I. Respondeo. Manardum abundè in hac re refutat Franciscus Valeriola *Enarrat. medicinal. Lib.* 1. *Enarratione* 8.

Responsio II. Respondeo Secundò. Hoc assertum non esse vetus sed immaturum, seu immaturâ fundatum ratione censemus ex eo, cùm non fundatam rationem notabili experientiæ præponat, nam ipse Hippocrates *Lib. Epid.* pustularum rubrarum rotundarum parvarum &c. sæpiùs meminit, & Aëtius *Lib.* 14. infantibus papulas per universum corpus erumpere scribit, non ergò Græcis omnino incognitum hunc affectum esse puto. Et quis quæso dicet eos novos, Veteribusque incognitos affectus, qui ab antiquissima causa ipsis quasi Prothoparentibus nostris Adami & Evæ principiorum impuritatibus oriuntur?

Responsio III. Accedit quòd, cum Arabibus fuerint noti, & dudum ante ipsos grassati, eos minimè novos morbos censuerunt; Quia si primùm Arabum tempore grassari cepissent, illud speciatim ab illis fuisset annotatum:

Responsio IV. Et quamvis ab iis primùm exacta eorum descriptio tradita sit, Hippocrates verò, Galenus cæterique Antiquiores vix de illis mentionem fecerint, arbitrari oportet, ideò peculiarem illorum tractationem ab hisce Veteribus non fuisse iustitutam, quòd sint tantum accidentia febribus synochis & malignis supervenientia,

tiá, & eruptiones criticæ, proprium & peculiare morbi genus minimè constituentes. Vel dic: quòd in Græcia propter aëris clementiam, & exquisitam ac strictam victûs rationem itá levis fuerit affectus, ut Medicorum curam non meruerit, prout plurimùm hodierno sæculo fit, ubi anus edentulæ, relicto Medicorum prudentûm ministerio, curationis scopum absolvunt. Responsio V.

Quemadmodum etiam apud Indos occidentales propter summam aëris clementiam, itá levis esse consueverat, ut vix animadversus fuerit ante accessum Hispanorum in has regiones: Postquam verò Æthiops quidam eò delatus, Variolis pestilentibus correptus est, communicatâ per contagium malignâ & venenatâ qualitate, tàm immaniter grassari cæpit affectus, ut magna Indorum pars de medio sublata fuerit; cùm enim antea impuritates illæ ex sanguine relictæ, ob clementiam aëris facilè â natura discuti consuevissent, accedente postmodum venenatâ qualitate, graves morbos effecerunt. Nihilominus tamen Veteres quæ necessaria sunt ad earum curationem & cognitionem reliquerunt, scilicet, in febribus malignis eas apparere, esse quoque si recesserint, aut paucæ fuerint, periculosas, non esse repellendas, sed potiùs in cutem attrahendas, demum quibus remediis sint exsiccandæ.

Neque tandem obstat si quis dicat, quædam esse in quibus exanthemata Hippocratis, Galeni & Aëtii cum nostris Variolis & Morbillis convenire non videntur: huic respondendum est, nec nostras Variolas & Morbillos semper ejusdem generis apparere, imò ejusdem generis morbos, aliis atque aliis sæculis ex diversitate Regionum & victûs, ex peculiari vi syderum, ex vario hominum vitæ genere, ex causis aliis tùm internis, tùm externis, quasdam mutationes & differentias accipere posse: Interim tamen, ut mox allegavi, multa quæ tùm ad naturam horum, tùm ad curationem spectant, communia habent. Alia objectio.

B Dixi

Ulterior definitionis explicatio.

Dixi 3tio. *In summa totius corporis cute partibusque cuti proportione correspondentibus.* Ex quibus verbis vera imprimis differentia ab iis exanthematibus elucescit, quæ unam tantùm partem afficere solent, ut Psythracia, Vari, Exanthemata â Paulo inter externos capitis affectus *Lib.*3. descripta: Variolæ autem totum corpus inficiunt. Quod si tamen unam partem seorsim laborare contingat, id casu potiùs fit, quàm morbi naturâ, ubi notandum, hæc verba definitionis quoad sensum expressa esse, negandum enim non est, & experientiâ anatomicâ constat, quod Variolæ & Morbilli non tantùm in externis corporis partibus, cute scilicet, sed etiam in internis (cuti tamen proportione, seu connexione nervorum, musculorum, venarum, arteriarum correspondentibus) ut pulmonibus, faucibus, intestinis, ventriculo &c. generantur: Potissimum verò erumpunt in facie, quod è contra contingere solet in Maculis purpureis seu Petechiis, quæ faciem rarò & parum occupant, quamvis tamen certum sit in utrisque humores sursum ferri, ut deliria, cerebrique symptomata palâm ostendunt: sed quoniam cutis in facie tenuior est & rarior, nisi copiosa fiat humorum expurgatio, in cute non firmantur, sed exhalant, & per insensibilem transpirationem dissolvuntur; vel quòd in Petechiis humor crassior non soleat sursum ferri, eò quod vasis majoribus plerumque contineatur, in Variolis verò sit in ipsa partium substantia, sive quòd facies aëri continuò exposita inutilem illam & exiguam purpurarum evacuationem non admittat; In Variolis autem maximus impetus naturæ, humorisque pravi abundantia itâ urgeant, ut non obstante aëris frigiditate, in cute facie pullulent, nisi summo & extraordinario aëris rigore repellantur: Aristoteles scribit Varos potissimum fieri in facie, quia locus humidus est & rarus, materiam propterea crassiorem faciliùs excipit, quod humoribus istis etiam convenire potest.

Quare Variolarum potissima pars erumpat in facie, & non item Petechiarum, declaratur.

Præte-

Præterea patet ex iisdem supradictis definitionis verbis Variolarum & Morbillorum subjectum esse cutim, ac imprimis externam ejus superficiem, quæ *epidermis* dicitur cum subjectis partibus. Dico *cum subjectis partibus*, siquidem cutis sola, utpote, teste Galeno solùm usum habens, & nullam actionem (si strictè loquendum est) morbi alicujus subjectum esse nequaquam videtur, verùm quia nos in genere loquendo (ut in Anatomia nostra fusius actum) ipsum usum ab actione non distinguimus, quia invicem facilè convertuntur; nam partis actio, quia ad quemcunque finem spectat, sæpe usus atque etiam usus, quia actionem non excludit, actio dicitur: strictius tamen si rem capiamus, usum latius patere, quam actionem, fateri oportet. Subjectum Variolarũ & Morbillorum.

Exinde autem non sequitur, si cutis propriè actionem non habeat, sed tantum usum, quòd morbi subjectum esse nequeat, nam secundùm me actio privata, de qua textus Gal. (quamvìs de publica id non afferam) ab usu nullo modo distinguitur; actionem autem privatam, quæ sibi soli consulit, habere cutim quis dubitat? habet enim alimenti attractionem, retentionem &c. quin & publicam quæ consulit toti animali habere dici potest, videlicet dignotionem qualitatum tactilium: Verùm ut hanc cramben verbô auferam, studiò addidi: *cum subjectis partibus*, quatenus scilicet cum Nervis & Musculis, Venis & Arteriis, conjungitur, quâ ratione sinè dubio morbi & consequenter Variolarum subjectum dici potest: Dic quod vis, utrumque enim facilè sustinetur; nam cutis per se sola, vel cum subjectis partibus juncta, subjectum Variolarum existere potest, & testantur id historiæ, quòd quibusdam post mortem dissectis, deprehensum sit eorum viscera non secus atque cutem, sordidis ejusmodi pustulis, affecta fuisse, ut testatur Fernelius 2. *de abditis rerum causis Cap.* 12.

Dixi 4to. *Cum febre continua.* Ubi notandum primò, arduam inter Authores versari quæstionem, num Variolæ & Quare dicitur in Definitio-

ne cum febre continua.

Morbilli finè febre esse possint? Ratio dubitandi hæc est: Cùm enim vitium hoc in sanguine undecunque etiam contractum sit, natura per quandam criticam evacuationem & ebullitionem, ut vulgò vocant, soleat discutere; quæri omnino cum ratione potest, an semper hoc fiat cum febre, an verò aliquando etiam sine febre?

Variolæ an possint esse sine febre, rationes allegantur.

Qui affirmant eas sine febre esse posse, id ità fieri posse commenti sunt, & quidem juxta mentem Antiquorum, quia potest sanguis efferuescere in partibus cuti proximis, tumque ejus calor cor non afficiet, nec fiet febris, vel saltem primò subsequetur, quando scilicet in pus transmutantur; Ratio, nam dum pus fit, febres fiunt, quem casum, etsi rarum, possibilem tamen contendunt, idque docere videtur *Theophrastus Lib. de sudoribus*, qui vult, in corporibus nostris ex sudoribus & laboribus eruptiones quasdam, seu exanthemata fieri Varis similia, quarum tres causas affert, anni tempestates, excrementorum abundantiam; corporis motum & agitationem. *Celsus* quoque *Lib.5.Cap.28.* de pustulis & exanthematibus agens, ait, eas similes esse Varis & fieri ab igne, vel â frigore, vel medicamentis. *Rhases* etiam Variolas post febres erumpentes, statuit salubriores esse iis, quæ febrem præcedunt, ex quibus liquet Variolas sine febre dari posse.

Variolæ propriè dictæ non possunt esse absque febre.

Rationes hujus.

Negativam qui tuentur, cui & nos subscribimus, firmiori pede incedunt, & tàm ratione, quàm autopsiâ priorum confundunt argumenta, propriamque sententiam sequentibus evidenter fulciunt argumentis fundamentalibus. *Primò* quidem non negamus posse pustulas seu exanthemata quædam oriri sine febre, quæ tamen non sunt Variolæ nostræ de quibus agimus: Variolas enim necessariò febris præcedit vel saltem comitatur, estque continua, utplurimum autem præcedit, & ideò illa febris (non ut quidam recentiores opinantur symptomatica est, sed semper essentialis, & sui generis: ut mox infrà) utpote quæ (dummodo omnia rectè succedant)

cedant) apparentibus Variolis & Morbillis paulatim evanescere incipit , quia fieri solet crisis ratione , naturâ per habitum corporis febrem solvente, id est, quia Variolæ nihil aliud sunt, quàm criticæ evacuationes febrem solventes. Crisin verò & ebullitionem sine febre fieri non posse, omnes tenent, imo non tantum adest febris, sed etiam dolor & pruritus maximus, ægris interdum intolerabilis , interdum tamen mitior est, cùm humor minùs est acris & efferuescens , ut in pustulis latis, quas vulgò Grandines, Crystallos, *Vidus Vidius & Petreus* appellat, de quibus mox infrà fusius.

Dixi mox suprà: dummodò omnia rectè succedant, febres enim illæ, quæ, postquam apparuerunt Variolæ, delitescente priori febre, gignuntur, sine dubio omnes sunt symptomaticæ. quandocunque (ut loquitur Horatius Augenius *Lib. 9. de febribus Cap.* 19.) generentur, præcedente alio morbo, ad cujus incrementum augeantur.

Notandum *2do.* quòd illa effervescentia seu febris, quæ Variolas excitat, non fiat juxta cutim, sed in ipsis etiam vasis interioribus, à quibus in superficiem humor transmittitur; fateor autem non posse ità facilè humores effervescere prope cutim, idque ex eo, quòd pars ea corporis ab aëre attracto & adumbrante refrigeretur, non nego tamen id impossibile, quin imò frequenter posse contingere, quòd humores in minoribus etiam vasis juxta cutim, id est capillaribus, putrescere possint, & ut *Galenus* docet , in intermittentibus in ipso habitu corporis putrescant & corrumpantur, & consequenter etiam, qui in minoribus istis vasis, vel juxta habitum ex facta putredine ebulliunt, febrem generare, sic quando febris ardens solvitur, extrahitur humor in habitum corporis, sive vasa minora, & tamen adhuc febris est , nec transpiratio cutis id prohibet, ut experientia ostendit, ideò statuendum febrem præcedere Variolas, & simul eas interdum febres facere:

Confirmatur in Variolis febrim debere adesse.

B 3 cere:

cere: quod autem fiant â febre semper patet, quia ut diximus eam critico impetu solvunt, & tunc ea cessat.

Quando possit dici febris posterior Variolis, & qualis tunc sit.

Quod si autem contingat Variolas esse copiosas, magnas, sanguine ichoroso plenas, tunc fateor equidem febres fieri â Variolis possunt, quæ tamen febres non ejusdem sunt cum prioribus generis, sed symptomaticæ, diariæ seu Ephemeræ dictæ, quales etiam observamus in bubonibus, phymate, furunculis, & cutaneis aliis affectibus, de quibus alibi. Propterea sobriè est intelligendum dictum Rhasis, quod est verissimum qui statuit Variolas salubriores esse quæ febrem sequuntur, quàm quæ eam præcedunt aut comitantur. *Ratio*: nam cum iis apparentibus minui febris debeat, si ea perseveret aut augeatur, aut quæ cessaverat iterum redeat, augmentum putredinis significat, quod non potest non esse perniciosum; ita quoque si Variolæ appareant comitante solummodo levi febre, ex pulsu & urina, aut etiam calore externo vix notabili, dum vel materia expellenda pauca & benigna, & natura robore pollet, vel revera suspecta & pessimi ominis res est, præcipuè si magnus dorsi dolor & magna virium oppressio advertatur; Sic præter omnium spem paucos ante annos extinctus est Illustrissimus Dominus Junior Comes Slavata, ultimus è stemmate; qui inexplicabili ac repentino dorsi dolore cum virium jactura in instanti correptus, nullâ nec in pulsu, nec in urina alteratione apparente, quarta die petechiis mixtis Variolis, obiit: in quo Juniore omnes credebant spinam dorsi luxatam fuisse, quod tamen falsum effectus docuit.

Variolæ quæ sequuntur febrim salubriores sunt iis, quæ eam antecedunt, ratio hujus.

Observatio

Similem lamentabilem casum pro directione Practicorum refert etiam doctissimus Franciscus Ignatius Thiermair *in Consil. Lib.* 1. *Cap.* 7. *fol.* 89. de quadam Serenissima Principe. Nec ex prædictis Authoribus quidquam probari potest, quàm pustulas quasdam interdum sine febre fieri, eas tamen esse nostras Variolas, nemo dixerit, quamvis si Variolis nostris ea applice-

applicemus, causæ illæ de quibus illi (præsertim *Theophrastus* ac *Celsus*) loquuntur, non nisi commotis prius internis, & forsan priùs excitatâ febre pustulas progignunt.

Unde si quis, sanô tamen sensu, duplex febrium genus in Variolis statuere velit, non inficio quidem, unum quod propriè ex illa ebullitione excitatur, de qua in præsenti quæstio, vel cujus symptoma & crisis, est Variolarum & Morbillorum efflorescentia, bonum est si Variolis & Morbillis erumpentibus febris hæc cesset: nonnunquam verò post Variolas febris apparet, & quando illæ suppurantur, excitatur: Vel quia materia tota primo impetu non fuit expulsa, vel quia pars ejus intrò suscepta, quod peius est indicium. Experientia quam adferunt adversarii, pueros & infantes Variolantes & Morbillantes de febre non conqueri. *Resp.* Eam experientiam infantilem, vel ut candidè loquar, falsam esse, quamvis etiam pueris & infantibus febris adeò magna non sit, ob materiæ paucitatem & levitatem, ebullitionem magnam non producentem, ex quo fit, ut nec de morbo aliquo conquerantur, nec etiam conqueri pusilli possunt, donec Variolis & Morbillis erumpentibus ægrotare cognoscantur, iis tamen credere, aut asserere, absque febre erumpere posse, falsum est, & nullâ ratione fundatum.

Responsio ad objectionem negantium febrem in Variolis.

Notandum 3*tio*. Quòd licèt nunc ex dictis certum sit, Variolas Febrem præcedere, attamen sciendum, illam Febrem non omnibus æqualem, eandemq; esse, quia sanguinis reliquorumque humorum, non solet esse idem incendium, aut eadem putredo, sed modò major, modô minor, unde nova oritur quæstio: An illa febris sit Putrida, an Synochus, an verò alia?

Febris non in omnibus Variolantibus eadem est, neque æqualiter intensa. Ratio hujus.

Febrem Synochum simplicem esse plerique asserunt, quia â principio ad finem usque cor assiduè fatigat, donec impurus sanguis multorum excrementorum permixtione inquinatus, â natura depuretur, & expulsis, â majoribus sive internis

vasis

vasis in minora, & ab his ad habitum corporis, humoribus, Variolas proferat. Putridam hanc febrim esse, ab omnibus propemodum hujus sæculi Medicis statuitur, & quidem veriùs, ut patebit in dicendis.

Sciendum tamen est putredinis varios esse gradus, quibusdam enim levior est, quibusdam gravior, hinc febris oritur mitis, quam ægrotantes ferè negligunt, nec nisi ab iis qui diligenter attendunt cognoscitur; quædam major & gravior, symptomatibus stipata pravis, ex vehementi humorum putredine, tuncque Variolæ sunt mali moris, & ulcera gravia in partibus affectis tùm externis tùm internis relinquunt: Et hæc est, tam Veterum quàm Recentiorum de Variolarum febre, opinio, quæ tamen dubia videtur, utrùm scilicet febris Variolas præcedens, Synochus semper sit? tum quoque, an semper sit Putrida? nam primò non necessariò videtur esse Synochus.

Non semper esse synochum, probatur Primo.

Probatur *Imo.* Mirantur enim Arabes, si quis semel in vita iis non laboraverit, certum autem est Synochum non fieri, nec in gracilibus biliosis, pituitosis, melancholicis, nec in frigida ætate seu senectute, nec in plenitudine ad vires, sed in plenitudine sive plethora sola, quæ ad vasa dicitur, generari. Non est autem verisimile, omnes quos Variolæ occupant, plethoricos esse, cum vix quispiam hunc morbum effugere possit, & in omni ætate contingere queat, in ipsa quoque senectute, quin imò ante ipsum vitæ exortum, in nondum natis, sed claustro uteri adhuc detentis, ut multa referunt Authorum exempla. Neque hujus opinionis ullam videmus repugnantiam, causæ enim quæ in genitis Variolas producunt, eædem ipsæ in nondum genitis, mediatè saltem, easdem causare possunt; & satis est pro hoc tàm meam propriam, quàm etiam aliorum authenticorum Authorum, ut supra diximus, experientiam stare.

Secundo.

Probatur *2do.* Si febris Synochus est, quæro? cur in omni-

omnibus, eâ febre laborantibus non contingit excretionem fieri? quandoquidem enim ſanguis in omnibus putreſcit; ſi ergo eundem hominem bis terve aut ſæpius Synocho laborare contigerit, cur ſemel tantùm patitur Variolas? & reliquis temporibus ſolis tantùm forſan ſudoribus absque puſtulis liberabitur, ſi idem humor, quantitate, qualitate & conſiſtentiâ peccat, excretioque fiat per eadem loca, cum tamen eadem non eſt. Eſſe quoque febrem putridam non eſt adeò certum, quia explorato ſanguine illorum, qui hac febre laborantes, ante eruptionem Variolarum, ſcilicet ante ſanguinis depurationem, venæ ſectione vacuati ſunt, purum rubentem, citò concreſcentem, tanquam â victima, conſpeximus: quæ ſunt ſanguinis laudabilis indicia. Accedit, quòd quidem ebullitio ſanguinem puriorem reddat, unde colligi poteſt, ipſius ſanguinis ſubſtantiam non putreſcere, ſed tantùm menſtrui ſanguinis & excrementorum inquinatione accendi, ex qua ebullitione purior & perfectior redditur, cujus quoque evidens argumentum eſt, quòd evacuatâ per Morbillos & Variolas parte eâ, quæ ſanguinem in fervorem agebat, ceſſat febris, & ſanguis ad priſtinam redit bonitatem. Hic autem intelligimus univerſam ſanguinis maſſam, & ſi totus ſanguis non putreſcat, efferveſcit tamen ſecundùm ſe totus, aliud autem eſt accendi, aliud putrefieri, accenditur in Synocho ſimplici, ſeu non putrida, putreſcit autem & ſimul accenditur in Synocho putrida. Sanguis ergo modò bilioſus, modò pituitoſus, modò melancholicus, modò ichoroſus eſt. Ut verò de hac febre tandem ſtatuam quod veriùs videtur

Non ſemper eſſe putridam etiam probatur.

Confirmatur.

Dico *Primo.* Non ſemper eſſe Synochum, ut varii puſtularum colores indicant.

Dico *2do.* Non ſemper putridam, ſed malignam, ſiquidem contagioſa ut plurimum eſt, exitialis, & criſes facit quæ aliis frebribus non competunt, ex quibus patet, aliquid hic eſſe peculiare, quod aliis febribus non ineſt; nam ſi putrida foret

Deciſio I. quod nimirum non ſemper ſit Synochus.

Deciſio II. Eſſe malignam aliquando.

 febris,

febris, expulsis in habitum corporis noxiis humoribus, rigor ut in ardente & synocho contingeret, quod tamen fieri ordinariè non observamus, cujus ratio infrà declarabitur.

Decisio. III Esse Febrem sui generis.

Dico 3tio. Febrem Variolarum & Morbillorum esse febrem sui generis, sicut enim caro cordis, non est caro glandulosa, musculosa, aut parenchymatica, sed sui generis, sicut dentes non sunt ossa reliquis ossibus in totum identificata, sed ossa sui generis, ità febris hæc non est synochus, non putrida, sed maligna & quidem sui generis.

Quare dicatur sui generis.

Dixi *sui generis:* Nam febre malignâ sæpius corripi hominem nihil novi est, ast veris Variolis ultra semel, aut quod rarum bis quendam corripi, quasi est inauditum, vel saltem rarum, aut si unquam factum, casui potiùs & causis infra annectendis adscribendum videtur. Hujus autem febris sui generis natura maliga hæc est, quòd fiat per modum cujusdam criseos, naturâ humorem noxium expellente in corporis peripheriam, cum ægri ephoria, modò crisis bona sit; febris enim illicò aut omninò desinit aut imminuitur, tertio quartové morbi die, qui criticus esse solet, & apparentibus signis concoctionis; hæc crisis huic febri summè est peculiaris, ut febris quasi ipsa crisis esse possit, tanquam ab aliis omnibus longè differens, reliquæ enim febres, aut per vomitum, aut per alvum, aut per sudores, aut per urinas sanantur, hæc verò per solam corporis superficiem, non extimam solùm ut ardentes, quæ sudore copioso liberantur, sed extimam & intimam, simul scilicet per parvos abcessus & pustulas, nunquam alvi fluore, nunquam vomitu sanantur, quin imò si hæc quandoque contingant, pessimum signum hactenus proclamatur. Interim tamen probè sciendum hanc febrem licèt sui generis sit, in genere tamen generalissimo, sicut reliquæ malignitatum febres, ad genus morborum intemperiei reduci & sub eo contineri posse, ubi tamen benè notandum, hos morbos non unum, sed duplex morbi genus constituere. Nam primò sunt

Febris sui generis, natura qualis sit.

Ad quod morbi genus hæc febris re-

ſunt morbi intemperiei, quod ex calore præter naturam & febre notiſſimum eſt. Secundò, ſunt etiam morbi pravæ conformationis, ut patet ex tumore, & ſolutione continui. ducatur, & ad quotuplex.

Dixi in definitione 5to. *Propter peculiarem ſanguinis ebullitionem, & efferveſcentiam* (quibus verbis cauſa earum antecedens) â facultate expultrice irritata (his verò cauſa continens eluceſcit) de quibus verbis infrà de cauſis fuſiùs agemus. Interim hæc eſto datæ Variolarum definitionis rudis adumbratio, quæ tamen ex infra dicendis longè adhuc clarior reddetur. Explicantur ultima Definitionis verba.

Morbilli breviter ſic definiri poſſunt: *Morbilli ſunt exanthemata ſeu maculæ aut tubercula parva rubra in cute erumpentia, cum febre continua, itidem à facultate expultrice, vel potiùs ſanguinis peculiari ebullitione excitata.* Juxta mentem Neotericorum: *humorum & organorum heterogeneitate & difformitate excitata.* Morbillorum definitio.

CAPUT III.

De Differentiis Variolarum & Morbillorum.

Differentiam horum affectuum quòd attinet, eam trifariam partimur. *Primò* differentiam horum affectuum in genere & ſimul in ſpecie exponemus. *Secundò*. Differentiam in Variolas & Morbillos. *Tertiò*. Differentiam Variolarum & Morbillorum ab aliis puſtulis conſimilibus, explicabimus. Trifaria horum affectuū differentia conſideratur & proponitur.

Differentiæ iſtorum affectuum & exanthematum plures ſunt, nam Imo â ſubſtantia; alia ex hoc vel illo humore conſtant, Differentiæ â ſubſtantia.

ſtant, unde vel ſanguinea, pituitoſa, bilioſa, melancholica. 2dò. à qualitate ſeu colore, ſunt vel rubicunda, nigra, flava, livida, violacea, purpurea, alba, coloris denique varii, pro diverſitate cauſæ & humoris ex quo conſtant, id eſt prout humor benignior aut malignior eſt, ex quo oriuntur. *3tiò.* â quantitate, alia ſunt copioſa, alia pauca, alia majora, alia minora, alia profunda, alia ſuperficialia, alia ſublimia cum tumore cutis conſpicuo, quæ Variolæ dicuntur; quædam minora ſine ſenſili tumore, potiùs cum aſperitate quadam, quæ dicuntur Morbilli, licèt *Fuchſius* contrariô prorſus, aſt ineptô modô, Variolas pro Morbillis & è contra uſurpavit. *4tò.* â tactu, alia dura ſunt, ob craſſitiem & cruditatem materiæ, alia mollia ab humore aquoſo vel flatu etiam turgentia. *5tò.* â modo & tempore, alia ſunt boni, alia mali moris, alia citò & ſine ſymptomatum multitudine, alia tardè & ingenti ſymptomatum ſtipata congerie erumpentia, & ſuppurantia. *6tò.* â loco, ratione cujus totum vel partem, collum ſcilicet, magis oculos, nares, faciem, palatum, aſperam arteriam, inteſtina, lienem, reliquaque viſcera magìs vel minùs occupantia, ut in operationibus anatomicis ſæpius reperi. Alia cum vel ſine malignitate, cum vel ſine Petechiis.

à qualitate

à quantitate.

à tactu.

à modo & tempore.

à Loco.

Differentia ſpecialis inter Variolas & Variolas, hæc in Praxi præſertim attenditur: quòd aliæ ſint diſtinctæ, aliæ confluentes, de quibus in Prognoſticis, quæ licèt eſſentialiter, ut plerique tenent, non differant, attamen illuſtriora quædam ſymptomata, quæ confluentium comitantur ſpeciem, non item diſtinctarum; facillimè autem ab invicem diſcrimantur. Germani diſtinctas vocant, die hohen und rechten Blattern/ confluentes, die breite zuſammen gefahrne und bletzete Blattern/ intitulant.

Differunt Variolæ à Variolis, quod aliæ ſint confluentes, aliæ diſtinctæ.

Circa differentiam Variolarum & Morbillorum hoc notandum, quòd ſicut notiſſimum morbi genus eſt, quòd Variolarum & Morbillorum nomine appellatur, ità incertum hactenus,

Circa differentiam Variolarũ

ctenus, cui Variolarum & Morbillorum nomen sit tribuendum, cùm enim, ut diximus, utraque communem habeant essentiam, seu materiam & nomen, quòd scilicet sint exanthemata â sanguinis effervescentiâ procreata, cum febre universum corpus occupante, cum tumore, pruritu & dolore, adeò ut plerique Authores non timuerint; quin uterque affectus simili modo & methodo tradatur; hinc curatio quoque quoad magis & minùs, sive accidentaliter tantùm (quod non mutat speciem, teste *Philosopho*) differt. & Morbillorum quædam notanda.


Differunt tamen in aliis. *Imò.* Quia *Variolæ* pustulæ majores sunt, eminentiores & crassiores, primum elatæ, noduli acuum, vel granorum milii instar (als wie Nadl-Knöpf/ oder Hirsch-Körner) postmodum sicut Verrucæ, & tandem sicut Perlæ. *Morbilli* minores sunt, nec habent sensibilem tumorem, granumque milii nunquam excedentem, Pulicum morsibus similes, imò quandoque ipsa cute altiores, adeò ut vix oculis aliqua eorum eminentia possit deprehendi. Differentia I.

2dò. Variolæ â sanguine corrupto magnâ copiâ peccante crassiore, frigidiore aut saltem temperatiore: *Morbilli* verò ab acriori & bilioso solùm generantur, ideoque minimè petunt altum, id est intumescunt, sed potius, Pulicum morsibus ut diximus similes, sunt pustulæ latæ, non sublimes, quare citiùs etiam ægritudo finitur. Differentia II.

Nota, non obstare nobis locum Galeni *Aph.9. Lib.6.* & ex eo *Fuchsius*, qui inquiunt, pustulas sublimiores â calidiore humore fieri, humiliores â frigidiore, quæ ideò minus pruriunt, quod â temperatiore succo procreentur. Quomodo locus Galeni intelligendus, ubi de pustulis sublimioribus agit.

Resp. Fuchsium hunc *Galeni* locum non intellexisse, nam hoc modo intellecta *Galeni* sententia falsa est; erysipelas enim, herpes, phlyctenæ, â fervidiore fiunt humore & acriore, quàm ædema, scyrrhus, phlegmone, & tamen tumores sunt minores & simul acriores, majoremque inducentes pruritum; ipse enim pruritus non solet fieri nisi ab humoribus tenuioribus &

C 3 salsis



falsis absque ulla extuberantia, ut verum non sit, tumores minores pruritum minùs inferre, quin imò autopsiâ teste, majorem. Igitur *Galenus* intelligi debet de tumoribus & pustulis ejusdem generis, non diversi, sicut hic Variolæ & Morbilli sunt, nam non bene opponuntur latæ pustulæ sublimibus, cum plurimæ sublimes possint esse latæ, plurimæ humiles acutæ; sed latæ opponendæ sunt acutis, humiles sublimibus; malè enim quis discurret, si hominem obesum magno, & gracilem minori oppositum vellet, cum certum sit, multos obesos longos & magnos, graciles & parvos & è contra reperiri. In uno quoque genere tumorum, sive sint sublimes, seu humiles, quicunque in acutum vergunt, magis pruriunt, quoniam acrior causa eos concitat, minùs verò qui in latum expanduntur, & hoc adaptari debet Variolis & Morbillis, nam Morbilli possunt esse acuti & lati non minùs quam herpetes, quorum qui miliares sunt, multis exiguis pustulis minimum exstantibus cutim exasperant, ut forsan non sine ratione *Monardus* Morbillos ad herpetum genus retulerit, quod valde magnum pruritum inferant. Pariter Variolæ possunt esse acutæ & latiores; acutæ magis pruriunt, quàm quæ in latum exporriguntur, nam in latitudinem extensæ difflantur, & quæcunque latæ sunt humorem habent minùs acrem.

Tumores quicunq;, qui in acutum vergunt, magis pruriũt è contra in latum extensi, minùs.

Differentia III. Variolarum à Morbillis.

3*tiò*. Differunt, quòd major in *Morbillis* sit fervor & subtilior ebullitio, hinc etiam major calor & intensior febris, & major quoq; respirationis angustia, quia illorum sanguis acrior est, hinc etiam acrior pruritus, sed non diu durans, quia statim omnes vel pleræq; & citiùs prorumpunt. In *Variolis* verò non est tantus fervor, sed major ebullitio, ob copiam materiæ, calor etiam non tantus, nec tàm intensa febris, quia sanguis ob copiam est mitior, quem calor igneus aut motus circularis non possit superare. Pruritus quoque licèt non sit ità acris, est tamen dolorosus & diutius durans, ob eandem rationem, quod nimirum tardiùs prorumpant, hinc etiam dolor

dorsi

dorsi in Variolis longè plus excruciat, adeò ut multi crediderint infantes sibi spinam dorsi eluxâsse,& inde orti errores, quòd illos inunxerint, & alia pinguia remedia contra casum porrexerint, ex quibus obstructis poris & tubulis, magis accensus sanguis circularesque humores, loco Variolarum, Petechiæ & quidem nigræ, & mors repente secuta est: ità contigisse cùm quodam Illustrissimo Comite Juniore, & quidem ultimo ex Excellentissima & Illustrissima Familia, oculatus & luctuosus fui testis; nam cùm in Variolis major sit pravi sanguinis & humorum redundantia, venæ dorsi & cum his nervi extenduntur, inde dolor dorsi longè major: Proinde suadeo ac moneo Medicinæ Practicos, in hoc & simili casu bene attendendum esse, ne decipiantur.

4to. Differunt, *Variolæ* suppurantur & replentur tenui pure, vel (ut aptiùs loquar) ichore, mox marcescunt, & tandem crustas acquirunt, quæ postmodum decidunt, quod longiori tempore durat; *Morbilli* verò nullo ichore unquam prædiri, sed breviorem, acutiorem & periculosiorem morbum inferunt, sponte evanescunt intra 5. vel 7. dies, nullâ relictâ ulceratione aut cicatrice. Differentia IV.

5tò. Differunt. *Morbilli* comuniter censentur affectus, qui sæpissime inter pueros corruscat, rariùs ætate grandiores aut senes corripit; etiam qui Variolis priùs laborârunt, non sunt adeò postea Morbillis obnoxii; sic enim observatur sæpiùs, quando Variolæ Morbillos præcedunt, plerumque Morbillorum exinde sequitur immunitas, quia Morbilli fermenti particulas saltem aliquales absumunt, adhuc diathesin ad Variolas relinquunt, quare ut dixi senes aut ætate grandiores Morbillis non ità promptè inficiuntur, quia â Variolis priùs infecti, aut contagio absolvuntur, aut leviori hujus affectûs myasmati eorum spiritus robustiores facilè resistunt. Differentia V.

6tò. Differunt. *Variolæ* oculos gravissimè adeò interdum lædunt, ut inde visus ammittatur: *Morbilli* verò ocu- Differentia VI.

los non afficiunt; cujus ratio forsitan hæc dari potest, quod natura tenuiorem humorem ad oculos non admittat, sed dissipet, & si admittat facilè dispellat, crassiorem autem quem natura in copia transmittit, nec repellere, nec dispellere, quin eundem admittat.

Objectio. Sed dices, hanc rationem non subsistere, cur enim oculi, qui secundum Aristotelem 31. *problemat.* 22. soli non rigent, neque gelu tentantur, tam graviter â Variolis affici possent?

Responsio. *Resp.* Magnam in hoc esse differentiam, quod illud sit extrinsecum agens, â quo se perpetuô motu & sepimentis tuentur oculi; hoc verò internum domesticum & crassum; sicuti autem bella domestica sunt multò graviora quàm externa, itâ & hic. Alii verò contrarium statuunt, uti Grülingius *Lib.* 5. *Med. Pract. Cap.* 9. *fol.* 837. qui dicit in Morbillis & eorum ortu plures ex oculis exstillare lachrimas & acriores esse plerumque, quàm in Variolis; rationem nullam addit, interdum credendum est, tàm senis Practici experientiæ.

Annotatio Notabis hic obiter, de Variolis & Morbillis non tantum inter Medicos, sed inter assistentes mulieres, præsertim in Aulis Magnatum, innumeras ferè proponi quæstiones & difficultates, Doctoribus aliquando difficulter solubiles; ita sanè meminit *famosissimus Bavariæ Archiater Thiermaier*, fœminam Illustrem in Gynecæo olim interrogâsse: *cur infantes plerumque citius Variolis quàm Morbillis afficerentur, cùm tamen Morbilli faciliùs erumpant & dispareant, atque adeò mobiliorem materiam præsupponant?* non levis revera hæc est quæstio, ad quam modò citatus Author doctè admodum respondet: *Dupplex est*, inquit, *excrementorum contentorum in sanguine materia, una crassior, alia subtilior, & ut alibi dictum, volatilis & acris, nec dubium est quin crassior per Variolas, subtilior per*

Ratio quare plerumque Variolæ citiùs in *Morbillos evacuetur, interim cùm utramque expellendi necessitas incumbat naturæ, & hæc natura à multitudine magis quàm ab illius acrimonia irritetur in infantibus, & pueris in quibus calor nondum*

infantibus oriantur, quàm Morbilli, &c.

nondum tàm acris est, omnisque excrementorum acrimonia ab exsuperante humiditate facilè obtunditur, consequens erit, ut crassior Variolarum materia, in regionibus Germanorum plerumq; magna ex parte citiùs, quàm subtilior Morbillorum pars, apud infantes & pueros expellatur. Quòd si verò contrarium contingat, id vel diversitati temperamentorum, vel intercedenti contagio adscribendum est, quod effectus & experientia docuit, ut modò Morbilli, modò Variolæ epidemicè grassentur & obveniant. Et hæc per parenthesin.

Alia differentia Variolarum & Morbillorum à consimilibus affectibus.

Variolarum petrearum seu grandinũ, seu crystallorum definitio.

Differentiæ tandem, quæ Variolas & Morbillos à consimilibus pustulis discernat, ansam dedit tertium quoddam genus pustularum, pueris familiare, & Variolis quoad magnitudinem simile & etiam quoad figuram, cujus descriptio, ut supra diximus, apud *Vidum Vidium* est, vulgò à Gallis *Veirolette*, Italis, *Ravaglione*. Latinis, *Variolæ petreæ*, *Grandines* seu *Crystalli*. Germanis, Wasser oder Spitz-Blattern/ oder Stein-Pocken/ Windt-oder Schaffs-Blattern dictæ. Crystalli sunt quædam vesiculæ aquâ plenæ, instar crystalli splendentes, quæ licèt pueris familiares, Variolisque quoàd magnitudinem & figuram similes, in multis tamen ab iis distinguuntur. *Primò*, quòd Variolæ cum rubore & inflammatione appareant, tardè suppurentur, & ad undecimum, quin imò 14. diem perdurent. Crystalli verò albæ sint, & veluti vesiculæ seroso humore repletæ, quæ intra triduum disrumpuntur & exsiccantur. *Secundò*, Variolæ semper cum febre & non sine periculo, Crystalli verò plerumque sine febre, & sine periculo. *Tertiò*, Variolas incurrunt omnes quasi homines, quia est morbus hæreditarius, Crystallos verò non item: ex quibus patet Crystallos ad genus Variolarum & Morbillorum, tanquã tertiam speciem esse referendum.

Differentia eorum ab aliis Variolis. I. II. III.

Nota, cum secundùm plerosque ex eodem sanguine menstruo Elephantiasis seu Lepra generetur, quæres, quonam demum modô à Variolis distinguantur? quomodo nimirum in

D Vario-

Elephantiasis ut distinguatur à Variolis, & cur hæ sanabiles, illa è contra.

Variolis universus corporis habitus expurgetur, in illa verò immedicabili malo defædetur? *Resp.* id explicare non est difficile, modò sequens propositio bene distinguatur: Conceptio fit, vel antequam fluant menses, vel postquam fluxerunt, vel dum fluunt. Optima fit post menstruorum fluxum, uterô repurgatô, deinde antequam fluant, deterrima autem ipsis fluentibus, quæ etiam legibus divinis prohibita est: nascuntur enim fœtus elephantici. Itaque ex pravo sanguine generationem sortitur homo, ut, qui fluente menstruo gignitur fit elephanticus, qui verò, post uterum à sanguine expurgatum generatur, cùm ex optimis purisque principiis coalescat, solidæ partes bene se habent à nativitatis principiis, solummodo dùm ad nutritionem purum impurumque suum sanguinem prolectat, labem aliquam contrahit, quàm deinde per Variolas expurgat.

Non omittendum, hic est novum quoddam Variolarum genus, quod sub historia exanthematum, quæ annis superioribus in tota civitate Wiennensi grassabatur sub titulo *Rosaliæ* seu *Rosamiæ* Neapolitanis dictæ, quæ à Germanis propter analogismum Neßlsucht / à Boëmis Spala nominatur; cujus descriptionem *Jonstonus* ità habet.

Rosaliæ definitio.

Rosalia seu Epidemata sunt maculæ rubræ & quasi igneæ, quæ cum vix effatu digno tumore, per universum corpus, quasi quædam erysipelata parva, in principio morbi, seu die quarto vel quinto erumpunt, progressu morbi totum corpus occupant, ut id quasi ignitum appareat, is color in declinatione iterum, ut in principio in maculas mutatur, quæ tandem septimo vel nono die evanescunt, epidermide quasi squaramis decidente; horum tamen curatio nihil singulare habet, sed ob causæ cognationem, quam cum aliis habet, unâ eàdemque curâ perficitur hoc morbi genus, Germanis die Ritteln / oder Röttelen / oder Roßalien / oder die Neßlsucht (quasi urticâ quis cæsus esset) Boëmis

Curantur uti Variolæ & Morbilli.

Boëmis Spala/ id est ustio dicitur, à rubore nimirum, quæ sæpe cum calore, tussi, aliisque Morbillorum symptomatibus invadunt, minùs tamen sunt periculosæ, quàm vulgares Morbilli, & quandoque solæ invadunt, quandoque Variolis inter se sparguntur, quandoque sanatis Variolis superveniunt, de quibus fusiùs Sennertus *Lib.4.de febrib. Cap.12.fol.512.*

Nihilominus etiam hoc malum subinde grave & periculosum, imò sæpe lethale est, calor enim est ferventissimus, sitis inextinguibilis, sæpius ac plerumque (unde tusses excitantur) faucium viscerumque aliorum inflammationes, deliria & alia mala urgent; in declinatione tandem materia ad articulos extremorum transfertur, ac dolorem & ruborem, ut in Arthriticis excitat, cutis squammarum instar decidit, mox pedes ad talos & suras usque intumescunt, hypochondria læduntur & suspenduntur, respiratio difficilis redditur, tandemque abdomen intumescit, ægrique non sine magno labore & post longum tempus pristinæ sanitati restituuntur, sæpè etiam moriuntur. Cujus notatu dignam refert historiam *Sennertus* supra citato loco. Etiam aliquando sunt periculosæ.

Puerum quendam Wratislaviæ post hunc morbum, pedibus, cruribus, scroto, ventre ac facie intumuisse, cum genarum nonnullo ac perpetuo rubore, febriculâ irregulari, tussi, quâ pauca, eaq; spumosa saltem & pituitosa rejiciebat, cum summa respirandi difficultate. Hic, prima die antequam moriretur, post summam respirandi difficultatem ponderis sensum circa pectus, ac stertorem, pulmonis abscessu rupto, pus & sanguinem atrum tussi rejecit, & hinc septimo ab illo die, cùm eadem symptomata redirent, mortuus est: Corpore aperto, tota pectoris cavitas aquâ citrinâ repleta, pulmones ambo toti lividi & gangrænosi, sinister magnum intus abscessum fovebat: Abdomini innatabant intestina tota simili aquæ, omentum propè consumptum videbatur, hepar pro individui ratione portentosæ fuit magnitudinis Observatio

& subpallidum. Talia autem mala ac symptomata, arthriticos nimirum dolores & tumores abdominis, & id genus similia, huic morbo succedere mirum non est, cùm enim Variolæ non solùm in externis partibus, sed etiam in omni viscerum superficie erumpere solent, idem etiam in Rosalia accidere potest, & sicut totum corpus extrà inflammatur, ita etiam viscera interna procul dubio inflammantur, & de pulmonibus res extra dubium est, neq; etiam dubitare quis potest de aliis visceribus, unde materiæ parte ad extrema protrusâ, primum fiunt dolores arthritici, hinc tumores hydropici, ac viscera ipsa corrumpuntur.

Superest, ut differentiam statuamus inter Morbillos & maculas illas purpureas in febribus malignis apparentes, quas vulgò Petechias, Germani Petetschen/vocant (de quibus alibi) quas plerique inter se confundunt, & ab iis sæpè in praxi Eruditissimi Viri (non sine ingenti patientum sanitatisque discrimine) confunduntur.

Differ. ia Variolarū à Petechiis I. Differentia ergo I*ma* est hæc: quòd nimirum illæ maculæ purpureæ, pustulæ non sint, sed superficiariæ solummodo efflorescentiæ, sine elatione aut tumore, sed pulicum morsibus saltem quasi ex toto similes; præterea nullum pruritum edunt (idque ob summam malignitatem ejusque narcosin) nullumque ullius post se relinquunt vestigium, quæ omnia tamen conveniunt in Morbillis & Variolis.

II. Differunt 2*do*. Ratione loci, quòd Variolæ & Morbilli quamvis in toto corpore erumpere soleant, majori tamen copiâ in facie pedibus & manibus apparere consueverunt; in maculis purpureis verò aliter evenit, illæ enim in pectore & dorso præcipuè apparent, ratio autem hujus hæc est, quòd cum Variolæ oriantur ab ebullitione sanguinis, cujus beneficio fit excretio ad cutem, excrementi in eo latitantis, & pravâ qualitate affecti, ad quod multum facit hepatis, tanquam (ut antiqui volunt) fontis & originis sanguificationis, secundùm nos

verò

verò partis coadjuvantis, vel potius perficientis ſanguificationem, diſcraſia vel intemperies; etenim, ut experientiâ obſervamus, & ratione convincimur, hepatis emunctoria ſunt facies, manus ac pedes, unde fit, ut calidiore hepate præditi, facie rubedine ac puſtulis, vulgò guttâ roſaceâ laborare, caloremque internum in volis manuum ac pedum percipere ſoleant, eaque ratione major fit expulſio in illas partes. Contra verò maculæ purpureæ in febre maligna, â corde præcipuè affecto oriuntur, ideoque circa partes cordi vicinas erumpunt, & præcipuè circa lumbos, quia in iis vena cava & arteria aorta decurrunt.

Differunt 3*tio*. Ratione coloris, quòd primæ maculæ, quæ in Variolis & Morbillis conſpiciuntur, ſint floridi & rubicundi coloris & exiles, ac poſtea dilatantur, maximeque appareant in facie & manibus, ut diximus: Petechiæ verò ſint rubri obſcurioris coloris, declinantis in purpureum, & in principio aliquanto latiores & exactè rotundæ, & nullæ ferè erumpunt in facie & manibus, ſed in pectore, dorſo, ex data jam ratione. III.

Differunt 4*tò*. Ratione temporis & motûs, quòd Variolæ & Morbilli apparentes, tertio vel quarto die â febris invaſione, criticæ eſſe ſoleant, & utplurimum ſalutares: maculæ verò purpureæ etiam ſeptimo die apparentes, plerumque ſymptomaticæ ſint, & morbum reddant deteriorem, cùm aliter debere fieri videretur, morbus enim crudior eſt quarto die quàm ſeptimo: hujus autem eventûs ratio inde deſumenda eſt, quòd in Variolis & Morbillis plerumque febris incipit â ſummo vigore, ideò non ſolùm tertio aut quarto, ſed etiam primo vel ſecundo die, excretiones ferè in ea criticæ poſſunt contingere; ſiquidem, ut dictum ſupra, Variolarum & Morbillorum eruptio unà criſis eſt. Verùm febres malignæ ſegniùs progrediuntur, & principium earum ad ſeptimum plerumque extenditur IV.

Ratio aſſignatur quare Variolæ quarto die febris apparentes ſint criticæ & petechiæ non item.

tur diem, unde eo tempore excretiones contingentes, non possunt esse verè criticæ. Sed

Ratio, cur Variolæ & Morbilli tam citò ad statum perveniant, non autem febres malignæ, adducitur.

Quæres, cur autem Variolæ & Morbilli tam cito ad statum perveniant, non autem febres malignæ? *Resp.* id inde fieri, quia febris Variolarum & Morbillorum à putredine levissima & sanguinis ebullitione potiùs, quàm intensæ materiæ putredine fit, eam cessare facit natura mediante coctione ante diem septimum, eò quòd levissima sit, & facillimis ex caussis orta, at in febribus malignis adeò urgens & fortis est putredo, ut nec decimo quarto die & interdum duodecimo corrigi possit, & ob id maculis erumpentibus ante id tempus exacerbatum, quia citra coctionem, & symptomaticè coacta fuit natura eas expellere.

Ad quæstionem quomodo culicum morsus à Morbillis distinguantur, respondetur.

Sed dubitat quidam, quomodo autem culicum morsus à Morbillis differant, cùm, ut dictum, ex toto illis sint similes? *Resp.* Licèt hoc dubium non mereatur responsum, quin potiùs dubitantem ad vetulas culicum aucupes dimittere videatur, quæ si aliam solutionem non haberent, in hanc ad minus prorumperent, se detentis maculis purpureis pro culicum aucupio indispositas, lassas & verbô infirmas videri, quin potiùs irridendo ac cachinnando, stratum super stratum, verborum scilicet elegantiâ, ipsius imponerent auribus; Interim nè crasso dubio incrassatum relinquamus, dicimus morsus pulicum & culicum sine dolore & tristi sensu fieri non posse, fiunt tamen sine virium jactatione, symptomatumque multitudine, quòd non evenit in purpureis, unde facilis dabitur utrorumque dignotio.

Objectio.

Instabis, posse fieri, ut hi morsus cum jactatione virium & symptomatum multitudine coincident, quid in hoc casu dicendum?

Responsio.

Resp. hoc in casu, copiâ, & quantitate, loco & duratione esse discernendum, quod si morsus tantâ quantitate non prorumpant, neque in locis certis, sed hinc inde sparsis,

ſparſis, & nunquam aliquot horas (quod in petechiis dies) perdurare obſervamus.

CAPUT IV.

De Subjecto Variolarum & Morbillorum.

SUbjectum adæquatum *primarium* in Variolis & Morbillis, eſt vel totum Corpus, ratione febris, vel ratione pustularum & macularum, Cutis cum Cuticula (ſi ea ut affectus ſpectamus, aliud enim dicetur infra de ſubjecto cauſæ) quæ ſunt noſtri Microcoſmi littora, glandulis infinitis & tubulis ſcatentia, inibi enim vaſorum terminus, & meritò ſanguinis maceries obſervatur, omnes hoc ſuſcipit ſanguinis quisquilias, tum hæc ipſa exanthemata. Cutis ergo quæ rarior & calore magis fovetur, magis haſce ſuſcipit puſtulas ſanioſas, unde ſeſe in dorſo magis produnt, quàm in facie, manibus & pedibus, hinc Medici ſtatim dorſum inſpicere debent, & quidem ab initio, ut certiores de præſentia illarum reddantur.

Subjectum adæquatū Variolarū & Morbillorum primarium, ratione febris, necnon ipſarū puſtularum & macularum aſſignatur.

Quod attinet ſubjectum *cauſæ* ſeu *inhæſionis*, eſt Maſſà ſanguinis & Lympha, imò omnes partes ſolidæ & internæ v.gr. ventriculus, inteſtina, pulmo, jecur &c. in quibus ſepultum jacet ſeminium, nec excludendo glandulas, ut teſtantur cadaverum Variolis mortuorum ſectiones.

Subjectum cauſæ ſeu inhæſionis

CAPUT

CAPUT V.

De Causis Variolarum & Morbillorum.

Causæ Variolarum & Morbillorum.

Variæ à variis Authoribus recensentur.

ABsolutâ Variolarum & Morbillorum identitatis, earumque differentiæ & subjecti explicatione, ad causas earundem convertimur, de quibus eò acrius disputant Medici, quò inutilior & incertior est illarum inquisitio, nam sive ab aëris vitio, sive semine, sive sanguine menstruo ut *Arabes* & *Willisius*, sive sanguinis impuritate ut *Galenus*, sive sale, sulphure & Mercurio, ut *Paracelsus*, sive veneno ignoto quo cruor inficitur & Archæus exasperatur, ut *Helmontius*, sive ab acri-salso lixivio, ut *de le Boë Sylvius*, sive ab implantato nobis principio ex lacte nutritivo, in & extra uterum hausto, & in liquamen acido-salinum abeunte, ut *Ettmüllerus, Dolæus*, sive aliis ex causis oriantur, eadem vix non curandi ratio est. Attamen aliorum imitatione, nè quid videamur omittere, de iis omnibus in specie agemus.

Verùm tamen, si unquam in magnâ versamur caligine nos Medici, ea frequentissima contingit in causarum cognitione, ut ortum sit tritum illud & vulgare proverbium: *felix qui potuit rerum cognoscere causas.* Verissimum proinde sit etiam dictum Hippocratis *Lib. de flatibus:* qui morbi, inquit, cognoverit causam, is utique ex his quæ in corpore insunt, adepta per contrariam morborum cognitionem, facilè poterit quæ prosunt offerre: nam si in aliis, ceu minore luce cæcutimus, absque omni dubio hîc plane in sole cæci sumus: nihilominus, hôc non obstante, nobis liceat causam affectus nostri eâ quâ possumus brevitate & claritate prosequi: priùs tamen

Sciendum

Sciendum Imò. Medicos morborum causas ordinariè & primariò dividere in *Internas* & *Externas*. Internas rursum in *Immediatas* & *Conjunctas* seu *proximas*, seu *continentes*, & *Mediatas* seu *antecedentes* & *Remotas*. Divisio causarum quomodo & quotupliciter à Medicis fiat, indigitatur, I.

Sciendum 2dò. Causas internas continentes rursum esse vel *Materiales*, vel *Efficientes*, quas alii *formales* dicunt, unde II.

Sciendum 3tiò. Causam *Efficientem* eam in Definitione à nobis fuisse expressam, scilicet facultatem expultricem irritatam esse, quid autem sit, quòd facultatem seu naturam, seu ut Neoterici loquuntur Archæum irritet, hic Medici certant & adhuc sub judice lis est, quàm antequam decidamus, III.

Sciendum 4tò. Variolas & Morbillos omnes omninò homines occupare, juvenes & senes, virgines & vetulas, adeò ut virum octuagenarium, & fœminam septuagenariam me habuisse & curâsse Variolis laborantem, ipse sciam: Similes etiam casus plures refert Thiermair *in Consil. Lib.* 1. *Cap.* 7. *fol.* 90. IV. Omnes omnino homines Variolis corripiuntur.

Et quamvis unus aut alter reperiantur, qui hujus labis dixerint se immunes, tàm parum ipsis credendum, quàm certum est, eos iisdem adhuc corripi omninò sit possibile, aut saltem in utero matris jam communem stragem sustulerit. Prout tales casus refert Moëllenbrokius *in curiosis Medico Chymicis Germanorum Anni* 1670. *Obs.* 53. & Joannes Rhodius *Centur. Obs. Medic.* 3. *Obs.* 83. Et meâ propriâ autopsiâ (scissô puellô variolante ex matris utero Romæ in Nosocomio alla Consolatione dicto) contestari possum. Quin imò Variolas morbum esse in Islandia periodicum testatur Thomas Bartholinus *in dissertationibus de Medicina domestica*, his verbis: *Islandi alii præterea sunt ipsis morbo peculiari subjecti; species illa est Variolarum periodica, quæ singulis vicennis an-* Confirmatur Authoritatibus variorum.

E *nis*

nis redit, & observatum est omnes illos, morbo illo stato tempore non correptos, sequentibus viginti annis suum obiisse diem.

Fidem propè excedit, quod Petrus Borellus *histor. & observ. rariorum Medico physicarum Cent.* 3. *obs.*10. narrat. *Videtur* inquit *quivis non solùm in juventute, imò & in senectute Variolis cruciari, sed nihil adeò* (inquit ulterius) *circa has notandum occurrit, ac Mulier quædam Bononiensis Galla, quæ septies illas passa est, & Anno* 118. *tandem eodem morbo periit. Franciscus de le Boë Sylvius* refert multos bis terve in vita laborâsse Variolis, quin imò nonnunquam (ut ipse testis sum eôdem annô) observâsse se meminit. Thomas Willis *Lib. de feb. Cap.*16. doctè & breviter hac super re discurrit: *Convenit* inquit, *homini omni & soli & semel Variolis & Morbillis affici, si fortè quispiam totâ vitâ immunis degerit, aut alius in hos affectus sæpius inciderit, sunt hæc rara & insufitata naturæ eventa, quæ communi observationi minimè derogant.* Quòd si ergo ità est, ut videtur verissimum, quòd omnes hic affectus occupet homines, & miraculum sit, ut diximus, si quis immunis evadat, verum etiam erit, communem morbum esse, & communem ideò causam habere, teste ipso Hipp. *Lib.* 1. *de natur. hominis*, ubi inquit: *communes morbi communem causam agnoscunt*, ubi

Quid intelligamus per causam comunem. Sciendum 5*tò*. hic per causam communem nos loqui de causa materiali, non autem efficiente seu formali (ut pluribus infra) Variolarum & Morbillorum.

Causa communis quæ sit, & quotuplex. Causa autem communis, quâ scilicet omnes utuntur est vel *Aër* quem inspirando attrahimus, & extra ambiendo nos afficit; vel *Lac*, quo omnes utimur pro nutritione, vel *Semen* ex quo omnium hominum origo, generatio & principium, vel *Sanguis menstruus*, quo itidem partes corporis nostri coagmentantur & fiunt.

Doctissi-

Doctissimus *Fernelius* & cum eo non pauci, ex causa abdita seu potius arcanâ aëris qualitate proficisci putat, indeque fieri, ut certis temporum intervallis prorsus sileant, rursusque sæviant in plebem, præterea quod rigente cœlo, non minus quàm ferventissimo, generentur: Causam vero cur in Infantibus & pueris hæc magis familiaria sint, quàm adultis, hanc reddit, quod firmior sit ætas adultior, & tantillis malis non lacessetur, nisi cùm fortè constitutio gravior invaluerit. Sed malè sensit doctissimus Vir, quamvis enim interdum epidemiorum morborum more grassentur, id tamen non est perpetuum, sunt enim sæpius sporadicæ, id est sparsim vel hunc vel illum privatim corripientes, quod signum est Variolas & Morbillos tunc temporis non à causa communi, sed privatâ provenire, & quocunque anni tempore, in qualibet regione quidam hoc morbo conflictantur; in Septentrione, in Meridie, Ortu & Occasu, in universo demum terrarum orbe quidam perpetuo sunt, qui eô laborant, unde etiam interdum sæviunt in plebem; falsum tamen est unquam prorsus silere.

Fernelii opinio de causa communi.

Refutatur.

Itaque cùm omnibus communis sit hic morbus, & pueris maximè familiaris, ad aërem solùm referri non potest, quæ enim sporadicæ Variolæ sunt, non nisi ab interna causa possunt suscitari, singulis enim annis pueri quidam illis afficiuntur ubique gentium, etsi aër nec pestilens sit, nec malignus. Qui tamen si Variolæ & Morbilli solùm ex aëris vitio provenirent, singulis annis (quod avertant Superi) aër pestilens ac malignus dari deberet. Vel igitur ab aëre originem non ducunt, vel arcana illa aëris qualitas in universo terrarum orbe perpetua est, quod est absurdum & non verosimile; Accedit, quod si aër causa esset, non tantùm semel in vita sed sæpius, pestilentium & malignarum more infestarent, quod tamen fieri non observatur, nisi rariùs, ut supra allegavimus.

Quin tamen quandoque, etiam sæpius à contagiosa causa cœlesti, materia Variolarum commota ad fermentationem & actum deducatur, non video cur tam strictè & fundatè negari possit. Altera secta, quæ paucos habet fautores, *Lac* quo infantes nutriuntur, causam esse statuit: Sed malè æquè ac prior, absit enim, omnium nutricum lac esse vitiosum, quia aliàs in universum omnes nutrices laborarent, ob vitiosi scilicet sanguinis perpetuum proventum, quin imò sæpe videre contingit, partus hac lue perfusos fuisse editos antequam lacte fruantur. Tertia classis eorum est, qui *Semen* quasi ex primis generationis principiis causam horum affectuum asseruerunt, verum minùs fundatè, quamtumvis enim concedamus, Semen commune ac proprium quoddam generationis principium esse, ac proinde rationem communis causæ ipsi competere posse, negamus tamen tantò firmiùs, idem semen causam Variolarum & Morbillorum esse posse; Ratio, quia ab eo morbi quidem hæreditarii, sed tales qui totâ vitâ perdurant, ac per vices sæpiùs affligunt, oriuntur; Variolæ autem & Morbilli, qui communiter semel, rariùs bis, rarissimè hactenusque inauditum ter recurrunt, contrariam naturam obtinent.

Lac esse causam comunem etiam non admittitur

Semen esse illam causam etiam refutatur.

Sed dices, semen, ex dictis, æquè est principium generationis sicut sanguis menstruus, ergò si dictus sanguis potest esse causa horum affectuum, etiam semen poterit esse causa? *Resp.* esse disparitatem, quòd semen sit principium formale, materiale verò sanguis maternus, sicut autem principium formale ut tale, non potest esse materiale & è contra, ità multa competunt principio formali, quæ materiali denegantur, & multa producuntur â principio formali, quæ non producuntur â principio materiali, & vice versa, ut supra in proëmio de vi hæreditaria diximus.

Objectio.

Responsio ad objectionem.

Communissima tandem eaque hactenus probabilior opinio, quam *Arabes* primò protulerunt, *Galenus* & omnes ferè

An diathesis seu di-

ferè Authores tenent, est, hujus morbi causam esse, *reliquias* seu *diathesin*, seu connaturalem dispositionem *sanguinis menstrui*, quo in utero fœtus elevatur; fœtum enim in utero sanguine maternô sustineri, apud omnes in confesso est veteres, primis quidem mensibus purissimo, sed increscente fœtu purum vitiosumque simul absumit, eoque magis quo fœtus est grandior, plurique alimento eget ad sui nutritionem.

(Dispositio connaturalis sanguinis menstrui sit causa Variolarum communis)

Huic *Arabum* & aliorum hactenus gravissimorum Virorum veterum sententiæ se opponit Mercurialis *de morb. puerorum Lib. 1. Cap. 2.* asserens: *hæreditariam esse, & à parentibus in filios derivari hanc aptitudinem Variolarum.* Hæc Mercurialis: oppositio, licèt in ratione utcunque fundata sit, attamen tàm firma non est, ut ob eam sententia Arabum ex toto rejiciatur, nam ut supra dictum, Sanguinem & humorem quem in utero materno haurimus omnes, plerumque non ex toto defæcatum esse, sufficienter comprobant impura fœminarum menstrua saltem ex parte, præsertim fœtu grandescente pro alimento ejusdem destinata; quid igitur mirum, si hæc impuritas per alimentum commune in nos derivata, hæreditariâ quadam successione in omnibus propemodum seriùs aut citiùs depuretur, de quibus fusiùs in sequentibus.

(Probatur sanguinem menstrui esse horum affectuum causam.)

Nec obstat doctrina Galeni 5. *Epid. Comment.* 7. *tit.* 73. Ubi inqvit: *meliorem sanguinem ad se trahit nutrimenti causa infans, deteriorem autem relinquit, unde prægnans pravis humoribus impletur, quos in partu natura evacuat, ideoq; hunc locum intelligendum esse de fœtu primum formato, non verò dum incrementum sumpserit, ubi purum cum impuro sumere opus habet, quin imò impossibile creditur, quin grandior fœtus aliquid de pravis humoribus non simul attrahat, præsertim cum in gravidis menses supprimantur, per quos aliàs natura singulis mensibus*

(Quomodo Galeni doctrina intelligenda de nutrimento fœtus.)

 sibus

sibus, id quod vitiosum in corpore cumulabatur excernere solebat: unde eo tempore quô fœtus major factus est, matres & plenitudine & vitiosis humoribus minùs laborare, & symptomata, quibus ob sanguinis copiam & pravorum humorum retentionem anteà vexabantur, evanescere observantur: hujus autem sanguinis impuri malâ qualitate fœtus inficitur, unde solidæ & carnosæ partes eâ labe inquinatæ, accedente causâ aliquâ procatarcticâ excitante ebullitionem, cujus causæ beneficiô ebullitio fit, quâ ratione semel saltem si non sæpius in vita depurari postulant; quæ sententia à doctissimo *de le Boë Sylvio*, novæ sententiæ si non fundatore, promotore certè eximio, nec recipitur nec rejicitur: inquit enim loco citato suprà: *quemadmodum autem nullam novi rationem urgentem, quæ hoc assertum evertat, ità nullam etiam novi, quæ idem potenter adstruat.*

Sylvius suam cum antiquorũ sententia de menstruo sanguine combinat. Quid fermentum Variolarũ sit, & quomodo fœtui communicetur.

Interim tamen si juxta nostram & recentiorum mentem, debitè interpretetur, non omnino improbabilis videtur; nam quod illi dicunt Veteres de sanguine materno, nos, de universo sanguine à toto corpore per uterum seu illius vasa fœtui communicato asserimus: In fermenti autem ratione hoc in casu in eandem coincidimus, scilicet, nil aliud esse, quàm fermentationem omnium succorum in sanguine, in corpore nostro contentorum, ordinariam, fœtui per uterum communicatam, & eidem postmodum identificatam. Quippe verum est in utero muliebri (idem secundum nos dici potest in toto corpore) secus ac in aliis plerisque animalibus, generatur fermentum quoddam, quod Sanguinis massæ communicatum, ipsi vigorem ac pneumatosin conciliat, ac deinde statis periodis turgescentiam & sanguinis superflui excretionem procurat, & hinc ego motus sum purgationem menstruam mulierum aliud non esse, quàm fermentum succorum, existentium in utero ex corpo-

re

re eò delatum, quod fusius proprio loco demonstrabitur, & de hoc videri potest Graff *de Mulier. organis fol.* 140. & 141. Tempore verò conceptûs cùm omnino desistant menstrua, plurimum hujus fermenti fœtui impertitur, ejusque particulæ cæteris quibuscunque heterogeneæ, velut quid extraneum humoribus seu omnibus succis & massæ sanguineæ perfunduntur, quibus involutæ & à se invicem separatæ, diù delitescunt, postea tamen à causa evidenti commotæ, cum iisdem fermentantur, ipsisque *ebullitionem*, ac deinde *coagulationem* vel *resolutionem* inducunt, à quibus plurima hujus morbi symptomata oriuntur.

Quomodo illud fermentum in actum deducatur.

Quid autem fermentum in genere sit, quæ ejus causa, propritas, finis & effectus, diximus in titulo de febribus in genere, necnon in capite de febribus malignis, ubi fusissimè sumus ratiocinati, & infrà adhuc ubi de indicationibus egerimus, præcipua quædam annectemus; in præsenti interim sufficiet hæc pauca ad rem apta noscere.

Fermentativa hæc semina seu succi, modò sunt pauci & mitiores, modò aliis corpusculis ità involuti, ut non facilè emergant & in actum deducantur; quandoque etiam sunt plures & ferociores, ità ut levi quavis occasione in hunc morbum maturentur, ac in quibusdam major vel minor, magis benigna vel maligna fit ebullitio, atque hinc quidam citiùs & primis annis, alii magis vel minùs, alii benigniùs, alii ferociùs corripiuntur, hinc alii primis annis, alii non nisi provectâ ætate, alii per contagium periculosè, alii sine periculo hanc labem suscipiunt, unde fit quòd Pueri sæpissimè evadant, Senes autem plerumque pereant, idque ob mox datam rationem, præterea quia in pueris & juvenibus transpiratio facilior est, corporis etiam habitus firmior & salubrior. Adde quòd ex eâdem ratione mox datâ (licèt venenata huius morbi semina ut plurimum semel vel unicâ ægritu-

Rationes adducuntur quare quidam citiùs aut tardiùs, quidam graviùs, alii benigniùs &c. his affectibus afficiantur.

Quare quidam sæ-

pius Variolis corripiantur, datur ratio. Quare quidam citiùs alii longiùs liberantur. ægritudine solent difflari) quandoque accidat tamen, ut parte miasmatis adhuc relictâ, bìs aut ter ægri in hunc affectum incidant. Præterea quô dulciores & pinguiores hi succi vel semina sunt, eò mitiùs & diutius fermentationem suam peragunt, majoremque copiam spiritus effervescentis gignunt; quô macrior verò, & austerior succus seu semen est, eò impetuosiùs fermentatur, citiùs desinit, & consequenter pauciorem spiritum effervescentem producit: nullus enim unquam succus est, qui spiritum effervescentem actualiter in se contineat, sed is demum producitur in fermentatione, nullus etiam succus ante fermentationem inebriat, quia Spiritus effervescens, à quo omnis ebrietas proficiscitur, nondum adest.

Spiritus effervescẽs Primò per fermentationem in succis producitur.

Dices, vindemiatores dum colligunt uvas, ex comestione sola se inebriant, ergò ante fermentationem ille succus inebriat. *Resp.* negando consequentiam, eô ipsô enim dum ingeruntur statim incipiunt fermentari, & eô ipsô quòd fermententur, Spiritus effervescens adest.

Causa hæc semina fermentativa commovens adstruitur spiritus effervescens.

Causa ergo evidens, quæ hæc semina fermentativa seu succos commovet, & sæpissimè in actum deducit, est Spiritus effervescens, cujus rursùm causa est, vel ipsius propria activitas, vel contagium, vel dispositio aëris, vel sanguinis & humorum perturbatio, de quibus hìc obiter, fusiùs autem infrà; & hæc de causa Variolarum per se spectata.

Variolarũ modus fiendi comparatur vulgò ef-

Verùm, quæ sit hujus causæ & consequenter morbi hujus ratio formalis seu modus fiendi, res paulò intricatior videtur, vulgò comparari solet effervescentiæ musti, aut cerevisiæ, (idem dic de pyris, pomis, frumento seu pane, de acidulis & aquis quibusdam mineralibus) cùm in dolio depurantur, atque hoc à paritate sic deducunt: sicut enim vinum recens seu mustum in dolio spontè effervescendo & ebulliendo defæ-

defæcatur, & suam turbiditatem in fæces secernit, easque tàm sursum quàm deorsum à se propellit, quin imò, si idem mustum in dolium mucidum, aut pravâ seu vitiosâ aliquâ qualitate infectum infundatur, â dolio quidem malam illam qualitatem recipit, verùm dum per effervescentiam & ebullitionem depuratur, non modò se ipsum, verùm etiam dolium puriùs reddit, nisi forsan mucus ille dolii nimius sit, ut effervescentiam impediat, sicut sæpe fit, dum vina in his vasis priùs corrumpuntur, quàm effervescant, & sic turbida potiùs maneant, cùm fæces non deponant, sordes, mucorem, lentorem, vermes, & ejusmodi corruptivas qualitates contrahunt, præsertim si etiam ambientis gradus alius sit, quàm fermentationi conveniat, uti contingit si non in cellario, sed in calore solis tales succi asservantur.

fervescentiæ musti aliisque succis, eorumque depurationi.

Modus autem fiendi hujus, talis est: nam si liquoribus istis aliquid fermenti adjicias, eorum particulæ cùm sint heterogeneæ & miræ activitatis, illicò per totam se diffundunt liquoris molem, crassiora & impura, quibus intricantur corpuscula variè exagitant, invicem deducunt & obvolvunt, donec effervescentiâ factâ, eadem ab intimo reliquorum consortio, ad extremam superficiem propellant.

Modus effervescentiæ declaratur.

Pari modo heterogenea hujus morbi semina seu particulæ, sanguinem in poris partium contentum, effervescere & fermentare faciunt, ut naturæ vi foràs propulsatus, efflorescat in cute & depuretur, atque ideò omnes Variolis & Morbillis obnoxios esse, nisi mors ex alia causa præveniat. Rationi succedit experientia, cùm enim sanguis humanus ex meris succis inebriativis, & fermentationem passis, nempe vinô, cerevisiâ, pane &c. constet, naturam fermentationis retinet, & juxta diversa temperamenta, citiùs vel tardiùs turbiditatem suam in Variolas & alia tubercula congregat, & expellit, quod in brutis non fit, quia non pascuntur rebus fermen-

Comparationis applicatio.

Confirmatur hæc effervescentia ab experientia.

fermentatis, ut homines: quemadmodum autem quædam musta inveniuntur, quæ vix sensibiliter fermentantur, sed mitissimè fæces suas sensim ad fundum dolii cadere sinunt, præsertim si aliquid Spiritûs effervescentis affundatur, is enim omnem fermentationem citò finit, dulcificando aciditatem, fermentationis authorem. Ità pariter quandoque, quamvis rarissimè homines reperiuntur, qui per totam vitam Variolas non experiuntur, eò quòd ejusmodi temperamentum nacti sint, insensibiliter turbiditatem suam segregans, vel ab aliquo inscienter assumpto præcipitante (de quo plura in curatione simplici) quô à manifesta fermentatione inhibetur.

Quare aliqui homines non experiantur in tota vita Variolas.

Hinc secundùm me firmum teneo, si interdum quædam malignitas aëris, Variolas & Morbillos epidemiales producat, quòd tunc non fiat per fermentationem naturalem, sed modum corruptivum, prout mox diximus fieri cum vino recenti, vel aliis succis dolio mucido infusis, in quibus fæces non deponunt, sed potius magis sordescunt, mucorem, lentorem, vermes (ut infra patebit) atque similes qualitates corruptivas contrahunt, idque ob ambientis gradum fermentationi contrarium, ut diximus, gradus etiam alius sit, quàm fermentationi conveniat, uti contingit, si non in cella, sed in calore solis tales succi asservantur. Idem ergò contingere in Variolis epidemicis dubium non est, ità ut infectus, impurus & naturalem constitutionem excedens aër, corruptivam & malignam qualitatem in corpore pariat, quam ob rem etiam plerumque Pestis sequitur: At si Variolæ cursum suum ordinarium teneant, tunc sanguis & succus corporis, per fermentationem suas fæces extrudunt, vinumque imitantur, quod per fermentationem spiritum acquirit effervescentem; fæculentiâ enim corporis per Variolas expulsâ, natura humana paulatim incipit fieri spirituosa, crescit enim sensim ratio, memoria

Variolæ & Morbilli dum à malignitate aëris producuntur, non fiunt per fermentationem naturalem, uti alias solent

Contrariù fit si cursum naturæ ordinarium teneant.

ria & judicium, ità ut demum fiant habiles ad usum mundanum, prout etiam vinum post fermentationem paulatim clarescit, & aptum fit pro potu: hinc ratio datur rursus à pari, quoniam sanguis necessariò ex statu primo in secundum, id est, ex impuro in puriorem & defæcatum transit, sicut mustum necessariò per defæcationem in vinum purum mutatur.

Dices, si hæc Variolarum & Morbillorum ebullitio fit, ad modum bullientis musti, ergò sequitur, sicut musti ebullitio seu effervescentia nunquam fit cum putredine, etiam altera fieri poterit, cum utriusque sit par ratio? *Resp.* Omnem similitudinem uti & hanc claudicare; imprimis quidem concedimus, fermentationem & effervescentiam hanc fieri ad modum ebullientis seu fermentantis musti, id intelligendum est cum restrictione, non in omnibus, sed in quibusdam tantùm: convenit ergo, quòd effervescat ad modum musti, at differt, *Imò.* quòd sanguinis effervescentia seu ebullitio fiat aliquando sine putredine, musti verò non, ut mox supra diximus, nam si musto accedat putredo vel corruptio, non effervescit, sed turbidum manet, nec fæces deponit, sed in alias corruptivas qualitates degenerat, & hinc effervescentia dici non potest, sed corruptio, cùm non fiat per fermentationem, sed per modum corruptivum. Præterea effervescentia seu ebullitio sanguinis rarò, imò nunquam fit spontè, qualis tamen plerumque fit in musto & cerevisia &c. sed à natura vi facultatis expultricis, per modum cujusdam criseos, fit ista vitiosorum succorum expulsio, ad quam natura à materiæ putridæ, aut quocunque modo appellare libeat, vitiô vel causâ externâ incitatur.

Objectio.

In quibus differat effervescentia sanguinis ab illa musti &c. I.

Atque ut candidè dicam quid hoc in puncto verè sentiam, sciendum est, si rem strictiùs consideremus, & paulo altiùs perpendamus, magnum in hac paritate apparebit discri-

 men,

Quomodo se habeat miasma Variolarũ. Adducitur ratio.

men, nimirum, ut mox dixi, miasma Variolarum habere se quidem uti fermentum, sed corruptivum, & sanguinem non versùs perfectionem, sed versùs depravationem effervescere cogens, quod non fit in musto &c. *Ratio* prioris est: cùm enim venenatæ hujus miasmatis particulæ, subjecto impinguntur, alia statim corpuscula sibi ipsis similia, & nobis connata exsuscitant, quibus associatæ, totam pervadunt sanguinis massam, eamq; insigniter turgescere & ebullire, ac post aliqualē effervescentiam, in partes secedere & coagulare faciunt, scilicet, dispersa veneni semina, cruoris mixtionem solvunt, spiritus puriores statim profligant, deinde crassiores ipsius particulas sibi consciscunt, & adhæsu suo velut congelatas reddunt; portiones ità coagulatæ, unà cum implexis veneni seminibus, à reliquo sanguine in circuitu ejus, inter vasorum extremitates derelictæ, cuti affiguntur: quo pacto si natura satis robusta, congelatò sanguine totum virus eliminat, reliqua cruoris massa, licet minor & pauperior facta, utcunque salubris, & vitæ prorogandæ habilis existit. Si verò cruor nimium coagulatus, hoc modo depurari nequit, vel si portiones sanguinis cum veneno coalescentes non plenè erumpunt, aut denuò intus restagnant, & sanguinis liquorem penitus corrumpunt, visceribus & imprimis cordi affixæ, eorum crasin & robur destruunt.

Modus qualiter sanguis in cute sua excrementa in Variolarum eruptione deponat.

Quomodo II. differat fermentatio sanguinis & musti

Differt 2dò. Fermentatio vini & sanguinis, quòd in vino nulla sit veterum partium absumptio, & novarum accessio, quin liquor vase conclusus, usque idem perstet, secùs fit in sanguine, in quo partes quædam continuò deperduntur, & earum locò, semper aliæ de novo generantur.

Quomodo III.

Differt 3tiò. Quod in vino cruditatis, maturationis & defæcationis tempora sint distincta, & successivè in toto pera-

peraguntur; in ſanguine autem triplex ille ſtatus eôdem tempore, & per partes celebratur.

Differt 4tò. Quod fermentatio in vino ſemel incepta, usque ad finem prorogatur, in cruore autem eò usque renovari debet, quò usque humoris nutritii particulæ non congeneres reliquo liquori adaptentur, quare ad hoc opus præter fermentationem ſemel in ſanguine inceptam, fermentis quibusdam opus eſt, quæ eandem aliàs deſtitutam aut deficientem conſervent, & perficiant. Hæc autem ebullitio ſeu fermentatio puſillis ut plurimùm, aliquando tamen adultis, & ætatis provectioris contingit, cujus ratio eſt, quod ſemper à causâ aliqua externa commoveri ſoleant, qualis inter reliquas communiſſima eſt, certa aëris diſpoſitio, huic morbo analoga, unde quoque fit, ut nunc Variolæ, nunc Morbilli graſſari ſoleant, quia nimirum illa aëris diſpoſitio, nunc his, nunc illis ſit magis analoga: circa quod tamen benè obſervandum, quòd ſi à causa excitante & externa, v. gr. aëre in actum deducantur, plerumque Variolæ & Morbilli fiant contagioſi, & epidemii, ſi verò natura ſolùm, â causa interna excitata & ſtimulata, hanc expulſionem tentet, plerumque privatim & ſparſim, morborum ſporadicorum modô, diverſo tempore nunc hos, nunc illos infantes invadunt. IV.

Quare ut plurimùm puſillis hæc ſanguinis fermentatio obveniat, datur ratio

Aëris varia diſpoſitio eſt cauſa quòd nunc Morbilli jam verò Variolæ graſſentur.

Si ab aëre procedant, ſunt etiam hi affectus contagioſi & epidemii.

Aliter, nec ineptè ac breviter hanc cauſam explicat *Avenzoar* cum *Hippocrate de natura puerili*, hoc modo: fœtum quidem puriſſimo ac dulciſſimo ſanguine nutriri, ſed labem illam ab utero impuro, non ſecus ac vinum in dolio fœtente ſolet contrahere, eamque ubi ex utero excluſus & robuſtior factus, per ingentem naturæ conatum (ut denotant deliria & febres &c.) excutere, qualiter fit butyrum ab agitato lacte, quod primâ vice ſeparatum â lacte ſeroſo, ſeparari amplius minimè poſſit, quia ex ejus potentia educi non valet ulterius, unde eſt, quod ſemel tantùm homines in vita Variolis labo-

raverint, cùm nempe tota deferbuit sanguinis massâ, nihilque remansit ex illo fomite hæreditario, aliàs enim bis tervè laborarent homines, quod est contra *Averrhoëm*: verùm tamen prior sententia ejusque explicatio magis arridet, infantem quidem purissimo sanguine primis ingravidationis diebus nutriri, non inficior, dum tamen grandior fit fœtus, impurum etiam attrahere sanguinem, certissimum est. Ex qua deinde causa, sive internâ sive externâ commovente, ut infra dicemus, accedente, hi affectus producuntur.

Hæc hactenus prolata sententia, quamvis multis fulcita rationibus, pluribus tamen infestatur argumentis in contrarium, quæ proinde ordine proponenda & refutanda, ut tanto firmiorem opinionem nostram proposuisse videamur.

Objicitur I. contra hactenus prolatam sententiā, & probatur fœtum non nutriri impuro sanguine.

Objicies Imò. Non videtur fœtus nutriri sanguine impuro, sed potiùs purissimo, à quo nulla labes solidis partibus inuri potest, teste Galeno 5. *Epid. Comment.* 3. *tit.* 73. Et Hipp. *Lib. de natura pueri*, inquit: *trahit fœtus quod dulcissimum est ex sanguine*, unde *Galenus* dicto loco infert, *fœtus purissimo sanguine nutritur*, si enim in gravidis recentus ille sanguis, tot gravia symptomata generat, quomodo ergò innoxiè fœtus eô frueretur; accedit, quod selectissimi olim & etiam moderni, ac recentiores Medici, in dubium movent, utrum fœtus in utero sanguine ejusmodi nutriatur, & partem negativam mordicitùs defendunt.

Respondetur. I.

Resp. Imò. nutriori fœtúm purissimô quidem quantum potest, & quamdiu pusillus ac tenellus est, sed eô increscente, semper impuri aliquid prolectare, aut saltem ab impura portione inquinari, sicut vasa à rebus impositis inficiuntur, ideò natura illas impuritates per cutaneas excretiones tandem cogitur secernere.

II.

Resp. 2dò. Sanguinem quo alitur fœtus, quemque è venis allicit, purum quidem esse naturâ suâ, non nego, sed humorum qui ex utero expurgari solent, colluvie inquinari omninò assero, ut testatur

testatur Aristoteles 10. *de hist. animalium; uterus*, inquit, *membrum servile, ad ea expellenda constitutum, quibus corpus expurgari debet.* *Resp.* 3*tiò.* Dubium à recentioribus motum, alio loco à nobis resolvendum proponemus. III.

Objicies 2*dò.* Sæpius homines patiuntur morbos gravissimos, multas febres, in quibus ob sanguinis effervescentiam, & vena secatur, & purgationes aliáque remedia instituuntur, pro depurando corpore, quæ ergò ratio est, quòd venenum illud post multas febres, post multos morbos superatos, non fuerit quoque ex fermentatione evacuatum? Quæ præterea ratio, quòd mulieres, quæ ex menstruorum suppressione laborant, iisdem malis non sint obnoxiæ? *Resp.* Imò. Non quamlibet effervescentiam Variolas procreare, sed eam tantùm, quæ ex sanguinis menstrui reliquiis prodit, si enim illa sola in venis fiat simplex fermentatio, ut in Synochis febribus, nulla fient exanthemata, unde. *Resp.* 2*dò.* Quòd in suppressione menstruorum, fœminæ ægrotantes Variolis non corripiantur, ratio hæc est, quia sanguis per partium substantiam non disperditur, nec malignam illis qualitatem imprimit, sed venis continetur, & ideò Variolæ non fiunt. Objicitur II. Respondetur I. Respondetur. II.

Sed urgebis: Hippocrates *Lib. de nat. Pueri,* inquit, *tres esse partes in sanguine, unam purissimam, quâ nutritur fœtus, alteram impuriorem, quâ nutritur mater, & tertiam impurissimam, quæ in venis, toto gestationis tempore, uterinis asservatur, & post partum per lochia expurgatur, ergò cum mater impuriori quàm fœtus nutriatur sanguine, citiùs æquè ac fœtus hoc malo inquinari potest.* *Resp.* hunc Hippocratis locum minimè nobis obstare, posito enim non concesso, matrem impuriori sanguine nutriri, ex eo tamen malè sequitur eam citiùs hoc malo corripi, cum alia quæ id ipsum vetant, occurrant. Primò enim cùm mater partes habeat duriores & solidiores, non tam facilè recipiunt impressionem, quemadmodum Urgetur. Respondetur ad id. Rationes adducuntur quare

fœtus potiùs hoc malo, quàm Mater corripiatur.

modum fœtûs corpus tenellum; deinde portio illa ſanguinis impuriſſima, quæ aſſervatur in venis uteri & ſecundinarum, toto geſtationis tempore, inficit in tranſitu ſanguinem, qui defertur per ea loca ad fœtus nutritionem, unde fœtus contrahit malam qualitatem, quæ ſuo tempore cauſa eſt effermentationis in ſanguine fœtûs, at verò portio illa impuriſſima, in dictis locis remanens, non inficit corpus matris, uti jam ſupra diximus, & rationes addidimus.

Inſtatur.

Sed rurſum inſtabis, vertitur ſanguis menſtruus in partium ſubſtantias nutritione, ſed partes non patiuntur ebullitionem, aut effermentationem, ergò ſi in venis continetur, in iis quoque eandem patientur matres. *Reſp.* non ipſas quidem partes effерveſcere, ſed ex maligna illa qualitate, quã ex menſtrui reliquiis contraxerunt, humores & ſucci eaſdem inficiunt, qui efferveſcentes in cutim propelluntur, ſicque partes ipſæ depurantur; ſicut vaſa quæ non ſunt ſincera, ſed mucida, vinum inquinant, quòd ſi illud efferveſcat, ſimul quoque vaſa expurgantur.

Reſpondetur ad inſtantiam.

Objicitur III.

Objicitur 3tiò. Si fiunt à ſanguine menſtruo, cur non ſtatim primis menſibus & annis, quibus debilis & tenellus eſt infans, ſed ſæpè longè ob ortu, in ipſa ſenectute ſe produnt, quæ ratio eſt, quòd tam diu ſine noxa, venenoſa illa ſubſtantia potuerit retineri? Antequam reſpondeam, ſciendum, quòd illæ impuritates ſubſtantialiter in corpore remaneant, ut plerique docent, ratio, quia morâ longiſſimâ corrumperentur & putredinem deterrimam acquirerent, ſed ab iis prava tantùm quædam qualitas, partibus fœtûs imprimitur, *quâ ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu*, quæ tandem humorum partem aliquam inficiens, naturæ moleſtior redditur, eâque ſuo tempore inſurgens, infectas illas humorum portiones ad cutem propellit. Unde *Reſp.* ad factam objectionem, quòd hi affectus modò citius, modò tardiùs

Reſpondetur. I.

diùs oriantur, ideò fit, prout nimirum materia pauca fuerit vel copiosa, naturam vel parum, vel nihil irritârit, sic latet sæpe per annos plures venenum, nec nisi post longissimam temporis moram sese exerit, ut patet in rabie, in luis venereæ & elephantiacorum virulentâ labe, quæ per multos annos occultantur, idem dic de Mercurio, Antimonio, Arsenico, quæ diù latent in corpore, antequàm virulentiam prodant. Ideò non semper excretio hæc statim à natura instituitur, nisi aut contagiô, aut externarum causarum vi stimuletur, ideò epidemiorum more interdum Variolæ sæviunt, ratio, quia ab aëre incitatur natura ad excretionem, quæ aliàs otiosa fuisset, vel quia materia pauca est, vel quia natura assueta est. Labes autem illa solidis partibus impressâ, si exigua sit, nec externæ causæ vi commoveatur, sensim alimentum inquinat & multiplicatur, ingravescit in corpore, donec à natura amplius ferri non possit, hincque sese tandem in virili & consistente ætate, vel planè in senectute interdum prodit, citiùs verò, si copiosior illa fuerit acriorque, ut in iis, qui pueri hos morbos patiuntur: eam autem accelerat impura victûs ratio, quæ humores pravos coacervat, â quibus citiùs corpus ægrotat. *Resp. 2dò.* Et breviùs, hanc quæstionem (quòd nimirum ad tempus innoxiè ejusmodi affectuum semina in corporibus delitescant) esse de lana caprina, quomodo enim non raro semina aliarum febrium, præsertim petechialium, latent: an non habemus sanguinem ità â nativitate constitutum, ut datâ occasione plures mutationes, coagulationes, fusiones subire debeat, ut pauló ante de rabie aliisque venenis dixi, & dici potest?

Sicut venena per longum tempus innoxia subinde in corpore latent: ità etiam fermentum horum malorum.

Respondetur. II.

Objicies 4tò. Sequeretur, unumquemque his aliquando in vita corripi debere, contrarium tamen evincit experientia, cùm multæ familiæ sint, quæ his affectibus nunquam obnoxiæ fuerunt, ità Diemerbröeck *tract. de Variol. Cap.3.* & ego

Objectio. IV.

ego, in propria mea Socro & Uxore asseverare possum; neminemque his posse secundò vel tertio affici, quòd experientiæ repugnat. *Resp.* si veritati simul & experientiæ standum sit, candidè fatemur, vix millesimum hanc labem effugere, nisi juvenis ex alio morbo decesserit, vel in utero matris detentus, eâdem coinquinatus fuerit, ut testantur multa Authorum exempla, de quibus supra jam dictum est: Vel dicamus, quòd causa Variolarum vel Morbillorum quæcunque demum illa sit, sub alio morbi genere possit prodire, capitis v. gr. tineâ, scabie, pustulis, ulceribus & aliis id genus, idque exinde patet, quòd, qui similibus affectibus priùs tentati & multum affecti fuerunt, rarò Variolis & Morbillis laborent, & licet iisdem corripiantur, longè mitiùs & parciùs afficiantur, & vicissim, qui abundè Variolas passi sunt, à scabie & aliis ejusmodi morbis esse insontes. Hunc affectum autem non facilè repetere, modò sufficiens & copiosa fuerit excretio, nec nisi ex relicto fermento, quod postea novi morbi historiam orditur; ratio, quia teste Hippocrate: *quæ in morbis relinquuntur recidivas facere consueverunt.*

Respondetur ad objectionem.

Alia responsio.

Objicies 5tò. Variolæ sunt novus morbus ante Arabes vix notus, ast vitium menstrui est sempiternum. Ergò. *Resp.* Jam supra ostendimus, hunc morbum minimè recenter excitatum, sed Græcis fuisse cognitum.

Objicitur V.

Responsio.

Objicies 6tò. Variolæ fiunt vitio aëris, ut plerique tenent, & autopsiâ probant, fuisse ferme extinctos incolas Variolis, morbidi cœli vitio contingentibus. *Resp.* breviter, non negando aërem esse causam, non autem proximam & internam, sed externam & remotam, quæ internam suscitat. Seu illud fermentum, ut patet, quantumvis morbidum sit cœlum, multique morbi ab eo pullulent, non fiunt tamen Variolæ, nisi in iis, qui hujusce labis seminaria continent, quin imò dico, illos, qui ad malignam aëris qualitatem Variolarum

Objicitur. VI.

Respondetur.

larum causam proximè referunt, totô cœlô aberrare, nam cum singulis annis, mensibus, diebus, puerulos hic morbus corripiat, aërem perpetuò inquinatum esse fateri cogemur, neque etiam pueros tantùm, sed etiam omnes homines ut Pestis invaderet, nec semel in vita tantùm sæviret, sed quoties inquinamentis conspersus esset aër, ut cæteri pestilentes morbi.

Objicies 7mò. Si â menstruo fierent Variolæ, quæcunque animalia menstrua habent, iis quoque forent obnoxia, ut equa, canis, asina, quod tamen nunquam fuit observatum. *Resp.* Bruta uti victu sinceriore & ficciore, vitam in labore degere, sicque sanguinis impuri reliquias digerere: Præterea, prædicta animalia menstruas habere purgationes etsi *Aristoteles* dixerit, id tàm verum est, ut inter multa millium millia vix uni contingat, parumque absit â fabula, hinc tàm debili fundamento subnixa ratio, sponte facilè corruat. Sed Objicitur VII. Respondetur.

Dices, si menstrui sanguinis impuritas fœtui communicata, Variolarum causa est, quare illas non producit in ipsis mulieribus, quibus menstrua præter naturæ ordinem subsistunt, & præcipuè in iis, quibus illa toto vitæ decursu non fluxerunt, & tamen fœcundæ fuerunt sæpiusque pepererunt, quarum plurima exempla inveniuntur apud Authores, uti referunt *Trincavellius, Guainerus, Bertinus, Marcellus Donatus, Joubertus, Fabritius*, & ego ipse exemplum habui in mea Cognata, quæ nunquam menstrua experta, octo filios consequenter peperit, & post octavum petechiis obiit. *Resp.* Quoad primum, quòd de cursu ordinario fœminæ quidem, quibus menstrua subsistunt, Variolis denuò non corripiantur, sed tamen contigisse, easdem iis sæpiùs fuisse correptas, quòd id autem ordinariè non contingat, non sufficit sola sanguinis materni subsistentia, sed illa certa & specifica im- Instatur. Respondetur.

 puritas

puritas fermentativa, (de qua fusiùs alibi,) adesse oportet. Neque etiam tàm facilis est impressio in solida & adulta fœmina, quæ est in subtili & tenero infante, cui quævis stigmata, quasi ceræ facilè imprimi possunt. *Resp.* ad 2*dùm.* Licèt fœminæ reperiantur nunquam menstruatæ, nihilominus non repugnat, quin in illarum utero miasma illud, Variolarum incitabulum, reperiri possit; experientia hoc testatur, cui standum, & non similibus parum fundatis rationibus.

Respondetur quoad secundum.

Objicitur VIII.

Objicies 8*vò.* Natura tribus modis omnia fœtûs excrementa repurgat. *Primò* deponuntur ea inter duas tunicas usque ad partum; *Secundò*, statim à partu per intestina excluditur meconium; *Tertiò* & tandem per achores capitisque ulcera fit nova excretio, quæ pueri excrementa ità secernit, ut ab epilepsia, aliisque morbis imposterum tutus maneat. *Resp.* Superesse quartam expurgandi rationem per exanthemata, nec enim prædictæ excretiones sufficiunt, siquidem membranæ fœtum involventes sanguinem tantùm continent, quem infans non attrahit, impurum quidem & vitiatum, sed qui tamen illum non inficit: meconio quoque non posse luem partibus conceptam educi, certum est, tùm quia locus accomodatus non est, tùm quia excretio exigua est, nec sufficit tandem humori vacuando. Achores etiam non universum corpus, sed solùm caput expurgant, necessariò igitur menstrtuale vitium per corporis habitum debebat removeri. Fiunt igitur exanthemata, cùm sanguis (sicut vinum in doliis fervens depuratur,) spumam suam & halitus crassiores ad cutem demandat, etenim ex pituitosiore fieri sanguine, ostendunt symptomata, fiunt enim somnolenti, caput ingravescit, oculi tument & lachrymantur, febris non est admodum vehemens, extuberantque patulæ; Morbillorum verò materia tenuior, maculas tantùm inurit.

Respondetur.

Objicies

Objicies 9nò. Si ad maternum ſanguinem referenda eſt Variolarum cauſa, tunc in liberis diverſis ab eadem matre prodeuntibus, neceſſariò eodem tempore efferveſcere deberent, quòd ſæpè contrarium obſervatur. *Reſp.* In diverſis liberorum corporibus, immutari pro ſingulorum temperamentorum varietate ſingula, ſic divus Senex ait: *differre ætatem ab ætate, naturam à natura*: negare interim non volumus, hoc malum etiam frequentiùs in conſanguineos æqualiter graſſari, non quidem hæreditario jure,ut multi volunt, ſed quia utplurimùm conſanguinei æquali gaudent temperamento, æquali humorum motu &c. id tamen perpetuum non eſt. Objicitur IX. Reſpondetur.

Hactenus factas ex antiquiori tripode objectiones, ſequuntur aliæ quas Neoterici in medium proferunt.

Objicies 10mò. Ex *Helmontio*, qui etiam huic ſententiæ contrariatur, & aſſerit, Variolarum & Morbillorum cauſam non eſſe menſtruum ſanguinem, rationem addit, quia tunc dum nutritur fœtus, menſtruum non eſt; unde judicat potiùs illas oriri ex veneno, quô cruor inficitur. & circa ſtomachum, ob Archæi exorbitationem accenditur. *Reſp. Helmontii* authoritatem hoc in puncto non adeò eſſe attendendam, quia ſicut in omnibus, ita etiam in hac materia adverſarius eſt omnium, aliorum mentes opprimit, & de ſua nihil exprimit, dicit enim ex proprio ore in ſuo libro; *Variolas oriri ex veneno quo cruor inficitur, ſed hujus veneni* (inquit) *eſſentia non eſt demonſtrabilis à priori, ſed per effectus proprietatem veneni mentitur*; quô fundamentô autem adſtruit Author ſententiam,cujus ſententiæ baſis mentiri eſt? Sequuntur Objectiones Neotericorum. Helmontius probat ſanguinem menſtruũ non eſſe cauſam dictorum affectuum, & ſuam adducit.

Diemerbroëck candidè fatetur, cauſas Variolarum occultas eſſe, & à nobis explicari non poſſe.

Franciſcus de le Boë Sylvius pariter negat, cauſam Variola- Sylvius antecedentẽ

causam statuit in glandulis renalibus. Causam proximam dicit esse acrimoniam. riolarum & Morbillorum sanguinem menstruum esse, sed illarum causam antecedentem in glandulis renalibus latere statuit, à causa procatarctica (id est vel aëre maligno, vel alimentis peculiaribus, vel terrore &c.) sæpe excitata. Causam verò proximam attribuit vel acrimoniæ salino-lixiviosæ, vel acrimoniæ mixtæ.

Michaelis Lympham. *Michaelis* causam proximam adstruit lympham, quovis modô, seu vitio digestionum, seu inspiratorum, corruptam, & in liquamen acido-salinum præter naturam transmutatam, ejus naturam esse volatilem, cùm sit contagiosum, glandulosas quoque partes maximè occupans.

Cartesius convenit cum Helmontio. Mercurialis sanguinem esse parentum asserit. Adducuntur opiniones. Kircheri. Lindani. Digbæi. et aliorum *Cartesius* cum *Helmontio* in veneno innominato subsistit. *Mercurialis* à sanguine Parentum jure hæreditariô deducit, ab aëris tamen vitio descendere etiam non negat. *Kircherus* ad animatam putredinem refert, cui se subscribit *Lindanus*, qui exanthemata nil aliud esse dicit, quàm verminosorum effluviorum conceptacula & hospitia. *Digbæus* in sanguine qui post partum in vasis umbilicalibus remanet, causam hanc quærit, de qua opinione audientur infra plura. Alii sunt qui ex repetita post semel factam conceptionem venerea libidine deducunt.

Ettmüllerus & Dolæus ajunt Lac esse causam. Explicatur quomodo id fieri possit. Hodierni Authores, inter quos est *Ettmüllerus* & *Dolæus*, statuunt, esse in nobis aliquod implantatum principium, ratione cujus nemo Variolas & Morbillos effugere queat, cujus causam deducunt ex lacte nutritivo, tàm in, quàm extra uterum hausto ab infante, quatenus hoc, more omnium lacticiniorum facillimæ corruptionis, abeat in liquamen acido-salinum, ut testantur foveæ, & sub viscidítate sæpe diu, imo ad plures annos in tubulis aliisque locis latent, quod postmodum acidum aliquandiu occultatum, tandem occasione datâ, vel ab aêre, vel contagio, vel victu &c. producta, massæ sanguinis, per fermentum simile extrinsecus haustum, successi-

ſucceſſivè quaſi coagulando, tandem perniciosas febriles efferveſcentias excitat, donec per vaſa capillaria hinc inde ſub cute defixa, beneficio glandularum ſubcutanearum milliarium excernatur, & ibidem ſub cuticula hærendo, ſucceſſivè in puſtulas coacervetur, quarum ſuccus nitroſo-acidus, efferveſcendo ulterius miteſcit, & in pus abit, quod in cruſtam tandem deſinit. Quæ ſententia, uti nova, ità etiam fundata nobis videtur, nihilominus tamen ut & Veteri & Novæ ſententiæ favere videamur.

Reſolutis igitur hactenus objectionibus atque aliorum opinionibus, firmum manet tàm juxta Veteres quàm plurimos Neotericos, inter quos *Williſius*, Variolarum & Morbillorum cauſam continentem eſſe Archæum, ſeu facultatem expultricem irritatam, cujus cauſam proximam ſeu antecedentem eſſe ebullitionem, ſeu efferveſcentiam peculiarem, reliquiarum ſanguinis menſtrui aceſcentis, quæ redigendo ſe in actum, totam & univerſam ſanguinis maſſam ebullire & efferveſcere facit, ubi

Veterum & Neotericorum in cauſis Variolarum convenientia.

Notandum I*mò*. Acidum adeſſe in Variolis, teſtantur foveæ ſæpe in facie remanentes, item ulcera maligna latè ſerpentia, & tàm internas quàm externas partes quandoque erodentia:

Notandum 2*dò*. Non quodvis acidum in corpore noſtro peccans hic intelligendum eſſe, acidum enim ut ſic, latum habet imperium, & multis attribui poteſt: nam aliud in Podagra, aliud in Epilepſia, aliud in Morbillis, aliud in Variolis concipi debet. Et licèt hæc & omnia alia acida, in ſe ab invicem ſpecie non differant, & ad unum genus referantur, tamen ſecundùm magis & minùs, vel potiùs in modo, ita ut aliud magis fixum, aliud magis volatile, aliud hoc modo, v. gr. ſapore, odore, colore, denſitate, raritate &c. aliud alio modo ſit conſtitutum. Acidum autem in Variolis eſt

acidum

acidum salino-volatile, ut ex contagio apparet: hoc quandoque fieri corrosivum patet, ut mox diximus ex foveis &c.

Effervescentia seu ebullitio quotuplex. Notandum 3tiò. Hanc ebullitionem seu effervescentiam in causis expressam, juxta doctrinam *Avicennæ*, ità & modernorum duplicem esse, unam *perfectivam*, alteram *corruptivam*. Quid perfectiva seu depurativa *Perfectiva* seu depurativa ea est, in qua partes tantùm impuriores, & excrementitiæ sanguinis putrescunt, & à natura expurgantur, ut tota massa pura postmodum relinquatur, & tunc Variolæ fiunt, quæ sine ullo medico auxilio curantur. Quid corruptiva. *Corruptiva* verò est, in qua non solùm partes sanguinis excrementitiæ, sed etiam ipse sanguis sincerus computrescit, unde periculosæ & lethales Variolæ oriuntur, & pro majori vel minori putredine, majoris vel minoris participes, plures vel pauciores sanguinis partes occupantes, majus vel minus periculum emergit, Quando soleat hæc corruptiva ebullitio contingere talis effervescentia corruptiva præcipuè contingit, dum epidemicè grassantur isti morbi, & à maligna aëris constitutione excitantur, à qua humorum effervescentia, & maligna putredo ducitur, unde Variolæ multæ & periculosæ generari solent, quæ aliquando Pestis prodromi & nuntii esse consueverunt.

Cùm hic facta sit mentio perfectionis corruptivæ & putredinis, tempore Variolarum quandoque obtingentis; pauloque supra breviter insinuaverimus ex *Kirchero*, ob nimiam corruptionem & putredinem, in Variolis vermes & alia id genus progenerari, me quoque hoc loco non posse non meminisse, sententiæ cujusdam recentioris, asserentis, in suis *Miscellaneis curiosis medicis* §. 55. Variolas esse animatas, hoc est, Adfertur sententia cujusdam Authoris, Variolas esse animatas asserentis. esse animatum, ac innumerorum minutissimorumque adinstar Atomorum insensibilium vermiculorum pullulaginem, non absque singulari naturæ providentia (ut putat Author) productam. Subdit enim §. 58. verminosam hanc putredinem, videtur natura moliri pariter non sine intentionis benignitate,

gnitate, dum causam morbificam, & pessimi moris excrementa, alis ac pedibus velut instruere sic tentat, quô citiùs illa (causa nempe morbi) aufugere & ex viridario vitæ exstirpari queat. Sunt ergo pustulæ, (pergit §. 59.) seu sordidæ illæ papulæ, nihil profectò aliud, quàm verminosorum effluviorum conceptacula & hospitia: Hæc animalcula seu vermiculos Author §. 69. efformat multipedes, & instruit rostrellis acutissimis, atque hanc causam esse putat, cur post Variolas cicatrices & foveæ remaneant, ut videre est §. 72. Denique nè in hoc morbo aliquid imperfectum remaneat, curam aggreditur Author, suisque mordentibus animalculis dentes evellit instrumentis variis, *in promptu habeo*, inquit §. 113. *pulverem admirabilem, magisterium manuum, pulverem renovationis, magisterium roboris, margaritam bezoarticam &c.* Curationi præservationem subjungit § 114. & 115. & *Essentiam benedicti valoris,* quæ primùm ante trimestre sibi innotuit, se habere asserit, quâ Morbillos & Variolas ita præservare possit, ut ad incrementum, vigorem seu statum pervenire nequeant, imò etiam jam apparentes pustulas, unius horæ spatio abigere sciat, nullô amplius remanente morbi symptomatumque vestigiô.

Descriptio horum vermiculorum secundùm dictum Authorem.

Cura Authoris directa ad causam verminosæ putrilaginis.

Præservatio.

Hæc dictus Author, quæ meo judicio admodum raram, & ferè nimis curiosam physiologiam & therapiam sapiunt, non improbo quidem studiosa hæc recentiorum ingenia, dummodo non tantùm ob argumenti nimiam novitatem, legentium admirationem aut incredulitatem, quin potiùs ægrotantium salutem promoverent, & practici judicii præ se ferrent firmitudinem; interim aliqua tamen sunt, quæ sine admonitione in hoc mirabili & verè novo argumento transire non possum:

Imò Quidem scitur P. Athanasium Kircherum è Soc. JESU in suo *scrutinio de Peste* (ex quo Author suam de Va-

Quædam admonitiones cir-

ea dictam hanc novam sententiam adferuntur

riolis opinionem probabiliter mutuatus est) animatam luem, animatas putredines assignasse. Scitur 2dò. Quòd intestina, hepar, cæteraque viscerum parenchymata, infinitis scatere minutissimis animalculis scripserit Kerchringius *in spicilegio Anatomico observ.* 93. Scitur 3tiò. In sanguine etiam vermiculos, sed sine pedibus, tanquam cete in mari rubro natantes, ad pravum sanguinem hauriendum, determinâsse Petrum Borellum *Cent.3.obs.*4. Scitur 4tò. Eundem Borellum *Cent.3, Obs.*55. *Cent.*2. *obs.* 72. Zacutum Lusitanum *Praxi Med. admirabili Lib.* 3. *Obs.*47. Joannem Rhodium,& apud hunc Horatium Augenium *Cent.* 3. *obs.* 64. Apud *Ephemerides Germ. An.*1677. *obs.* 85. *fol.*142. & aliis adhuc in locis, in Variolis quandoque vermiculos & habitum corporis verminosum adnotâsse. Scitur demum, putrilaginem tàm intra quàm extra corpora viventium, eò sæpissimè augeri, ut verminosa soboles exinde pullulârit perquam copiosa: Nemo

Quid de hac verminosa sententia sentiendum profertur.

tamen prudens, ut opinor, eò adduci se patietur, ut credat, in quacunque puris generatione, in quacunque Peste, in quibuscunque Variolis, sive benignis, sive malignis, mox & semper verminosa hæc effluvia enasci, multominus similia insecta in partibus & sanguine semper reperiri; nam si viscerum parenchymata minutis vermiculis naturaliter instructa esse dixeris, an non hisce vermiculis iterum sua viscera, & hæc denuò suis minutioribus vermiculis, atque sic de aliis aliisque naturaliter repleta esse, in infinitum affirmabis? aut verminosam hanc colluviem, ad solius hominis naturalem constitutionem

Ad experientiam, quâ talia animalcula microscopio deprehensa sunt in corporibus, respondetur.

pertinere existimabis? Et licèt ope microscopii, in visceribus aut sanguine similia aliquando fuisse detecta animalcula dicant; Respondeo tamen ex particularium inspectione non esse ad universalia argumentandum. Deinde quis facilè affirmaverit, an vermes microscopiis deprehensi, jam priùs intra corpus ejusque sanguinem hæsitaverint? vel postea, quòd probabiliùs videtur, nova & facillima metamorphosi succreverint?

verint? sanguine scilicet per vulnus emissô, atque adeò non amplius intra conservationis suæ locum naturalem existente, suaque vitali flammâ penitùs exstinctâ & corruptâ.

Dicam ergò, quod mihi hac in re videtur verosimile: ego existimo, minutas ac distinctas sanguinis fibras, sero suo innatantes, & aëri expositas, sese naturaliter contrahere & dilatare, ita quidem, ut intuentium ocullos facilè fallant, ac vermiculorum motus imitando, curiosis & credulis inspectoribus levi negotio illudant; accedit, quòd microscopio incertum fiat in anatomia judicium, etenim vitra nunquam ita exactè confecta esse credo, ut oculorum & specierum radios variè disjungendo, incertos objecti motus facilè non repræsentent. Quòd verò concernit alterum ab Authore prolatum, an Variolæ & Morbilli, ne ad incrementum & statum perveniant, possint in principio statim, & quando adhuc in fieri sunt (prout loquitur & credit Author) cum ægrotantis salute supprimi, vel saltem, ut alii existimant ità præservari, nè unquam superveniant; videtur sanè utriusque propositionis assertio nimis liberalis; movet quidem hac de re aliquam quæstionem disertissimus Horatius Augenius *Lib.* 10. *de feb. Cap.* 1. sed non sine distinctione concludit, asserens, â quibusdam Variolis præservationem tutò fieri posse, â quibusdam non tutò: Nam *Variolæ* inquit, *in pestilenti constitutione invadentes, pernitiosæ adeò sunt, ut quoscunque invaserint, occidant. Ac proinde omni studio ac opere incumbere debemus, ne adveniant; neque profectò istæ, naturæ bono judicio fiunt, sed ex aëre pestilenti, cujus summam aliquando impedire, hebetare aliquando, possumus malitiam*: *at verò* (inquit ulteriùs) *à benignis Variolis præservatio nequit fieri, nec si posset, esset secura, quia intrinsecam illam, à nativitatis principio in solidis partibus contractam labem, nullum artificium emendabit*, & hæc Augenius. Unde clarè colligitur, doctissimum hunc vi-

Nostra de his vermiculis opinio.

Augenius ab illis Variolis, dicit esse tutam præservationem quæ in constitutione pestilenti invadunt.

In benignis non item, & quæ bonâ naturæ judiciô fiunt.

rum in hac sua præservatione, pestiferum potiùs contagium, & funestam aëris malitiam respicere, quàm ipsas Variolas quâ tales, utpote quæ absolutè præservari non debent, nec possunt; Nam ut Fracastorius *Lib.2. de morb. contag. Cap.* 2. rectè docet, & communis Medicorum Schola consentit, ebullitio hæc purificatio quædam est sanguinis, quâ sanguis defæcatur per quandam quasi crisin à natura factam. Porrò quod supra allegatus Author & novator addit, se nempe suâ *Essentiâ benedicti valoris* noviter à se repertâ, pustulas jam etiam apparentes intra horam abigere posse, nullô amplius remanente pustularum, morbi ac symptomatum vestigiô, utique meo judicio inter miracula chymica (quæ apud doctos portenta, apud vulgum mendacia sonant) scribenda res est; nam mirum profectò, ni dicam ridiculum, rostratos & multipedes vermiculos, tàm subitaneâ metamorphosi in papiliones abire, & illicò avolare: sed relinquamus isthæc iis, quibus solummodò Author §.57. se locutum fuisse protestatur, altioris sapientiæ, vel insipientiæ filiis. Hæc interim per parenthesin, sed nunc rursus ad rem nostram; Igitur

Duplex in sanguine reperitur excrementum: ex uno, nempe crasso Variolæ, ex altero & tenui Morbilli fiunt.

Notandum 4tò. In omni sanguinis massa duplex reperiri excrementum, unum crassum, alterum verò tenue, ex crasso Variolæ, ex tenui verò Morbilli generantur. Et licèt eadem & una sit hæc prava & maligna qualitas, utrumque excrementum inficiens, attamen diversa est utriusque excrementi natura, diversa etiam est causæ externæ ad utrumque analogia, unde fit, ut aliquando Variolæ, aliquando Morbilli populariter grassentur.

Ratio cur modò Variolæ, nunc Morbilli grassentur.

Notandum 5tò. *Causas mediatas*, quæ rursus supradictam ebullitionem, seu effervescentiam sanguinis excitant, etiam esse plures, easque vel internas, vel externas. Inter internas, est *constitutio corporis calida & humida*, intellige *immoderata*, nam

nam aliàs vita noſtra in calido & humido conſiſtit temperamento: *habitus nimium tener*, aut *nimium obeſus, ætas puerilis & juvenilis*, ſicut enim pueri magis obnoxii, quia ſanguine ichoribus ex maximo calore abundant, facultates naturales habent robûſtiores, unde ſcribit Plinius magìs eos tentari Peſte quàm ſenes, quod & alii quam plurimi Authores etiam conteſtantur: Rationes autem hujus variæ dari poſſunt; primò, quia ſanguine multo, multùm humido ac minùs coćto abundant: ſecundò, lac & alia potulenta fermentativa plurimùm hauriunt, nec ferè unquam ſaturantur, hinc multos acervant fermentantes & pravos humores, ob ingluviem, aſſumendorum ordinem præpoſterum, vitioſa nempe alimenta bonis præferendo. Ætate autem proveđi minùs afficiuntur exanthematis, tùm quia minùs validam habent excretionem, tùm quia temporis diuturnitate, vitium illud ſanguinis partibus impactum, per inſenſibilem tranſpirationem diminuerunt, vel abſumpſerunt: Quòd ſi tamen eos affici contingat, periculoſiùs ægrotant, quia maxima & tenax illa cauſa eſt, quæ tàm diu in corpore delituit.

Cauſæ mediatæ ſupradiđtam ebullitionem excitantes ſunt plures. Internæ.

Hic obiter *Objicies* contra allatam Neotericorum, præſertim *Ettmülleri*, ſententiam, & dices: Plures adulti, imò ſenes afficiuntur Variolis, qui nullô amplius lacteô alimentô utuntur & nutriuntur, ergò hæc ſententia non ſubſiſtit. *Reſp.* Licèt antecedens totum verum ſit, verum etiam tandem eſt, quòd in adultis & ſenibus depravata victûs ratio, materiam talem ſive nutrimentum circulantibus humoribus afferre poſſit, quod ſingulari advecto æthere, Variolis aptam materiam tàm ſuppeditare, quàm in aliis aliter diſpoſitis febri ardenti, aut malignæ abſque talibus exanthematibus, anſam miniſtrare capax ſit. Neſcio an ineptè an curioſè *Rhaſem* ſcripſiſſe dicam, dum pueros magìs quàm puellas obnoxios eſſe dixit: ego, quantum opinor, ſuperſtitioſam omninò hanc eſſe, & minùs

Objectio contra allatam Ettmülleri ſententiam.

Uterque ſexus (contra Rhaſe) æqualiter

hoc malo solet affici. minùs fundatam propositionem, patet experientiâ, quæ ostendit pariter sexum utrumque affici, nec facilè sit observare, puellas minùs quam pueros hoc malo interire, vixque ulla sit puella, quæ illud effugiat. Politicam tamen si quis desiderat rationem, ea dari potest, quòd puellæ ob conservandæ speciei formam magis timeant, & ideò etiam cautiùs contagia effugiant.

Causæ externæ quæ ebullitionem sanguinis efficiunt, enumerantur. Imò. Aër excessivè calidus & humidus. *Causæ externæ* seu *procatarcticæ* sunt, quæ in sanguine effervescentiam, seu ebullitionem, & corruptelam efficiunt. *Aër* sivè manifestâ, sive occultâ qualitate sanguinem exagitat, *calidus & humidus excessivè*, sub quo perniciosæ Variolæ concitantur. Dixi *excessivè*, quia si Aër calidus & humidus est temperatè, utpote in quo vita nostra consistit, vitiosus non est, quin imò summè salutaris existit, si verò in his qualitatibus excedit, summè periculosus est, & putredini generandæ aptissimus, quia teste *Aristotele*, putredo in calido & humido consistit.

2dòTemp, vernum & autumnale. Secundò, *Constitutio austrina, Tempus vernum & autumnale, Regio calida & humida. Avicennas* Ver magis obnoxium, *Rhases* verò Autumnum magis proclivem esse scribit, quæ differentia meô judicio inutilis est, siquidem quolibet anni tempore grassari observatum fuit, interdum ferociùs autumno quàm vere, interdum ipsâ hyeme magis quam aliis anni temporibus. *Rhasis* tamen sententiæ, si quis hoc in puncto favere vellet, explicanda sic foret, posito enim, quòd in autumno plerumque grassentur, id tamen non fit ex nativa autumni siccitate, quæ, ut diximus, non ità apta est, ut humiditas, sed potiùs propter austrinam ejus constitutionem, ad relictos ab æstate calidos humores accedentem, unde est, quod in vere, ob naturalem ejus constitutionem, Variolæ non

Quare Variolæ autumnales sint tam periculosæ, *omnes enim morbi autumnales* (juxta illud: *vel longi vel mortales*) nimirum ob mixtam melancholicam

licam dispositionem, habent quandam pertinaciam,& fixi magis esse consueverunt. sint periculosiores vernalibus.

Præ cæteris ad hæc facit *Victus pravus*, è quo scilicet tale vitium latitans in corpore excitatur, promovetur, & in actum deducitur,ex hac ipsa causa quoque accidit,ut idem homo bis vel ter his affectibus corripiatur: cujus ratio est, quòd licèt illa labes in utero contracta, â natura plurima ex parte discussa sit, adeò ut minimam, si quæ remansit, portionem,natura insensibili transpiratione facilè discutere possit, fieri tamen potest, ut à simili causa (accedente præsertim aëris quoque vitiô) humores eodem modo iterum corrumpantur. 3tiò. Vict9 pravus. qui pariter est causa, quòd idem homo his sæpius corripiatur.

Ad hæc quoque faciunt *Exercitia immoderata & intempestiva*, vehementiori cum motu & calore, Variolarum fermentum facillimè in actum deducentia. 4tò. Exercitia nimia

Nec minus tribuitur *Contagio*, tùm per fomitem, tùm ad distans,vitiato aëre ex anhelitu ægri, quo modo malum in alios postmodum serpit. 5tò. Contagium.

Præstant idipsum *Balnea* & *Laconica*, præ cæteris autem omnibus, *usus vini meracioris, ciborum calidorum, pinguium, dulcium, corruptorum, lactis* &c. hinc rusticorum infantes lacte vescentes, citiùs & faciliùs Variolis laborant, ex hoc enim plurimùm generantur ichores, Variolis vehicula promoventia. 6tò. Balnea,usus vini meracioris, ciborum calidorum, pinguium &c.

Hic obiter *quæres*, quomodo intelligendus sit Galeni locus 3. *de symptomatum causis* 2. tunc fieri proventum exanthematum, quando abundant ichores, ergò maximè hydropici Variolis & Exanthematibus laborare debent. *Resp.* licèt Mercurialis *Lib.* 1. *de Morb. puer:* id ad Variolas applicet,ego tamen probabiliùs existimo, hanc Galeni mentem non esse,sed per exanthemata illum intelligere rubicunda illa tubercula, quæ in facie & toto corpore, guttæ rosaceæ, & vulgò unga- Quæstio de Galeni loco. Responsio.

rii

ri dictæ, non absimilia, dum nimirum Urinæ non satis fluunt, pullulant. Verum quidem est, dum adsunt Variolæ, multos adesse simul humores serosos, sed è contra dici non potest, ubi sunt humores serosi, ibi esse Variolas.

7mò. Omnia quæ humoribus effervescentiam concilians. Denique inter causas recenseri possunt, *omnia quæcunq; effervescentiam seu ebullitionem humoribus & succis conciliare possunt*, fieri enim per ebullitionem humorum Variolas & Morbillos, clarè ostendunt symptomata, & quæ concomitantur & consequuntur, utpote calor & febris intensa, color extensivè ruber, sitis, capitis dolor, delirium &c. quæ omnia sanguinis ferventis sunt indicia.

Quæritur cur nunc Morbilli, jam Variolæ, grassentur, cum unam eandemque causam habeant, & Respondetur. *Quæri* hic solet, cùm, ut supra dictum, vitium sanguinis materni causa sit communis, tàm Variolarum quàm Morbillorum, quomodo fiat, ut nunc Variolæ nunc Morbilli appareant & grassentur? *Resp.* id fieri, ut supra jam dictum. *Imò.* Propter variam humorum constitutionem: præterea non esse semper idem vitium & labem, quam infantes in utero contrahunt; tandem fit, ut eadem quidem sit sanguinis constitutio, causarum tamen sanguinem corrumpentium actione, aliqua diversitas induci possit; accedit, quòd (ut diximus) varii sint corruptionis humorum termini.

Tandem, cùm de causis horum affectuum in præsenti tàm enucleatè disseramus, visum mihi est, nullo modo prætereundum esse cavillatorem medicorum *Helmontium*, quidnam ille suo plastico conceptu atque hac in materia statuat?

Helmontius quid de causa à nobis relata sentiat. ille, ut in omnibus aliis, ità & in hoc universæ Medicorum sectæ contrariatur, negatque omnes hactenus allatas causas, & præcipuè eam, quam de sanguine menstruo attulimus, quia tunc (inquit ille, ut supra jam dictum est) cum nutritur fœtus, menstruum non est, asserit ergò: *Variolas & Morbillos exsurgere ex veneno, quo cruor inficitur,*

hæc

hæc autem veneni essentia non est demonstrabilis à priori, sed per effectus proprietatem veneni metimur, Variolarum itaque morbus, prima Archæi exorbitatio est, dum enim aër ambiens endemium noxium quid spirat, tum Archæus noster, qui celerrimè ab ambiente affici potest, impatiens fit auræ malignæ, fabricat in se peculiare virus, quod tales in se habet proprietates. Primò, ut sit humanæ speciei proprium; Secundò, natura facilè est prona ad fabricandum illud. Tertiò, accenditur circa stomachum, ambiens enim ad stomachi convexum, per ipsum diaphragma transit, ut in illis videre est; qui cadaver secantes, odorem cadaveris (ô quanta anatomicæ feritatis dimensio) *sumptô cibô manifestè è stomacho eructantur. Quartò, partes veneno obsessas potius à se versùs superficiem pellit. Quinto, officinæ fabricantes, quod ex Archæis, postquam semel senserunt tyrannidem, magnâ præcautione illius generationem præpediunt. Hinc liquet, quòd, etsi endemicum fiat malum, illud tamen velut causa occasionalis, nisi approximatum Archæo humano, nocere non possit; si verò Archæus ab eo irritetur, tunc parit exarthroses, & intus ab illo fabricantur venena.* Ipsius causæ proprietates.

Dicit præterea, *principalem indicationem in Variolis esse sedationem Archæi, quæ habetur per arcana,* (sed quæ, bone vir) *reliqua autem remedia fallibilia sunt, unde ex defectu horum, quamplurimi infantes crudeliter jugulantur, Medicis invicem disceptantibus. Cæterùm,* inquit ultra, *si quis remediis sedativis caret, hæc agendorum jubet ratio, naturam, quæ in Archæo consistit, non lacessere ad majora mala: unde primò, quando infans vel puer incipit tristari de calore aliquali & siti extraordinaria, de dolore dorsi, ventris, sentit nasi pruritum, pondus totius corporis, ruborem faciei, pandiculationem, raucedinem, sputum crassum, cordis palpitationem & alia id genus, præcipuè si Variolas grassari inaudiatur, tunc signa sunt intus fabricari venenum. Igitur statim nè major Archæi irritatio ex ambiente* Indicationes secundùm Helmontii causam. Quomodo in defectu arcanorum suorum procedendum.

Quoad aërem, cibum Potum. *fiat, arcendi sunt infantes ab externo aëre, cibus paretur ut vires conserventur, velut sunt juscula, pulli, cremor hordei, potus sit aqua passularum cum semine fœniculi; si verò dicta symptomata augentur, tunc paretur pulvis Alexipharmacus; si alvus adstricta, parentur suppositoria & clysteres*, dicit enim, *nihil in hoc morbo magis nocere quàm fœtorem stercoris*

Excreta & retenta. *detenti, aërem crassum, nec non calorem hypocausti excalefacti, prius*, inquit, *non facit ad expulsionem materiæ morbificæ, posterius majorem Archæi furorem excitat. In nullo libentiùs*

Quare venæ sectionem admittat. *phlebotomiam admittit, quàm in hoc, in fœminis plethoricis, Archæus enim viscerum non ità gliscere potest, abundantiâ sanguinis oppressus, & si ille rebellis fiat, deponit furoris ideas in cruorem, propter quas fit ebullitio, nam fermentum exoticum suscitatur, exinde sanguinis quantitas major efficitur, ut videre est in omphacio, si enim vas nimiùm repletum foret, & omphacium ebulliret, tunc exitum debet habere, vel vas dissiliet; sic ebullitô cruore, vasa majora dilatantur, hinc dolor dorsi vehementissimus in patiente excitatur.*

Si Medicus sedativum Archæi nō habeat quid agendum, juxta Helmont. *Si qui Medicorum sedativum Archæi non habent, saltem non intermittere debent removere impedimenta, ut natura deonerata, id est, Archæus in impeditus, incumbat morbo, id est, in se redeat & resipiscat, atque tartarô ad superficiem expulsô, de furore remittat.*

Hæc sunt verba pura *Helmontii*, multa quidem, sed pauca ad captum, carpit alios in suis, & in suis captus relinquitur, in morborum entitatibus & causis à nobis discrepat, in cæteris verò nolens volens nobiscum tenet; ea tandem, quæ pro arcanis venditat, nobis sunt obvia & luce meridianâ clariora; scire igitur illius fundamenta abs re quidem non est, ea verò sequi, hominis est non fundati.



CAPUT

CAPUT VI.

De Signis Diagnosticis & Prognosticis Variolarum & Morbillorum, eorumque breviter annexis Causis.

PRæsentes Variolas & Morbillos dignoſcere non eſt difficile, futuras tamen, ut docet *Fracaſtorius*, antequam erumpant, difficillimum, nulla enim habent ſigna pathagnomonica, quæ aliis morbis non ſint communia, de quibus videri poteſt, *Tractatus de febribus in genere*: hinc hodiernâ die, maximè in eo taxantur & corripiuntur à vulgo Medici, & magni arguuntur peccati, quòd Variolas & Morbillos non ſtatim ab initio cognoſcant, prout in Potentiſſimo Ferdinando V. Romanorum Rege electo & formato, Variolis An. 1654. Menſe Julio extincto, Medici ab initio non pro Variolis, ſed pro febre tertiana habentes, pravis ſymptomatibus, deliriis, tremoribus &c. ſtipata, cura peſſima ceſſit. Nè verò quid ſimile contingat aliis Practicis, antequam ſigna quædam probabilia, cognoſcendi hoc genus morbi proponam, generale hoc præceptum, ſemper & bene eſſe præ oculis & ore habendum, ut, ſi Medicum ad ægrum vocari contingat, & minima, vel ab ætate, tempore, modô, more, regione, ſtellatione &c. deſumpta ſuſpicio ſit, ſedulò mox inquirat, num Variolis vel Morbillis nondum laboraverit, an cum infectis converſatus fuerit, vel hoc modo affectos aſpexerit, & inde terrorem conceperit?

Signa diagnoſtica.

Futuras Variolas aut Morbillos difficillimum eſt cognoſcere.

Præcepta à Medico quoad Variolas generale obſervandum

Signa itaque, quæ ſuſpicionem aliqualem illarum præbent, ſunt ſequentia, quorum ſingulis ſuas cauſas annectemus, & quo apparatu in corpore noſtro excitare ſolent, eorum rationes

Signa ſuſpicionis de futuris Variolis proponuntur.

rationes & fiendi modos, tùm Veterum tùm Recentiorum libris excerptos, explicabimus. Saluberrimum tamen est, firmum & certum judicium de iis, cum doctissimo *Sylvio* usque ad tertium diem suspendere.

Signum primum.

Unde calor in Variolantibus oriatur.

Signum Imum. Si eâ tempestate grassentur, tuncque quis febricitet, vel cum infectis converscetur, calorque in toto corpore acris & mordax sentiatur, qui calor â nimia sanguinis effervescentia, ejusque in corde accensione dependet: etenim pars sulphurea seu oleosa sanguinis exaltata, & fervorem concipiens, proportione plùs solitâ in corde accenditur, quare deflagratione suâ, caloris effluvia per totum corpus copiosè diffundit; nam quando sulphur minùs dissolvitur, ac in corde accenditur, ut in Pica Virginum, & Leucophlegmatia, calor in toto deficit. In febre autem, quando nimis exardescit sulphur, æstus superabundat, nam calor non tantùm ab actuali sulphuris inflammatione aut ignitione dependet, verùm sine igne in mixtis quam plurimis, ubi particulæ sulphureo-salinæ, aut in fermento acido-salino seu acri corrosivo latitantes, corrosione dissolvuntur, aut ob ventilationis defectum, densiùs agglomerantur, calor intensus excitatur, sicut cùm ferrum â spiritu quovis acido minerali corroditur, vel cùm butyro antimonii Spiritus Nitri superfunditur, calor ingens cum fumo producitur; pariter cùm fimus madidè repositus â ventilatione prohibetur, summè incalescit. Sic eadem prorsus ratio est, cur sanguis supra modum exardescat in febribus, nimirum sulphuris particulæ nimis exaltatæ & efferæ factæ, densiùs agglomerantur in vasis, & plus dissolvuntur & accenduntur â fermento cordis, & sic mixtionis vinculo solutæ & ubivis expansæ, calorem circumquaque diffundunt.

Signum secundum.

Signum 2dum. Adest dorsi & lumborum dolor, quia vena cava ascendens perreptat dorsi regionem, in qua sanguis effer-

fervescit & ebullit, malignos & acres vapores ad nervos & membranas transmittit, unde distensio & dolor, præcipuè in dictis partibus; id ipsum etiam in Arteria magna contingere, dubitet nemo.

Cur in Variolantibus dolor dorsi percipiatur.

Signum 3tium. Dolor itidem capitis, oculorum, totiusq; corporis, præcipuè, ut modo diximus, dorsi & lumborum, cum annexa anxietate & gravitate, atque febre continua (id est: mit einen unnachläßlichen Fieber darbey) à plethora venas majores infestante, & sanguinis, vi fermenti acido-salini, vel sulphureo corrosivi, ebullitione, nec non vaporum, caput, præcipuè ejus meninges, dictasque partes petentium, acredine, unde vellicatio & dolor, etenim sanguis impetuosè commotus, propter arteriæ magnæ directionem, majori copiâ ad caput, quàm ad partes infernas defertur, quippe transitus è cordis sinu rectus est in caput, ex eodem in membra inferiora obliquus, quare cùm cerebri membranæ sint valde sensiles, ibidemque sanguis in cursu rapido sistatur ac reverberetur, nil mirum, si immanes cephalalgiæ in febribus excitentur. Interdum tamen similes etiam cephalalgiæ seu dolores, præter impetuosum sanguinis affluxum, ob succum nervosum (qui à sanguine æstuante jam suppeditatur) nimis acrem & pungitivum; quare cùm ab eodem membranæ & nervosæ partes irrigantur, acrimoniâ ejus vellicatæ, in dolores aguntur.

Signum tertium.

Unde capitis & oculorum dolor.

Dixi supra, præcipuè dorsi & lumborum, quòd æquè ab eadem dicta causa fieri, vulgò discurrunt Medici, quæ tamen ratio Neotericis non adeò autentica videtur, cùm non constet, cur non æquè in aliis partibus propter similem vasorum distensionem, eadem molestia inferatur, & quare in Variolis potiùs, quàm in causone & aliis febribus, ubi sanguis plus effervescit, ejusmodi dolores dorsi & lumborum ingravescant; quin imò observare licet, insignes modò in capite,

Neoterici allatæ de dolore dorsi causæ non assentiuntur & dant hujus rationem.

modò in lumbis cruciatus urgere, quando sanguine parum turgescente, vasa minimè ampliantur, scilicet in morbi principio, quando febrilis intemperies nondum conspicua est, dum ægroti adhuc foris obambulant, & stomacho valent, Variolæ ingruentes primò hisce doloribus se produnt: Quare videtur Recentioribus, potiùs in nervoso genere hujusmodi constitutionis causam subsistere, scilicet in cerebro & spinali medullâ, propter membranas & partes nervosas, à veneni particulis fermentantibus acido-salinis, vel acri-corrosivis vellicatas, istos dolores oriri; nam verisimile est, quòd innata Variolarum semina, in partibus spermaticis potissimum recondantur, & quòd primum miasmatis contagium, plerumque cerebrum coripiat: hinc in succo, quô cerebrum & partes nervosæ, præsertim spinalis medulla, irrigantur, primam effervescentiam concitari, & exinde cruoris massæ labem communicari, quare incipiente hôc morbô, frequentes epilepsiæ contingunt, caput & lumbi dolore atroci urgentur, postea venenô in sanguinem translatô, effervescentia febrilis in toto concitatur. Somnus solitò fit gravior & inquietus, insomnia de fulminibus, igne & flammis, evigilationes cum terrore, ex præfatis causis. Gravitas autem seu lassitudo totius corporis fit, ob vasa cruore ebulliente distenta, etiam musculosa caro sanguine & copioso halitu plurimùm infarcitur, & ad motum fit plurimùm inaccomoda, veluti qui anasarcâ laborant habent actus minùs expeditos, propter serosi humoris copiam. Præterea in febribus ob sanguinis phlogosin, succus qui nervoso generi suppeditatur, à debita temperie dehiscit, ut sit actuandis corporibus minùs idoneus.

Neotericorum opinio de illius doloris causa.

Unde gravitas & lassitudo corporis?

Signum quartum. Unde proveniat nasi & oculorũ pruritus.

Signum 4tum. Nasi & oculorum pruritus, & subinde planè hæmorrhagia, propter sanguinis & vaporum acrium ad nares anatromen, aut illarum venarum læsionem, à vitio fermenti sæpiùs allegato dependentem.

Signum

Signum 5tum. Sternutatio frequens, & incurvatio nasi, ob eandem causam. Signum quintum.

Signum 6tum. Faciei & oculorum rubor, splendor ac tumor, ob sanguinis fermentati vel vaporum acrium, salinarum exhalationum, sublimationem. Signum sextum, & quæ causa hujus.

Signum 7mum. Timores & terrores, inquietudines & interruptiones in somno, propter ascensum vaporum acido-salsorum ad caput. Signum septimum, & unde oritur.

Signum 8tavum. Punctionis & ardoris in universo corpore sensus, ex materia copiosa acri & salina, quærente exitum ad exteriora, transmissa. Signum Octavum, & ejus causa.

Quæres, cur pariter non fiat rigor saltem in Morbillis, quos humor biliosus & acris ex prædominio adjunctus parit? expulsio enim humoris acris per membranas sensiles, rigores parere solet? *Resp.* facilem ad hoc quæsitum dari resolutionem, quia nimirum non putredine solâ, sed occultâ qualitate isti humores peccant, unde sicut in febre maligna rigores non concitantur, ità nec hic, ob eandem rationem. Cur in Morbillis non fiant rigores? Respondetur ad quæsitum.

Signum 9num. Lachrymæ involuntariæ seu oculi aquei, ex vaporibus acribus & salsis, è capite in oculos stillantibus. Signum Nonum. & ejus causa.

Signum 10mum. Pandiculatio, seu tensio frequens totius corporis (ein stetes Dehnen des Leibs) ex vaporibus sulphureo-salinis, musculos totius corporis afficientibus. Signum Decimum. Unde oriatur.

Signum 11mum. Cordis palpitatio vel tremor, ab ebullientis sanguinis vaporibus crassis & copiosis, ab acido fixiori dependentibus, liberum transitum præcludentibus. Signum Undecimũ. Unde.

Signum 12mum. Anhelitûs compressio, & difficultas spirandi, à sanguinis thoracem opprimentis & comprimentis, liberumque aëri frigido attrahendo viam præcludentis copiâ, vel austerâ aciditatis dotati qualitate. Signum Duodecimum. Quomodo id contingat.

Signum

Signum Decimum tertium, cum causa.

Signum 13*um*. Oscitatio immoderata, ob vapores â vitiato fermento ortos, musculos oris & vicinarum partium ferientes.

Signum Decimum quartum cum sua causa & origine.

Signum 14*tum*. Tussis sicca, & raucedo & pectoris dolor, partim ab acredine & corrosione humorum & vaporum, in partibus spiritualibus ebullientibus, & asperam arteriam transeuntibus, partim à pustulis ibidem fervescentibus, partim à læso id est eroso pulmone, resultat.

Signum Decimum quintum à qua causa fiat.

Signum 15*tum*. Præcordiorum æstus, ob sanguinem copiosè in cordis foco accensum, qui exinde cum magna partium sulphurearum exardescentia, in pulmonibus ebullit, quare quô propior est hæc regio isti caloris foco, eò majori percellitur incendio.

Signum Decimum sextum undè.

Signum 16*tum*. Sputum crassum, à nimio calore & materiæ quantitate, vi fermenti vitiati exortum, & ejusdem copiosis particulis sulphureis productum.

Signum Decimum septimum, cujus simul causæ proponuntur. Datur alia causa.

Signum 17*mum*. Sitis, linguæ & faucium orisque asperitas, ariditas, albedo, exsiccatio & inflammatio &c. ab exhalationibus sulphureo-salinis, calidis & acribus ebullientis, seu effervescentis in corde sanguinis exoriuntur; vel etiam ob particulas materiæ febrilis acres & acidas, ventriculo â sanguine inter circulandum affixas, quæ quidem elui desiderant, non secus ac alimenta salsa & piperata uberiùs comesta, aut etiam acria ore & gutture volutata; hujusmodi enim affectus, liberiorem potûs ingestionem suggerit: lingua verò albescit, id est amurcæ quædam albæ accrescunt, quotiescunque humiditas illa (quâ plurimâ naturaliter imbuta est) exaruit, & decoquitur, adeòque exterior linguæ cutis à calore elixatur, hinc quoque scabra evadit, quòd etiam in sanis cernitur, si quando linguam jusculo, vel alio sorbili præfervido aduri contingit, pariter etiam, cùm linguæ animalium ad mensarum usum elixantur, earum cutis alba & aspera

Unde linguæ ariditas & albedo proveniat in Variolis.

aspera evadit: sive enim saliva è glandulis maxillaribus (ut ex recentissimo ac Doctissimo *Wartono* innotuit) sive ductibus salivalibus, ut Recentioribus libuit, sive alius quispiam humor ex tonsillis, aut aliunde proliciatur; quia tamen ob siccitatem nimiam & calorem incrassescit, & viscidítatem induit, etiam tunc quoque linguæ tunica exterior albicat, imò & mucosô quodam lentore obducitur, nimirum, quia humor iste præ crassitie linguam oblinire aliqualiter potest, diluere autem & humectare eandem non potest. Si verò accidat, linguam humore bilioso vel introrsum suffundi, vel extrinsecus tingi (ut in vomitibus pycrocolis usu venit) cùm villi ejus utpote spongiosi, flavum virus imbibentes, colorem quoque similem exhibent. Quòd si tamen calor adeò intensus fiat, ut sanguinem adurat, ignemque solito ardentiorem efficiat, sequitur, ut è cordis foco per pulmonum spiracula, vix tanto incendio ventilando sufficientia, fuligines suscitentur, quæ ad palati fornicem allisæ, linguam quasi reverberio feriunt, & nigredine tingunt. Istiusmodi autem nigredo, (ut reliqua linguæ inquinamenta) in interioribus ejus partibus magis conspicua est, quia nimirum exteriores ambitus, frequentiori ad gingivas & palatum attritu detergentur.

Signum 18*vum*. Delirium & animi Perturbatio, Phrenitis & Convulsio, ex maligno humore, ob sulphureo-salinas particulas impetum facientes, cerebrum & nervosum genus feriente, adeòque motus inordinatos in cerebro concitante, quandoque etiam à succo nerveo degenerari, & spirituum animalium regimini improportionato oriuntur, sæpissimè autem hujusmodi symptomata febribus ingravescunt, ob materiæ febrilis è cruoris sinu in has partes metastasi, nam sanguis recrementis adustis â deflagratione residuis satur, ea (velut mustum effervescens) subigere, & consortio suo excludere nititur,

Signum Decimum octavum, ex quo fonte illud dimanet.

K

titur, quæ cum fluore oborto, per sudorem, urinam aut hæmorrhagiam expellere nequit, sæpe in cerebri substantiam transfert, ibidemque ea affigit: utque hinc potissimùm prædicti affectus, quando fixi & firmiter radicati sunt, originem trahunt, cùm autem leviores & facilè mobiles sint, à causis, priùs citatis non rarò prodeunt. Motus verò convulsivi seu Epilepsiæ, quæ in his febribus frequentissimè, propter causas diversas contingunt, quandoque ob materiam in primis viis congestam, quæ insigni pravitate suâ partes ibidem membranosas vellicat, & deinde consensu nervosi generis, statim spasmus nervoso generi, seu illorum origini in cerebro communicatur, & exinde in partes modò has, modò illas retorquetur, quâ ratione etiam lumbrici in intestinis scatentes, humores acres commoti, & pharmaca deleteria, convulsiones inducunt, vel etiam à malignitate his affectibus familiari, (ut in Variolis, Morbillis, aut Peste & Petechiis frequenter accidit) quia scilicet sanguis à temperie benigna & naturali, in deleteriam & venenatam alteratur, quâ nervi eorumque principia percelluntur, & in spasmos aguntur. Non rarò etiam absque malignitatis suspicione in febre putridâ, propter materiæ febrilis metastasin ad cerebrum, ut mox diximus, hi motus inducuntur; itâ observavi ego, & mecum alii, quando morbus crisi non statim solvitur, ægroti longâ ægritudine decumbunt, & motibus convulsivis & tremulis fiunt obnoxii, id quod etiam in iis affectibus febrilibus, qui ad mortem terminantur, plerumque contingere solet, suntque tales motus convulsivi tristes lethi prænuntii, quod accidere puto non tantùm à materiæ malignitate, quâ nervosum genus vellicatur & percellitur, sed quia spiritus plurimùm exhausti & debilitati, non satis inflant & distendunt nervorum corpora, quare à solita densitate & motu tonico relaxata, debiliori utcunque spirituum nixu in motum inordinatum agitantur.

Epilepsiæ propter diversas causas obveniunt.

Ut

Ut ut autem sit, Doctissimus Sydenham *de febribus sect. 3. cap. 2. De Variolis regularibus*, inquit: *motus epilepticos in infantibus, esse quasi evidens signum Variolas in promptu esse, modò infantes dentitione jam functos corripuerint, hos motus prognostico fidem conciliare & authoritatem, ità, ut si fortè infans insultum epilepticum sub vesperum, quòd fieri solet, patiatur, Variolæ insequente aurorâ in conspectum se dabunt, & quod sæpius observatum est, quæ Variolæ infantes statim ab hujusmodi paroxysmis aggrediuntur, pustulas emittunt magnitudinis conspicuæ, mites enim sunt atque boni moris & rarissimè confluunt.* Motus Epileptici sunt signum futurarum Variolarum.

Signum 19num. Syncope animique deliquia, & Cardialgia, ex humore itidem sulphureo-salino, malignisante os ventriculi, vel ipsum cor feriente, vel ob perturbatum sanguinis motum, nec non æqualem ejus mixtionem à fermento venenato solvi inceptam, cruor in corde stagnare, ut in circuitu suo præpediri, aptus, syncopen, anxietatem & inquietudinem infert. Signum Decimum Nonum; ex quo proveniat.

Alii sunt, qui prædictos affectus, syncopen, cardialgiam & animi deliquia (idem dicendum mox de vomitu & nauseâ) plurimis quidem modis fieri posse in Variolis, potissimum verò ob has tres rationes sequentes. Primò, ore ventriculi superiore affectô, quæ pars, cùm sit multiplici nervorum plexu intertexta, fit valde sensilis, & quia ab eodem sexti paris ramo, ad cor atque ad ventriculum nervorum surculi derivantur, si ventriculi orificium ità nervis consitum, magnâ molestiâ afficiatur, etiam cordi communicatur noxa, & in ipso aut sistitur motus, aut saltem inordinatus concitatur, quô æqualis spirituum & sanguinis affluxus interrumpitur; hoc autem fieri solet, cùm ab humore acri & amaricante, aut etiam acido & corrosivo obsidentur: *Novi quendam* inquit Willisius *in febre acuta crebrâ syncope correptum, qui tamen affectus, postquam lumbricum longum & teretem vomitu rejecit, omninò cessavit.* Secundò etiam similes Aliæ rationes prædictorum affectuum. 1.

 affectus

affectus inducuntur, dum venenata materia in sanguine circulatur, quæ spiritus vitales repente figit & extinguit, ipsumque sanguinem congelat, ut in corde stagnare cogatur. Tertiò
III. accidere solent, ob rariorem spirituum texturam, qui cum teneri & valdè subtiles sint, motu & dolore quovis immodico facilè exsolvuntur; ità novi quosdam, qui in lecto compositi, satis bene se habuerant, sed in hanc vel illam partem commoti, statim animo defecerunt.

Signum Vigesimum cum explicatione proventûs

Signum 20. Vomitus immanis & Nausea in ventriculo, materia ex malis vaporibus provenit; vel ut Neoterici tenent, vomitus talis, licèt ventriculus impurâ humorum saburrâ vacuus & liber sit, sæpissimè hunc affectum comitatur, quando semina fermentativa in motum concita, arteriolis in ventriculi tunicas dehiscentibus, ad singulos sanguinis appulsus deponuntur, & vomitum, non secus ac Stibii seu Antimonii particulæ deglutitæ concitant, postea tamen, quamprimum diaphoresi procuratâ, venenum extra propellitur, symptoma hoc cessat, & sine quavis expurgatione noxiæ materiæ, ægri rursum stomacho valent. Nec ineptè, imò clariùs quis discurreret, dicendo, Vomitum, Nauseam & Inappetentiam ab iisdem causis excitari, â quibus mox Syncopen, Cardialgiam &c. oriri diximus, nimirum, ventriculô materia extranea obsessô, & ad spasmum irritatô :. talis excrementitia materia, quatuor modis in ventriculo congeritur. *Imò,* Aut enim alimenta, partim ob defectum acidi fermenti, quô ritè concoqui deberent, partim ob calorem ventriculi adurentem, in talem putrilaginem exassantur. *2dò.* Aut hujusmodi materia ex arteriis in ventriculum terminatis in cavitatem ejus deponitur, id quod etiam non tantùm in his affectibus, sed & Peste & Febribus malignis observatur. *3tiò.* Aut mera bilis, è meatu cholidocho in jejunum intestinum expressa, propter motum inversum & convulsivum istius intestini, in ventriculum

Alia explicatio quomodo hi affectus Ventriculi fiant.

Materia talis quatuor modis in ventriculo colligitur.

I.

II.

III.

lum suffunditur. *4tò.* Denique hujusmodi ventriculi affe- IV.
ctiones aliquando oriuntur, â materia excrementitia, diu ante febrem in primis viis congestâ, quæ non rarò ipsarum Variolarum causa occasionalis existit, interdum verò hi affectus sunt immediata febris producta, cùm enim pridie ægrotationis affecti satis stomacho valuerunt, quamprimum immodica sanguinis effervescentia inducitur, dum iste supra modum ebullit, tùm effluvia & recrementa exteriùs evaporari solita, dum humor biliosus è vasis cholidochis exundans, ventriculo suffunduntur, quibus ipsius crasis evertitur, etiam chyli reliquiæ aliaque in visceribus contenta insigniter depravantur, unde prædicti affectus originem ducunt; quodsi verò continuus sit Vomitus, ventriculum â simili jam materia læsum & ulceratum ostendit. Præterea observavi in praxi, in Variolarum eruptione vomituritiones potentiores, fuisse prodromum Variolarum confluentium, & non discretarum.

Vomitus potentiores in Variolarum eruptione, observatū est, subsecutas fuisse Variolas confluentes.

Signum 21. Tormina ventris, Diarrhæa & Dysenteria, ab acri salina seu corrosiva & copiosa materia tunicas intestinorum vellicante, laniante & lædente, talis est, (ut plurimùm) aut â bile è vasis cholidochis in duodenum exsudante, aut â sanguinis & succi nervosi vel pancreatici recrementis, ex arteriis & ductu pancreatis ad intestina suffusis: singuli prædicti humores, præsertim verò biliosus, quando in copia suppeditantur, cum massa euchyma residua non rarò fermentescunt, ut eadem spumosâ rarefactione intumescens, intestina irritet, & in excretionis motum stimulet: quandoque etiam circa morbi statum, & in declinatione ejus, diarrhæa concitatur, & sic vel naturâ victrice, crassiora sanguinis purgamenta hoc modo criticè excernuntur, vel eâdem succumbente, viscerum omninò viribus & firmo tenore exsolutorum, alvi fluor effectus & signum est. De dysenteria quod attinet, ab iisdem prorsus, potentioribus tamen causis concitari

Signum Vigesimum primum cum suis causis.

Illa dysenteria quæ quandoque in Variolis &c. frequens est, unde procedat?

tari solet. Præterea tamen notandum, quòd dysenteria in febribus continuis & Variolis, adeò frequens sit affectus, ut quibusdam annis epidemicus evadat, & Peste non mitior, plurimos interimat: hujus causa esse solet, non humor aliquis intus in visceribus productus, qui acrimoniâ suâ intestina corrodit, (ut nonnulli putant) sed miasma quoddam sanguini impressum, adeoque intimè ipsi confusum, ut sub vaporis aut humoris sinceri forma, à cruore divelli nequeat, quare versùs intestina propulsum, arteriarum oscula reserat, ulcuscùla & sanguinis exsudationes illic facit, velut cùm à sanguine febrili, cutem versùs efflorescente, pustulæ & plegmones exteriùs erumpunt; verisimile autem est, quòd affectus illi dysenterici, qui febres malignas aut epidemicas, ita & Variolas &c. comitantur, à sanguinis aciditate austero-salina oriantur, de qua fusiùs suo loco. Ubi verò acrimonia abest calor verò tantò intensior, tunc ex defectu humidi, summa contingit alvi constipatio, adeò, ut non nisi pharmaco proritata, minimè solvatur, licèt ægri per plures dies liquida tantùm ingesserint, nihilominus dejectiones solidæ, & duriusculæ consistentiæ observentur, ob dictam mox rationem; parte enim subtiliore per caloris excessum absumptâ, & crassiore in intestinis relictâ, velut caput mortuum â destillatione residuum inspissatur.

Unde summa alvi cõstipatio proventũ habeat.

Viridia in infantibus excrementa unde?

Nota, quòd in Infantibus sæpissimè appareant excrementa viridia, quæ partim corruptioni assumptorum, partim debilitari ventriculi & intestinorum, à voracitate & ingurgitatione nimia infantum, ortum suum agnoscunt. Quæ tamen meo judicio excrementa viracidia, à flavis non nisi majori cruditate distant, unde frigida illa intemperies vel sola sufficere potest, ad excrementa talia generanda, & assumptos cibos corrumpendos, ea autem intemperies rursum oritur, à voracitate infantum, unde multum tenacis humoris generatur, qui calorem ventriculi obruit.

Signum

Signum 22. Manuum & Pedum tremor, ab effervescentis acido salsuginosis sanguinis fuliginibus, ad exteriores artus translatis, excitatur. Signum Vigesimũ' secundum.

Signum 23. Symptomatum & signorum in Variolis & Morbillis (prout de febribus in genere diximus) agmen claudat, Pulsus & Urina, quibus præcipuè attenditur, pro dignoscendis tùm morbi statu, tùm ægri viribus; cùm enim duo sint, quibus vita nostra innititur, scilicet calor in corde residens, & coctio in visceribus & vasis peragenda; ratio rationis, quoniam Pulsus & Urina alterationes, in utrisque à febre inductas, optimè ostendunt, ideò hic affectûs in mortem aut salutem cessuri, certissimum desumitur cryterion. Non arbitror hic necessarium, de his fusè agere, aut singulas utriusque causas & differentias recensere, satis erit de iis præcipua annotâsse, quæ in decursu Variolarum & Morbillorum consideratione digna occurrunt. SignumVigesimum tertium, ex Pulsu & Urina.

Et primùm consulitur *Pulsus*, vel ut constitutum à natura certius indicium, ut exinde mensurentur, calor in febre accensus, qui si intensior fuerit, & magnam sanguinis ebullitionem concitet, arteria vehementiùs & citatiùs vibratur, quamdiu spiritus vigore pollent, deinde ipsis paulò exhaustis, validior Pulsus remittit, quod tamen celeritate compensatur, & fit celer & parvus. Si febris sit mitior, & minori incendio tumultuetur, etiam Pulsus à naturali statu minùs deflectit, & in toto morbi decursu, cujus moderatio, naturæ inducias denotat. Nec tantùm Pulsus febris, veluti hostis, copias prodit, sed & naturæ robur, & resistendi valorem planè ostendit, quamdiu Pulsus est laudabilis, res in vado est, & spem optimam exhibet, sed ex malo ejus statu, pessimum infertur omen, & salutis desperatio, adeò ut sine crebro & diligenti Pulsûs examine, Medicus nec *prognosticari* ritè possit, nec *pharma-*

Pulsus est mensura caloris febrilis.

Pulsus vehemens vires integras denotat.

Celer & parvus remissas.

Explicatio ulterior signorum ex pulsu sumptorum.

Medicus nihil præ-

stare poterit absque accurata Pulsus cognitione, nec in prognosi, nec medicamentorum exhibitione & probatur quoad prognosin. Oportet præscire cujusque naturalem Pulsum, nam variat etiam juxta morbi tempora. Sequuntur plura ex Pulsu sumenda indicia. Si sani Pulsum habeant debilem, ii febre correpti illum quoque exilem si habent non adeò malum. & quo in casu. Probatur pulsûs cognitionem esse quo-

pharmaciam tutò instituere; Pulsus enim est nuncius qui non mentitur, modò malignitatem exceperis.

Quod primum attinet scilicet *prognosticon*, (licèt id magis propriè ad prognostica spectet, ob rei tamen combinationem, & faciliorem subsequentium captum, hoc loco inserere per parenthesin placuit) innotescat oportet, qualis sit cujusq; Pulsus juxta naturalem constitutionem, his enim fortior, illis debilior existit, deinde in singulis febrium momentis, perpendendum est, quibus gradibus à naturali statu distet, modò enim à debito vehementior, arguit febrem intendi, modò infra solitum deprimitur, & denotat spiritus & vires dejici. Quibus sanis arteria debiliter & languidè pulsat, eos febre correptos, Pulsum habere exilem & debilem non adeò malum est, ut statim de salute desperemus. Quibus Pulsus à natura fortis & vehemens est, si à mala crisi vix mediocri pollet vigore, licèt non sit omninò debilis, ægrotantis rem suspectam & minimè tutam arguit; si ab initio febris, priùs quàm sanguis deflagravit, vel si factâ crisi, cum pars oneris detrahitur, aut si alio tempore, sine causa evidenti, Pulsus debilior evadat, malum portendit: si verò post magnas evacuationes, aut longas vigilias paulò debilior sit Pulsus, non ideò de salute conclamatum erit, quia vires his modis dejectæ aut labefactatæ, poterunt denuò restaurari, & spiritus refici; quando Pulsus subitò in deteriùs alteratur, licèt æger se ad cætera symptomata meliùs habere visus sit, triste mortis prognosticum edicere, & vice versâ; licèt horrenda urgeant symptomata, Pulsus tamen sit laudabilis, adhuc salutem sperare liceat. Si in viro robusto febricitante, Pulsus valde exilis & formicans evadat, mors in proquinquo est.

Quoad secundum, scilicet *in exhibendis medicamentis*, cautiones & regulæ non levis momenti à Pulsu desumuntur; purgatio enim & vomitus, prohibentur à Pulsu nimis mutato & violento,

violento, etiam ab humili & depresso, quia dum sanguis nimiùm effervescit, evacuatio parùm conducit, & quod noxiū est, minimè secernitur, imò à tali perturbatione facta vires plus debilitantur & dejiciuntur. Cùm verò spiritus sint fracti, & vires dejectæ, pharmacia eos magis posternit, & quandoq; penitus exsolvit, quia nimirum afflicto additur afflictio; quare cùm Medicus evacuationem infra vel supra meditatur, priùs Pulsum exploret, & hoc opus solummodo aggrediatur, cùm natura est fortis & sedata, ut unà medicamenti operationi vacare, & viribus possit sufficere.

que necessariam pro exhibendis medicamentis.

Quali in Pulsu liceat evacuationem supra vel infra celebrare?

Nec minori circumspectione opus est in *cardiacis & diaphoreticis*, quæ, si in febrili paroxysmo exhibentur, cordis motum priùs violentum nimis intendunt, & sæpissimè ejus robur infringunt, etiam cùm Pulsus valde languidus sit; si cardiaca valida & calidiora adhibeantur, (ut cùm ex illis flamma fortioris spiritus afflatu urgetur) facilè vita extinguitur; quare vulgaris observatio est, quòd cardiaca non raró mortem accelerent, eò quòd cruorem nimis exagitando, vires citiùs atterant.

Quando cardiacis & diaphoreticis utendum?

Cur cardiaca, & quali in casu mortem accelerent?

Adhuc majori opus est cautelà, & Pulsûs directione, in exhibendis *Narcoticis*: hæc enim, (quia spiritus vitales nimis feroces exstinguendo & figendo opus suum perficiunt) si in Pulsu debili aut vacillante usurpentur, spiritus vitales diminuendo, eos morbo omnino impares reddunt, aut eos nimiùm suffocando, somnum perpetuum accersunt: quare in Pulsu languido, inæquali & formicante, cane pejus & angue vitentur opiata.

Exhibendo opiata, etiam necesse est Pulsum observare.

Pulsus inæqualis & *intermittens* ex Medicorum scriptis pessimè audit, attamen pravæ licèt sit notæ, non tamen sicut Pulsus debilis tam certò mortem portendit; novi enim plures cum ejusmodi signis, licèt sepulchro damnatos, tamen evasisse, quippe multò certiùs & faciliùs spirituum & sangui-

Pulsus inæqualis & intermittens, non est tam periculosus, ac debilis.

nis inordinatio compesci aut sedari poterit, quàm eorum dejectio restaurari.

Urinarum inspectio in Variolis &c. maximi est momenti, Rationes.

Quod *Urinas* attinet, certum est, Urinarum inspectionem in febribus, ità & Variolis & Morbillis, præ cæteris ferè omnibus morbis plus habere certitudinis, & maximi esse momenti: hinc enim ægri & morbi status optimè cognoscuntur, & Medici indicationes circa agenda meliùs diriguntur. Quæ super hac re vulgò prostant observationes & regulæ, adeò multæ sunt, ut singulas enumerare, penè infiniti esset operis, tœdii & laboris; præcipua itaque hîc annotâsse sufficiat. Circa Urinas Variolantium, Morbillantium & Febricitantium præcipuè advertenda sunt: *color*, *consistentia*, *contenta* & *subsidentia*.

In Urinis Variolantium &c. attendendum præcipuè ad colorem, consistentiam, contenta & subsidentiam. Quid Urinæ color rubicundus indicet; & quæ ejus causa? Quare quidam leviter febrientes, summè tinctam, alii graviter, minimè tinctam habeant Urinam?

Color Urinæ indicat modum aut excessum caloris in sanguine, qui prout augetur vel remissiùs se habet, etiam urina plùs aut minùs rubicunda existit, cujus causa est ebullitio, seu effervescentia, cruori à febre inducta, propter quam particulæ Salis & Sulfuris invicem commixtæ, & Aquæ incoctæ, humoribus & solidis partibus antè insitæ, plus dissolvuntur & sero incoquuntur, eique rubedinem impertiunt, uti Sal Tartar. & Sulfuris mista, & aquæ incocta, liquori rubedinem saturatam imponunt: contingit non rarò, ut quorundam Urinæ summè rubescant, licèt parùm vel leviter febricitent, & è contra aliorum æstu febrili laborantium Urinæ sint minùs coloratæ. Qui calore vegeto & sanguine præfervido abundant, aut scorbuto, phthisi, & gravibus obstructionibus sunt obnoxii, cum â frigore suscepto πυκνιθσεὶ, crapulâ aut vini potu, febriculâ tentantur, Urinam intensè rubicundam reddunt, eò, quòd Salis & Sulfuris particulæ in eorum sanguine exaltatæ, & priùs semi-solutæ exstiterunt; quare necesse est, ut febre urgente sero plus incoquantur. E contra qui intemperie frigidâ, cum pulsu debili & imbecilli, præditi sunt, febre correpti,

correpti, cum majori ſanguinis effervescentia, Urinam minùs coloratam excernunt. Hactenus tamen quaſi pro comperto habetur, Urinam albam cum ſedimento furfuraceo, aut præſentes, aut mox adfuturas Variolas & Morbillos indicare.

Urinam albam cum ſedimento furfuraceo plerumque ſequuntur Variolæ.

Urinarum conſiſtentia, contenta & ſubſidentia, velut in eodem filo poſita, ſimul dependent â materia aduſta & excrementitiâ, quæ â deflagratione febrili in ſanguine reſidua eſt, cujus ſi copia adfuerit, Urinæ conſiſtentia non nihil ſpiſſior evadit, &, poſtquam ſteterit, â frigore turbatur; ſi autem hujus ſit, minor quantitas, aut aliò, quàm ad renes derivatur, (nimirum ſi vel ſudore, vel criticâ in hanc vel illam partem metaſtaſi avocetur) conſiſtentia fit tenuior, & liquor clarus perſiſtit. Etiam hujus materiæ particulæ Urinæ contenta elargiuntur, quæ ſe diverſimodè habent, juxta quòd vel ſuccus nutritius â ſanguine nonnihil coquitur & aſſimilatur, modò omnino pervertitur, & in putrilaginem faceſſit. Concoctionis & aſſimilationis ſigna exhibent in Urinis Variolantium & Morbillantium modò hypoſtaſis, ſeu ſubſidentia laudabilis, modò ſaltem ejusdem veſtigia & rudimenta. Concoctionem vitiatam è contra denotant hypoſtaſeos privatio, & partium Urinæ confuſio & perturbatio. Prout autem hæc materia plus vel minùs in ſanguine aſſatur, contenta ſunt modò pallidi, modò ruffi coloris, pro ratione, quâ excrementa ſanguini confuſa, vel ſpiritu præpollente, ſubigi & ſecerni incipiunt, vel eôdem nimis depreſsô, ſeparari minùs queunt: hinc contenta Urinæ plus aut minùs, citiùs aut tardiùs â reliquo liquore ſecerni, & versùs fundum ſubſidere ſolent.

Unde Urinæ conſiſtentia, contenta &c. dependeant? Urinæ ſpiſſæ unde? Unde tenuiores? Ex quibus deſumantur ſigna concoctionis in Urinis Variolantium? Signa vitiatæ concoctionis. Unde contenta modò pallidi, modò ruffi coloris? Unde proveniant contenta pauca vel multa, citiùs vel tardiùs apparentia?

Quoad *Prognoſtica* ab Urina deſumenda, annotamus, quòd Urinæ color nonnihil remiſſior, conſiſtentia mediocris, contenta pauciora, ſponte ſubſidentia, aut facilè in nubeculam collecta, bonum portendant. E contra intenſus, conſi-

Quæ Urinæ ſint bonæ prognoſeos?

Quæ malæ. ſtentia ſpiſſa & turbida, contenta craſſiora & opaca, quæ tardè aut vix omninò in fundum ſubſident, effervescentiam magnam, materiæ aduſtæ copiam, ejusque ſubactionem & ſecretionem difficilem aut fruſtratam denotant; hinc quando in Variolantibus Urinæ ſanorum ſimiles ſunt, id fit, quia natura mineram morbificæ materiæ ad peripheriam, ſeu circumferentiam corporis propellit: & ſi hoc ob dictam cauſam accidat, nil mali ſperandum. Quòd ſi autem Urinæ tales ſint, & ſymptomatum malignitatisque adſit congeries, parum aut nihil boni ſperandum: denotat enim, naturam ſuccumbere morbo, concoctioni aut expulſioni ſuperſedere, & tandem infallibile mortis periculum inſtare. Verùm ſi Urinæ turbidæ, â vehementi humorum ebullitione, agitatione & perturbatione excitantur, quoad directiones pharmacevticas, id eſt, circa exhibenda medicamenta, res in hoc cardine verſatur, ut crebrâ Urinarum inſpectione, naturæ motum attendamus, eidemque obſequamur, nec catharſi movendum, niſi cùm debita hypoſtaſis in Urinis concoctionis & ſeparationis ſigna exhibeat. De his, quæ ad Pulſus & Urinas ſpectant, fuſiùs videantur Authorum Inſtitutiones.

Quando Urinæ ſanorum ſimiles in Variolis ſint bonæ. Quando malæ.

Quando catharſis poſſit habere locū in Variolis

Signum 24. Quandocunque in febribus, præſertim autem Variolantium & Morbillantium (ac præſertim circa earum declinationes) contingit, linguam, palatum, gingivas, imò totius oris & gutturis cavitatem, materiâ viſcosâ albicante, velut cruſtâ quâdam oblinini, quæ ſæpius deterſa repullulat, & niſi diligenter & fricando, & colluendo os univerſim, cruſtoſa hæc materia ſæpius abſtergatur, ſuffocationis periculum ægri non rarò ſubeunt. Sicut autem hic affectus in infantibus recens natis frequentiſſimè excitatur (ſolent enim plerumque inter 14. dies effervescentiâ externâ, cum maculis latis & rubris per totam cutim ſuffundi) ita quòd ſi hæc ruboris ſuffuſio minùs liberè erumpit, aut debitò citiùs evaneſcit,

Signum Vigeſimū quartum. Prognoſis à partibus oris internis, materiâ viſcosâ albicante &c. obductis.

Cauſæ hujus viſcoſæ cruſtæ ſecundùm alios.

ſcit, utplurimùm cruſta hæc albicans in partibus oris ſuccedit.

Hoc ſymptoma, quando hoc ritu Infantes moleſtat, vitio lactis adſcribi ſolet, utpote quòd acre nimis affectionem oris ulceroſam inducat. In Variolantibus & febricitantibus idem vaporibus craſſis & fuliginoſis, â ventriculo elatis, vulgariter attribuitur, quamvis mihi veroſimilius videatur, in utriſque Secundùm hunc affectum â totius ſanguinis & humorum circulantium Nos. impuritatibus oriri; etenim quotieſcunque aliquid extrane- Ejus fiendi um dictis humoribus intimè confuſum continetur, quod nec modus. ſudore ſit diſſlabile, nec per Urinas facilè demandetur, illud ſæpiſſimè cum ſeroſa colluvie circa os defigitur; unde affectus catarrhales, tumores & ſputationes moleſtæ excitantur. Cùm enim pro maſticatione ciborum humor ſalivalis hìc loci ubertim ſuffundi debeat, per patentes, & haſce aſſuetas excretionis vias natura ſæpè, quod ſuperfluum eſt, aut aliàs moleſtum, foràs amandare nititur.

Hinc â Mercurio exhibito, cùm & cruor & ſuccus nervoſus particulis ejus minutiſſimè diviſis abundè infarciuntur, eaſq; ſero involutas excernere moliuntur, idque verò per ſudorem, Urinam, aut aliam viam, Mercuralia hæc corpuſcula confuſa exterminare non queant, quod reliquum eſt, per arterias alioſque ductus, qui ſalivam ori ſuppeditant, eadem ſeroso latice obvoluta expellere nititur. Pariter etiam in febribus, cùm â longiori ſanguinis deflagratione materia aduſta plurimùm congeritur, cujus nonnulla pars poſt criſin reſidua adhuc cruori & ſucco nervoſo affunditur, aut cerebro aliove loco defixa, ab iiſdem denuò reſorbetur. Probabile eſt, quòd iſta mate- Quare illa ria, diuturnâ coctione peraſſetur adeò, ut ferè glutinis inſtar materia craſſeſcat: quare nec ſudore, nec träſpiratione inſenſibili diſſla- non per bilis, nec per vias Urinarias ſecerni habilis, ſed demum arterio- alias vias lis, aliiſque ſalivæ ductibus, in palatum dehiſcentibus, (utpote expellatur hujusmodi

lentoris incrustationem causans? usitatâ excretionis viâ) sensim exsudet, ut protinus præ crassitie suâ in lentorem istum concrescat. Eadem ratio tenet de infantibus, quorum sanguis à sudoribus in utero contractis, impurior factus, statim efflorescentiâ exterius factâ, depurari satagit, quæ si ob materiæ crassitiem haud ritè succedat, statim hâc veluti patentiori impuritates viscosæ exterminantur. Novi quendam in declinatione febris, cui non solùm hujusmodi lentoris incrustatio in partibus oris successit, verùm salivatio copiosa, velut ab assumpto Mercurio, cum fœtore anhelitûs, item linguæ & gingivarum intumescentiâ, per plures dies ciebatur.

Signum vigesimum quintum. *Signum* 25. Post prædicta signa, aut sæpiùs etiam cum iis, circa tertiam aut quartam diem apparent in facie & toto corpore priùs cutis asperitas, ab exanthematum in superficie corporis proventu & eruptione, mox parvæ pustulæ, granorum milii similes, aut saltem rubræ maculæ, quæ semper & continuò crescunt, in magnitudine & numero multiplicantur, quæ si (NB.) in *altitudinem* crescant & elevantur, sunt *Variolæ*, si in *latitudinem*, sunt *Morbilli*.

Quomodo possit cognosci, an Variolæ, an verò Morbilli sint futuri?

Et hæc sunt *Signa* imminentium Variolarum & Morbillorum *diagnostica*, quæ tamen, ut diximus, non sunt necessaria, quia simul singula fere omnia seorsim in aliis febribus contingere possunt, sanguinisq; tantum fervorem indicant, cui necessariò exanthemata non succedunt.

Signa præsentium Variolarū. *Signa* autem *præsentium Variolarum & Morbillorum* cùm sensibus pateant, non aliis signis indigent, eademque, ne notum per se explicatione reddamus ignotius, plura non dicimus, illa ex tribus capitibus (ut paucis dicamus omnia) desumi: Imò. ab actionibus læsis: 2dò. ab exeuntibus, seu excrementis immutatis: 3tiò. ab affectibus præter naturam. Ex actionibus læsis est delirium, insomnia terrifica, & dolores capitis,

Desumuntur autem I. ab actionibus læsis

tis, gutturis, dorsi, pectoris, lumborum, tremor &c. Ab excernentibus mutatis sunt lachrymæ involuntariæ, Urina sanorum similis, constipatio, vel laxatio alvi nimia. Ab affectibus præter naturam est febris, tubercula exigua &c. II. Ab excrementis immutatis. III. Ab affectibus præter naturam.

Signa differentiarum Variolarum à Morbillis, Morbillorum à maculis purpureis, & similibus affectibus, abundè jam fuêre suprà proposita. Signa differentiarū.

Signa causarum quod attinet, imprimis ab ipso sanguine propriè dicto, nullæ videntur fieri Variolæ & Morbilli, quia ipse sanguis per se vitiosus non est; humor autem, qui Variolas excitat, plurimùm excrementitius est: qualis autem sit humor, facilè juxta Veteres indicat color: à bile enim cum flavedine rubescunt, & acredinis sensum majorem exhibent: à pituita, colorem album habent, ac sanie liquidiore abundant: ab humore Melancholico nigricante, & cum siccitate, magis sordescunt, imò nonnunquam violaceæ, virides, lividæ aut nigræ sunt, prout scilicet humores magìs corrupti & exusti sunt. Præterea notandum, si veritati Veterum studeamus, quòd si materia sit biliosa & tenuis, minor quidem est dorsi dolor & gravitas, sed major ardor, inquietudo, sitis. Si verò materia sit crassa, minor quidem est pruritus & ardor, major autem corporis gravitas. Signa Causarum. A sanguine propriè dicto non fiunt Variolæ. Quomodo noscantur esse à bile juxta Veteres. Quomodo à pituita. Quomodo ab humore Melancholico. Quomodo præterea juxta Veteres potest nosci ex quali humore fiant?

Signa locorum, & partium, quæ ab iis obsidentur, jam in prædictis etiam sufficienter explicata reperiuntur.

Signa, quibus dignoscatur, utrum aliquis nunquam amplius Variolis & Morbillis sit corripiendus, (diximus enim quosdam semel, quosdam sæpius illis affici) proposuit mihi quondam Venerabilis quædam Domicella, cœteroquin fæmina non imprudens, tanquam pro verissimâ (fæmineâ tamen, quantum reor utique labili) experientiâ affirmans: *Variolas*, inquit Quomodo possit cognosci, an quis Variolis semel correptus nō amplius iis corripietur.

inquit, *plerumque redire, nisi ità erumpant, ut & plantas pedum occupent*; ad quod signum licèt ego & forsitan alii mecum exactè nunquam attenderint; illud tamen non credidi, carere omni probabilitate: nam plantas pedum simul esse affectas, signum esse videtur, quòd naturæ variolosa hæc crisis planè perfecta fuerit, omni scilicet materiâ expulsâ, etiam ad loca à vitalibus distantissima. Alii sunt, qui credunt, si præcesserint Morbilli, ac subsequantur Variolæ, non facilè iterum Variolis affici homines, secùs si præcesserint Variolæ, ac subsequantur Morbilli; attamen & in hoc contrarium sæpe sæpius, præsertim hôc currente annô, observatum est.

Aliorum opinio de Signis, quòd Variolæ non sint rediturae.

Signa Prognostica.

Signa Prognostica. Maximi, ut diximus, esse momenti, imminentes Variolas prævidere; multò tamen majoris erit, earum eventum, sive bonum sive malum, salutis aut mortis, teste Hippocrate 2. *Aphor.* 19. prædicere, quem tamen sequentia signa indicabunt. Priùs verò notandum *in genere*, nos hîc solùm loqui de Variolis & Morbillis ordinariis, quæ ab intrinseco nativo principio pullulant, nulli ferè mortalium parcentes; non autem de Variolis & Morbillis, quæ in pestilenti aëris constitutione invadunt, quæ omnes utplurimùm perniciosæ sunt, & ob maxima incendia, ardentissimas febres & insignem putredinem secum vehunt, sæpeq; intestina, fauces, pulmones, vehementissimè excruciant. Notandum 2*dò in genere* Variolas & Morbillos ratione regionis & provinciæ esse magis vel minùs periculosas. Sic Morbillos in Italia, & Hispania periculosiores esse, quàm Variolas, refert *Mercatus*; in Germania verò experimur magna ex parte contrarium, ubi ex Morbillis pauci admodum, vel nulli moriuntur; ex Variolis verò multi. Rationem hujus reddere non est difficile: nam cùm materia Morbillorum ex biliosiore, tenuiore, fervidiore, volatilioreque constet sanguine & sero, quod ostendit color flavescens,

De qualib. Variolis & Morbillis hic sermo fit? dum de eorum Prognosi agimus.

Prognosis horum affectuum ratione regionis & provinciæ variat.

Ratio huj. diversitatis, cur nempe in

vescens, eruptio celer, pruritus major, resolutio seu evanescentia citra suppurationem citissima, consequens porrò erit, ut in regione calidiore hæc Morbillorum materia sit etiam sincerior, atque adeò exinde natæ febres sint acutiores & periculosiores, quàm in Germania, ubi ob climatum diversitatem volatilis hæc sanguinis pars per Morbillos ad ambitum corporis detrusa, plerumque phlegmate aliquo Teutonico demulcetur ac obtunditur, ac proinde nec febrem tam acutam & periculosam producit. Variolas quod attinet, materia illarum sanguinea quidem est, sed crassior, copiosior, & veluti fex ac putrilago sanguinis, & hæc sanè materia, cùm in Germania, ob victûs rationem multò ampliorem & lautiorem, majori plerumq; copiâ, quàm in Italia & Hispania in ægrotis exuperet, mirum non erit, si illa apud Germanos sæpiùs ægrotantium viscera, & corporis superficiem insuperabili multitudine obruat, ac præter pravitatem copiâ præcipuè opprimat, præsertim imbecilles ac cacochymicos ad putredinē dispositos; in Italia & Hispania è contra pluribus è Variolis evadentibus, cùm materia Variolarū non tàm sincera, tàmq; fervida sit & acuta, quàm in illorum Morbillis, ac demum non tàm copiosa, quàm in Germaniæ Variolis, uti dictum, existat. Notandum *in genere 3tiò.* Si vere aut æstate prodeant Variolæ, eâdem æstate solent disparere maculæ; si verò autumni tempore fiant, totâ fere hyeme perdurare, ac subsequenti æstate demum evanescere consueverunt.

Italia &c. Morbilli periculosi.

Cur è contra in Germania Variolæ periculosiores.

Variolæ, quæ in vere aut æstate prodeunt, earum maculæ citò disparent, in autumno non item.

Notandum *in specie Imò.* Variolas & Morbillos inter morbos acutos recenseri posse, quia ut plurimùm intra paucos dies, & quidem cum periculo ex vehementi motu & symptomatibus (adeò ut morbus statim vigorem seu statum attigisse videatur, qui sunt Morborum acutorum characteres) hi tumores accidunt, pro quo

Variolæ & Morbilli inter morbos acutos recensentur.

Motus criticus alius bonus, alius malus est.

Notandum 2*dò*. Non obstat, quod motum est supra, esse crisin seu motum criticum, quia alius est motus criticus bonus, alius malus, id est, alius ad salutem, alius ad mortem, ut ipsa sonat criseos natura & definitio.

Duplex à quibusdam statuitur Variolarum & Morbillorum tempus, nimirùm ebullitionis & eruptionis. Alii tertiū addunt suppurationis. Ab aliis quadruplex. Quot diebus terminetur tempus ebullitionis? Qui dies sit principium earū eruptionis, qui status, qui declinatio? Quibus mediis citiùs Variolæ tempora sua percurrant. Variolarū discretarū

Notandum 3*tiò*. Quòd duplex temporum series à nonnullis ingeniosè statuatur, quæ temporum series Medicis, ut verâ & securâ methodo curent, observatu summè necessaria est, tempus nimirum *ebullitionis* & tempus *eruptionis* Variolarum & Morbillorum. Alii triplex Variolarum tempus, & quidem doctè statuunt; principium tempus *ebullionis*, alterum *eruptionis* vel apparitionis, tertium *suppurationis*: alii quadruplex tempus *ebullitionis* seu effervescentiæ, tempus *eruptionis*, tempus *augmentationis*, tempus *suppurationis*. Tempus ebullitionis quatuor utplurimum, nisi aliud obstet, diebus perficitur, ita ut primus dies principium, secundus augmentum, tertius status, quartus declinatio statuatur, elapsô enim quartô, febris & potiora symptomata remittere solent, unde

Notandum 4*tò*. Quòd *principium* exitûs, id est, eruptionis Variolarum, sit ipsemet quartus dies, *augmentum* septimus, *status* undecimus, *declinatio* decimus quartus, quo tempore Variolæ exsiccantur & decidunt; quamvis non raro ad vigesimum usque diem Variolarum exsiccatio protrahatur, ut videre est in *Ephemer. Germ. An.* 1672. *Obs.* 84. *fol.* 141. Quò autem natura est robustior, quô materia subtilior, quò cutis porosior; quò viæ interiores patentiores, per quas sanguis transire necessum habet, quò rectiùs ægri gubernantur & se in calido continent, eò etiam tempora enumerata breviora sunt, & maturiùs Variolæ erumpunt, augentur, suppurantur, aresiunt & finiuntur.

Notandum 5*tò*. Eruptionem Variolarum, id est, modum eruptionis quod spectat, hoc se ferè habet modo. *Imò.* Maculæ

culæ subrubræ, tenuissimarum acicularum puncta adæquantes magnitudine, sparsim se prodeunt, faciem imprimis occupantes, præsertim labia & mentum, vel etiam collum & pectus, deinde corpus universum: per id temporis & fauces dolor infestat, qui unà cum pustulis surgentibus augetur, quæ in dies grandescentes, & in majus fastigium elevatæ, cutem carnesque vicinas, rubore atque inflammatione afficiunt. eruptio quomodo se habeat & fiat? Quas partes primò occupent

Circa *octavum* à primo insultu *diem*, intervalla cutis, quæ priùs subalbebant, præ pustularum, quibus obsidentur, numero, jam incipiunt, atque in molem attolli, non sine dictarum partium dolore tensivo & lancinante, qui in horas auctus, inflammationi, tumori & prædictis viam sternit, ita ut progrediente morbo, palpebræ adeò impleantur, ut æger quandoque luce privetur, qui quidem palpebrarum tumor, vesicam inflatam ac splendescentem, per easdem extensam non malè refert. Post faciem intumescunt manus & digiti, qui pro pustularum numero distenduntur. Usque ad hanc diem pustulæ, quæ faciem obsederant, leves ac rubræ ad tactum fuerunt, jam verò asperiores evadunt (quod primùm est incipientis maturationis indicium) atque subalbidæ, paulatim succum quendam luteum, colore à flavo non abludentem, evomunt; faciei interim & manuum inflammatio, ad summum evecta apicem, colorem exhibet in pustularum interstitiis, satis floridum & rosarum damascenarum colori similem, Et sanè, quò mitiores sunt Variolæ & magis genuinæ, eò etiam magis, tùm ipsæ pustulæ, tùm etiam cutis, in earundem interstitiis, dictum colorem ad vivum exprimunt, qualem jam diximus. Ubi verò, quæ faciem occupârant pustulæ, asperiores quotidie; ac magis flavæ pro maturationis ratione, ita è contra, quæ manus & reliquum corpus, minùs asperæ, & magis albæ in dies conspiciuntur. Quid circa octavum diem fiat. Quas partes post faciem aggrediantur

Quid circa undecimam diem fiat?

Die 11*mò*. faciei tumor atque inflammatio satis apertè recedunt, & pustulæ tàm faciei, quàm reliqui corporis, jam maturitatem & justam magnitudinem adeptæ, exarescunt & decidunt, atque in hac Variolarum specie, hoc est, si discretæ & regulares, non verò pestilentes aut confluentes fuerinr.

Quid decima quarta aut decima quinta. Quomodo faciei, & quomodo manuum Variolæ abeant. Pustulis faciei succedunt squammulæ furfuraceæ. Decedentibus squammulis primùm in conspectū veniunt foveæ.

Die 14. aut 15. utplurimum funditùs pereunt. Verùmtamen manuum pustulæ, cæterarum partium pustulis pertinaciores, plerumque recentes adhuc & albæ, diei unius aut alterius morâ, illas vincunt: Faciei & reliqui corporis pustulæ, desquammatione, at verò manuum quæ sunt, diruptione, abitum sibi parant. Pustulis faciei, ut dixi, succedunt squammulæ furfuraceæ, quas aliquando excipiunt foveę cutis. Etenim ubi primùm decidunt pustulæ, nulla adhuc in cute cernitur inæqualitas, at verò ejusmodi squammulis exsurgentibus & recedentibus vicissim, tandem istæ foveæ excavantur, quæ sæpe numero in convalescentibus ab hoc morbo diu visuntur; quamvis raró admodum Variolæ discretæ ulla sui relinquant vestigia, atque illæ ferme solæ, quæ confluunt, notas cutis non evadunt. Et hæc de modo eruptionis Variolarum discretarum.

Quomodo confluentes Variolæ erumpant.

Confluentium Variolarum eruptionem quod attinet, sciendum est, symtomata cum discretis Variolis plerumque communia habere, nisi quòd in confluentibus omnia sint atrociora, v. gr. febris, anxietas, vomituritio &c. immaniùs affligunt, unde sagax Medicus, etiam ante eruptionem confluentium Variolarum, earum ortum prædicere potest. Accedit, quòd in confluentibus diarrhæa eruptionem præcedat, & ad diem unum alterumvè post illam protrahatur, quod in discretis valde raró observatur. Præterea confluentes die utplurimum tertio, imò quandoque secundo, rarissimè autem quarto; è contra discretæ die quarto inclusivè, â primo morbi insultu,

Confluentes citiùs, quàm discretæ se [...]ant.

vel

vel post quartum, raro autem ante quartum, se monstrant. Quò magis autem quartum diem præverterint Variolæ, eò magis confluent.

Quò magis quartum diem præveniunt, eò magis confluunt.

Quamvis autem, ut generaliter loquamur, confluentes diem quartum vix unquam præstolentur, attamen contingit, licèt aliquomodo rariùs, ut ratione alicujus atrocioris symptomatis usque ad quartum aut quintum diem eruptio differatur: exempli gratiâ, dum nunc acutissimus dolor in regione lumborum, instar proximi nephritici, nunc in latere, qualis pleuriticorum est, nunc in ventriculo, cum ingenti ægritudine & enormi vomitu, ægrum ante eruptionem angit & affligit. In talibus casibus, (quamvis sint infrequentes) tardiùs solito Variolas & Morbillos erumpere, animadvertitur, utpote â dictorum symptomatum violentia constrictas & impeditas: quæ quidem symptomata si solitis vehementiora sunt, apertè indicare videntur, secuturas Variolas è genere confluentium esse, quæ minimè periculo vacant. At verò, quamvis in discretis mox ab eruptione, quæ morbum comitantur symptomata, nullum jam negotium facessant, in confluentibus longè aliter se res habet; tàm enim febris, quàm alia symptomata, ægrum etiam ad complures dies â pustularum eruptione discruciant. Dictæ modò Variolæ confluentes, nunc ad modum erysipelatis, nunc Morbillorum erumpunt, â quibus non nisi in his morbis versatissimus Medicus distinguet, saltem quoad externam faciem; nam qui ad dispar in utroque morbo tempus eruptionis, aliasque circumstantias sedulò attenderit, non difficilè illi erit, hunc ab illo discriminare. Morbo crescente non attolluntur in molem aliquam spectabilem, quemadmodum discretæ, quæ præsertim faciem occupârunt, at sibi invicem implicitæ, habent se instar rubræ vesiculæ totum vultum contegentis, quam etiam citiùs elevant in tumorem, quàm discretæ; deinde adinstar pelliculæ albæ cuti agglutinatæ, solidam cutis superficiem

Etiam ubi aliquod atrox symptoma urget ad diē quartum aut quintum differtur eruptio Ratio.

In confluentium Variolarum factâ eruptione non cessant symptomata, ut in discretarū.

Ulterior confluentium eruptionis ejusque modi consideratio â discretis differens.

Quomodo præterea differant in eruptione.

Præterlapsâ die octavâ quomodo procedant.

ciem non multùm superantes. Præterlapsâ die octavâ pellicula alba paulatim quotidie magis exasperatur, & colorem fuscum, non autem flavum, prout accidit in discretis, indies tùm asperitas, tùm etiam color cutis intenduntur, donec tandem pellicula latioribus laminis disquammatur, quod in quibusdam faciei partibus, si truculentior morbus fuerit, non nisi post vigesimam diem contingere solet. Quantò Variolæ fuerint atrociores, tantò magis maturescentes pustulæ ad colorem subfuscum vergunt, tantò etiam citiùs abscedunt, & è contra quantò minùs confluxerint, tantò magis & flavescunt & ociùs proripiunt. Hæc pellicula aut scabies omnia pervadens, ubi primùm deciderit, nullà quidem scabritie afficit vultum, at verò mox illam afficiunt squammulæ furfuraceæ perquam corrosivæ, quæ non modò potentiores excavant foveas, quàm solent Variolæ distinctæ, sed etiam faciem cicatricibus fœdè deturpant. In confluentium genere si admodum sævierit morbus, humorum ac etiam dorsi cuticula nunquam deperditur, nudatis partibus subjectis & expositis.

Confluentes faciem cicatricib. deturpant.

Variolæ &c. cum sint morbus acutus de iis absolutè quid statui non potest.

Notandum 6tò. Cùm, ut diximus, morbus sit acutus, adeò generaliter seu absolutè certum quid statui, aut prognosticari non potest, juxta Hipp. 2. *Aph.* 19. *Morborum acutorum non omninò certæ sunt prædictiones, neque mortis, neque salutis*; sunt enim futura contingentia, quæ in triplici sunt differentia, quædam ut plurimum eveniunt, ut in æstate calor, in hyeme frigus; quædam rarò, ut Cometa; quædam sunt ad utrumlibet, quia æqualiter fieri & non fieri possunt, ut quæ à voluntate nostra pendent. De primis & secundis est determinata veritas, quòd erunt vel non erunt, ut plurimum, sed de contingenti futuro ad utrumlibet non est determinata veritas.

Talis est in universum eventus acuti morbi, quia potest occidere, vel non occidere, ubi pro clariore explicatione be-

ne nota, quòd etiam in ipso morbo acuto adhuc triplex illud contingens reperiatur. Variolæ enim v.gr. si bona signa omnia habeant, sanabitur æger, si omnia mala, morietur: Si partim bona, partim mala, dubius erit morbus: In primo & secundo casu Medicus ferè semper vera prædicit; utplurimum enim contingit sanari cum bonis signis, & mori cum malis: at in tertio dubius est eventus, & ideò etiam incerta prædictio.

Sciendum autem est, quòd in omni morbo acuto fieri possit prædictio, vel in principio, vel in augmento, vel in statu ipsius morbi. In principio aut augmento utplurimùm incertæ sunt prædictiones, & ideò monuit Hipp. *Libr. Prædiction.* non esse prædicendum, donec statum morbus acceperit, quia eo tempore coctiones accidunt, & quicquid natura potest, ostenditur.

In omni morbo acuto fieri possunt prædictiones secundùm tria prima morbi tempora. In primis tamen duobus temporibus sunt incertæ.

Sciendum præterea, quòd causæ, (ob quas in universum non sunt certæ prædictiones in acutis) sint materiæ caliditas, volatilitas, vel copia, ob quæ citò de una parte ad aliam transmittitur. His accedit error ægri, adstantium, aut Medici fortuna, novus superveniens morbus. Est tamen certior ad mortem, quàm ad salutem prædictio: ratio, quia magis contingit mori, quem edicimus victurum, quàm è contra. Atque ut clarior sim in explicando hoc sæpissimè occurrente Aphorismo,

Rationes cur prædictiones morborum acutorum sint incertæ.

Sciendum 3tiò. Medicum, nonnisi cum maximo fundamento, omnibus collectis & inter se comparatis signis, morbi statum debere prædicere, unde suadet *Galenus*, ut Medicus in prognostico duo faciat; primò mente agitet, quid sit futurum, deinde id pronunciet & voce explicet. Primum appellat *præsensionem*, secundum verò *prædictionem* præcedere debere: nam ex vera prædictione admirabilis & miraculosus judicatur Medicus,

Medicus, at verò si erraverit (inquit Hipp. *Lib. Prædic.*) fortassè insanire videbitur.

Juxta Hipp. Ly prognosticum multa sub se habet.

Allegatur Hipp. Aphoris. ratione eventûs morbi.

Ratione temporis eventûs.

Sciendum 4tò. Quòd juxta Hipp. 1. *de Morb.* Ly prognosticum multa sub se comprehendit, eventum, tempus eventûs, modum, Authorem, qualitatem, de quibus omnibus verus est allegatus Aphorismus. Ratione eventûs scripsit Hippocrates, alios morbos esse sanabiles, ut tertiana exquisita, alios insanabiles, ut morbus acutus in prægnante muliere tenerâ, alios dubios, ut omnes acuti in principio. De tempore eventûs dixit, alios esse breves, ut angina, pleuritis, quibus adde Variolas, præsertim autem Morbillos; alios longos, ut nephritis, podagra &c.

Morbus quò fuerit acutior, eò manifestiorem à principio habet prædictionem.

Sciendum tandem, quòd morbus, quò fuerit acutior, manifestiorem habeat à principio prædictionem, quia statim magnæ mutationes fiunt, qui enim evasuri sunt, facilè spirantes, dormientes, & reliqua mediocriter tenentes, id est, sine dolore & labore degunt. Morituri verò, spirantes difficulter, delirantes & cum dolore degunt. In morbis longioribus firmior est prædictio in processu, ratio: quia materia magis crassa, & non ita instabilis est, ità Hipp. 5. *Prognosticor.*

Quare Variolæ & Morbilli plerumque soleant esse boni & salutares.

Quando sint tales.

His igitur prænotatis, nunc proponemus signa, quibus conjecturari saltem potest, utrum Variolæ bonæ vel malæ, salutares aut lethales sint eventuræ. Bonæ & salutares utplurimum esse solent Variolæ & Morbilli, quia sunt motus critici, qui plerumque ad salutem terminantur, quamvis etiam interdum terminentur ad mortem, adjunctâ scilicet malignitate, quæ velut Pestis hominem depascitur. Quòd si verò malignitas absit, febris sit exigua, citò ac facilè erumpant & appareant, brevique ad maturitatem seu suppurationem perducan-

ducantur, teste Hippocrate, *in Coac.*114. *quibus* (inquit) *per febres assiduas pustulæ in toto corpore enascuntur, lethale est, nisi quid purulentum accidat.* Præterea hoc materiæ obedientiam & naturæ robur ostendit, & si febrem tollunt, aut saltem imminuunt, voxque sit libera & respiratio facilis, si largior hæmorrhagia narium illas præcesserit, si coloris rubicundi, subalbi, molles, distinctæ, rotundæ, paucæ (de quibus mox plura) magnæ & eminentes, solam cutim, & non partes internas afficientes, si symptomata reliqua minorentur, ægrique ad oblata se bene habeant &c. his stantibus, nullum inferre periculum, sed salutares esse consueverunt, quia omnia prædicta signa, materiæ morbificæ paucitatem, obsequium, benignitatem & naturæ robur, validè eam expellentis, significant. Ubi obiter nota, quòd, qui magnâ Variolarum abundantiâ ante Morbillos expurgantur, rarissimè aut nunquam Morbillis tententur, teste Schmidio, *Univers. Med. Pract. Compend. fol.* 319.

Unde præterea desumi possit earum bonus eventus.

E contra verò, periculosas & lethales Variolas & Morbillos ostendunt. Imò. Si semel apparentes evanescant, vel intrò redeant, quod omnium pessimum est signum, teste Hipp. *Erysipelas ab intrò ferri foràs, bonum, è contra, malum.* Ratio ab experientia desumitur: quibus enim ista retrocessio contingit, nullus evadit, nisi statim revertantur, sed ut plurimùm intra 24, horas pereunt: nam similis retrocessio naturæ imbecillitatem, humorisque copiam resistentem arguit. I.

Quomodo è contra noscantur esse periculosi & lethales hi affectus.

2dò. Si post earum exortum febris urgens acuta & continua, nihilque imminuta remaneat, aut, si quæ priùs cessaverat, revertatur: significat enim, humores malignos & venenatos non fuisse sufficienter ad cutem expulsos, sed maximam eorum partem in vasis restitisse, quæ futuræ recidivæ solet esse Author, ex citato sæpius Hippocratis loco: *Quæ in morbis relinquuntur, recidivas facere consueverunt.* II.

3tiò. Anxietas & inquietudo magna, seu corporis vehemens agitatio, cujus ratio III.

IV. & causa eadem, ut prioris est. 4tò. Difficultas anhelitûs seu respirationis, tussis sicca, raucedo, deglutitio læsa, quia hæc omnia significant, pustulas in pulmonibus subsistere, anginam aut virium lapsum introducere. Hinc testatur Avicennas *Parte* 4. *Tract.* 4. *Cap.* 6. quòd plurimi eorum, qui moriuntur per Variolas, moriantur præfocati ex squinantia. Quod & confirmat Paulus Zachias *Quæst. Med. legal. Consil.* 32. Hippocrates 4. *Aph.* 50. Aliique Authores dicunt: Si respiratio & vox se bene habet, rem salvam esse: indicant enim materiam
V. procul à nobilibus partibus expulsam. 5tò. Sitis, & æstus ingens & intolerabilis, quia internum incendium indicat: & si cum iis spirandi difficultas augeatur, mors in propinquo est,
VI. propter suffocationis periculum. 6tò. Ventriculi dolor, nausea, vomitus, singultus: ostendunt enim, vel fauces vel ipsum ventriculum læsum aut exulceratum esse: ità quoque, qui tensione & meteorismo ventris laborant, & cum anxietate huc atque illuc se agitant, omnes vel plerique intra paucas dies pereunt, præcipuè si dolor junctus fuerit, ut testatur Petrus Pachequus *Obs.* 62. ex data ratione læsæ alicujus partis
VII. intrinsecæ. 7mò. Alvi fluxus seu diarrhæa, aut dysenteria, & aliæ excretiones præternaturales, quia indicant, humores malignos ad interiora revertere, motu omnino contrariô motui naturæ adeoque lethali, adeò quidem, ut ex iis, qui hujusmodi fluxibus post eruptionem exanthematum corripiuntur, paucissimi evadant. Si verò ante eruptionem incipiant, & alia prava non sequantur indicia & symptomata, tales restitui cum fœnore possunt. Sic pariter discurrimus de mensium fluxu, eruptionem Variolarum & Morbillorum antecedente, vel concomitante, vel subsequente, qui à plerisque pro lethali habetur; cum tamen cum plurimis adhibitis
Hæmorrhagia ante & infra dicendis debitè remediis feliciter curavi. Eadem quoque ratio currit de hæmorrhagia narium, quæ ante, & in eruptio-

eruptione Variolarum melior est, quàm si post eruptionem eveniat. Ratio prioris est, quia Variolarum quantitatem imminuit. Ratio posterioris, quia motum laudabilem ab intrò ad extra invertit; hoc modo etiam se habent sudores excretivi, qui boni sunt; si verò resolutivi & frigidi, lethales, teste Hipp. 4. *Aph.* 37. Idem dicendum de frigore extremorum, quod pessimum est, eodem teste 7. *Aphor.* 1. *8tavò.* Urinæ sanguinea lethalissimum est signum, tùm etiam si per alvum sanguis purus & sincerus rejiciatur. Interdum etiam per nares, gingivas, aliasque corporis partes sanguineæ excretiones contingunt, quæ lethales quoque esse consueverunt, quia denotant summam sanguinis acrimoniam, resolutionem & malignitatem, quæ naturam vehementer excitat, & ad præposteram illius excretionem compellit. *9nò.* Fœces, aut Urinæ lividæ, virides, æruginosæ aut nigræ, magnum in hoc morbo (eò magis, si ægri adhuc adsit debilitas & virium lapsus) portendunt periculum, maximè verò, si, ut diximus, per modum diarrheæ, aut (quod pejus) dysenteriæ (cujus solent esse prodromi) præcedant: significat enim, humorem atrabilarium in venis redundare, & totam humorum massam inficere, fierique ad interiora recessum. Quæ, si in declinatione contingant, redeuntibus in viscera exanthematibus, aut alia de causa, etiam in ipsa declinatione æger mori potest. Et hinc mirandum non est, quando Avicennas *Fen.* 2. *Doct.* 4. *Cap.* 98. ægros in declinatione Variolarum mori scribit, intelligendum est de symptomatum declinatione: nam dùm Variolæ intrò ad partes principes feruntur, tumor totius corporis externus subsidet, deliria aliquando remittunt, vel dormituriunt ægri, pulsu existente miurô & suffocatô, tunc mors est proxima. Fieri etiam potest, ut materia tota non fuerit ad cutim protrusa, parsque in visceribus internis remaneat, quæ ingentem excitat inflammationem, vel dysenteriam incurabilem, pustulis interim in cute siccatis & ad sanitatem tendere visis; hinc

In eruptione Variolarum bona, post illam, mala. Ratio utriusque.

VIII.

IX.

optandum semper, ut plures exeant, sic enim magis ab internis visceribus humor morbificus removetur: attamen id dicendum non est absolutè, sed cum limitatione; nam sive copiosæ, sive paucæ erumpant, attendenda semper sunt symptomata, quæ si perfectè cessaverint, semper sunt bonæ, si remaneant vel perseverent, vel redeant, semper malæ: in posteriori enim casu paucæ, naturæ imbecillitatem, copiosæ, humorum malignorum copiam, arguunt. In priori casu autem paucæ, humoris perniciosi exiguitatem, copiosæ naturæ expurgantis robur, ostendunt. Præterea sciendum, quòd quò plus est de seminario illo hæreditario, eò etiam plures, naturâ existente forti, Variolæ generentur, & è contra, quò minùs; unde quoque fit, ut nunnulli paucis Variolis tententur, quidam verò plurimis. 15*tò*. Periculosæ sunt, quando maculæ febri purpuratæ seu petechiali, familiares Variolis seu Morbillis, permiscentur, præcipuè si maculæ illæ lividæ vel nigræ fuerint, ex rationibus jam sæpiùs datis. 16*tò*. Lethales quoque subinde fiunt in iis, qui valde obesi vel cacochy-
mici sunt, quia in iis ferventi sanguini putredo immedicabilis XV.
facilè succedit, præsertim si prava victûs ratio, vel morbidi XVI.
cœli & aëris intemperies accesserit. 17*mò*. Ut ut sit, vix unquam aut sàltem rarò ita feliciter curantur, quin in facie cicatrices, & vestigia satis deformia relinquantur: cutis enim illic non est separata à musculo carnoso, & ut docet Aristoteles 3. *de Histor. animal.* 11. in quiens, *Ubi cutis immediatè ossibus adhæret, vulnera difficulter coalescere.* In naribus præterea ulcera diuturna sæpè imminutum odoratum inducunt; quanta autem incommoda oculis inferant, supra abundè dictum. Quin imò, ut testatur Paræus *Lib.* 19. *Cap.* 1. materiam horum affectuum quandoqué qualitatis adeò malignæ pestilentis participem esse, ut carnosas partes dilaniasse non contenta, ossa etiam arrodat & corrumpat, instar luis Venereæ, ut ibidem ex-

Variolæ, cum remissis tamen symptomatibus, licèt multæ, meliores, quàm paucæ.

Paucitas vel copia Variolarū desumitur etiam à paucitate vel copia seminis illius hæreditarii.

XVII.

 emplum

emplum notatu dignum legere libet. Et quod plus est, pari ratione internas partes, pulmones, hepar, intestina &c. erosisse, extra verò ossa è suis sedibus & articulationibus dislocasse, aliis sensus externos, visum, auditum, odoratum destruxisse, id ipsum confirmat & refert Paræus hoc titulo. Unde quæres, cur quidam habeant turpes cicatrices, & quidam non?

Cur quidā turpes cicatrices habeant, & quidam non, ratio datur. *Resp.* cum Aristotele *Problemat.* 50. nigras & turpes cicatrices ex ulceribus habent, ob sanguinem morbidum, sic splenetici nigras habent cicatrices. 18*tavò*. In adultis & ætate provectis, gravior affectus contingit, quàm in pueris, teste Hipp. 2. *Aph.* 39. quia si in tenera ætate infectio non expurgetur, si-

XVIII. gnum est, tenacem illam esse, vixque idoneam separari: quare non nisi vi multâ, & magno labore in adulto separari potest: unde memorabilis est historia Borelli *Cent.* 3. *Obs.* 10. de Muliercre quadam Bononiensi, quæ septies Variolas passa est, & anno ætatis suæ 118. tandem eodem morbo periit.

XIX. 19*mò*. Molestia & dolor maximus, ita & majora symptomata urgent â principio, dum Variolæ & Morbilli erumpunt, & tandem quando exaltantur, concidunt, & cutem exasperant,

XX. medio verò tempore omnia sunt leviora. 20*mò*. Periculosiùs etiam est malum, quando invadit hyberno vel autumnali tempore, quàm verno vel æstivo, cujus ratio cuique in promp-

XXI. tu est. 21*mò*. Gravidis & Puerperis esse solent periculosiores: nihilominus in his robur naturæ spectandum est: plures enim in ipso partu correptas feliciter restitui, inter quas erat Excellentissima Comitissa de Czernin nata Slavatiana: ita etiam gravidas nonnullas, sine vitæ & abortûs periculo, ab eisdem

XXII. vendicavi. 22*mò*. In majori quoque versantur periculo illi, quorum in familia exitiales esse consueverunt, ut sæpiùs obser-

XXIII. vavi. 23*mò*. Periculosa etiam sunt hæc exanthemata, si vires debiles, & plura & graviora secum vehant symptomata: attamen Medicus terreri non debet, si ab initio adsint, quia tem-

pus

pus crisin præcedens, semper magnas efficit mutationes; si verò hæc diutiùs durent & excedant, malum portendunt; contra si iterum post eruptionem remittant, spes salutis affulget. 24*mò*. Periculosæ iterum sunt, si calor nimis citò remittat, quia natura hoc modo impotens est ad expellenda miasmata, unde cavendum à refrigerantibus, & expellentibus insistendum. XXIV.

25*mò*. Pejores etiam sunt Variolæ, quæ interiora viscera afficiunt, unde phthises, dysenteriæ, anginæ, gangræna, sphacelus &c. imò quandoque materia peccans, ad unum tantùm nervum à natura transmittitur, unde cæcitas, surditas, loquelæ defectus &c. XXV.

Notandum *Imò*. Eandem fere esse rationem Morbillorum, quàm hactenus diximus Variolarum esse: periculosiores quidem naturâ suâ sunt Morbilli, cùm ex sanguine fervidiore & fermentis potentioribus, quæ febrem & omnia symtomata graviora excitant, constent; citiùs tamen judicantur, nec oculos ita petunt, ut Variolæ, quòd subtilis eorum materia citiùs dissolvatur, quàm ut in iis figi possit. In cœteris autem standum est prognostico Variolarum.

Morbillorum eadem fere est ratio quæ Variolarum. Naturâ suâ sunt quidem periculosiores Morbilli ob suam causam, citiùs tamen judicantur.

Notandum 2*dò*. Qui moriuntur in Variolis, vel suffocantur anginâ, ob tumorem ab ipsis excitatum in collo: vel deliquio, ex defectu virium à malignitate debilitatarum: vel convulsione seu Epilepsiâ, ob à maligno humore affectum cerebrum & nervosum genus: vel superveniens diarrhæa & dysenteria, ob solutas vires, & materiæ peccantis & adustæ recessum ad interiora, vitæ finem imponit. Nolo hic præterire aliam mortis causam, non solùm in Variolis, sed etiam in plurimis aliis morbis sæpissimè evenientem, errorem nimirum, ignorantiam, imperitiam, negligentiam, timorem, mutationem, & quod frequentissimè accidit, disceptationem Medicorum, ægrorum, adstantium, ubi ea, quæ adhibenda sunt, omit-

Causæ mortis Variolis extinctorum numerantur diversæ.

Frequens mortis causa non solùm in Variolis, verùm plurimis aliis morbis adducitur.

omittuntur, & quæ facienda, non fiunt, & sic ægros positivè quidem non occidunt, sed interim ad æternitatem transmittunt; quidam enim sunt adeò inflati superbiâ juvenes, aut obstinatæ arrogantiæ seniculi idiotæ, ut illi remedium à peritis quærere, putent esse legem frangere reputationis; hi verò senio conflati, acumina juventutis annorum serie, plus quàm sapientiâ obtundunt: unde fit, ut veris, (sed contentiosis illis Medicis) sæpiùs Medicastri, vetulæ, & hujus farinæ inutiles homines succedant, quos sors secundat & exaltat; morte verò eveniente, non ipsis, sed Medicis, non sine ignominia artis, culpa adscribitur.

Ratio cur in scabie, tinea, achoribus fiant excretiones citra febrem, non item in Variolis.

Quæres hic obiter, cur in scabie, tineâ, achoribus, fiant multæ excretiones sine febre? cur etiam Variolæ & Morbilli sine febre non fiant? *Resp.* excretiones eas, quas natura sensim molitur, sine febre posse perfici, sed criticas impetuosas, quales sunt Variolæ & Morbilli, sine multo calore non fieri; calor enim ille, vi fermenti productus, promovet & accelerat repentinas humorum evacuationes.

CAPUT VII.

De Indicationibus Variolarum & Morbillorum.

Indicationes unde desumantur. Sunt triplices. Remedia quæ indicantur

VAriolarum & Morbillorum indicationes, prout in aliis morbis, desumuntur â tribus: Morbô scilicet, causâ morbi, & viribus. A morbo, curativa: â causa morbi, præservativa: â viribus, vitalis conservativa. Ratione *causæ morbi*, indicantur evacuantia, tùm per venas & alvum, tùm etiam per habitum corporis seu diaphoretica; Ratione *morbi*, qui triplex

triplex est, in aucta magnitudine, in intemperie, & solutâ unitate. Ratione *intemperiei* (intellige intemperiei febrilis, non autem respectu Variolarum, de quo immediatè post fusiùs) indicantur moderatè temperata, non absolutè refrigerantia, ne materia intus detineatur, sed si materia nimium tenuis & fervens sit, ut sit periculum, ne ad partes nobiles ruat, indicantur moderatè incrassantia. Ratione *magnitudinis auctæ*, imminuentia per discutientia. Ratione *solutæ unitatis*, reunientia.

ratione causæ. Quæ ratione morbi. Quotuplex sit morbus. Ratione intemperiei febrilis indicantur moderatè temperata. Ratione magnitudinis. Ratione solutæ unitatis.

Dixi mox ante, intemperiei febrilis, non autem respectu Variolarum, ubi nota, nos absolutè negare, efferuescentiam seu fermentationem esse intemperiem vulgariter intellectam, sed ab ea & calore, ita & putredine â vulgo intellectâ, omninò distinctam, quis enim dixerit fermentationem seu efferuescentiam musti, cerevisiæ, panis, acidularum (: ad quorum modum fermentationem horum affectuum quoque fieri diximus:) in intemperie, aut quodam actuali calore, vel putredine consistere, cum nihil horum in iis demonstrari possit, quin imò contrarium observatur verius, quod horum omnium actiones, solius caloris esse nequeant, idque in pisce manifestatur; nam hic æquè digerit alimentum, & illud apponit suæ substantiæ, & tamen actuali calore caret; potentialis autem calor nunquam agit, nisi in actum deducatur, hinc eorum digestio calori adscribi non potest, quæ tamen, tùm in omnibus animalibus, tùm etiam in homine fiunt, ex fermentorum actione seu motu, de quo mox.

Quare additum fuerit ratione febrilis intemperiei, & non intemperiei respectu Variolarũ. Excipitur. Effervescentia non est intemperies vulgariter sumpta.

Adde: si enim calor digereret, tunc homines deberent in locis calidioribus & æstate esse voraciores, & plus digerere; atqui contrarium potius contingit, quòd, quò magis frigidioris naturæ sint homines, eò magis voracitati sint dediti, & hyeme quivis melius digerit quàm æstate, non quia calidius est corpus, sed quia fermenta non itá soluta sunt, imò vegetiora. Nec obstat Veterum authoritas, quòd tria sint tantùm mor-

Calor non digerit. Probatur. Veteres

 horum

Medicus, at verò si erraverit (inquit Hipp. *Lib. Prædic.*) fortasse insanire videbitur.

Juxta Hipp. Ly prognosticum multa sub se habet.

Allegatur Hipp. Aphorism. ratione eventûs morbi.

Ratione temporis eventûs.

Sciendum 4tò. Quòd juxta Hipp. 1. *de Morb.* Ly prognosticum multa sub se comprehendit, eventum, tempus eventûs, modum, Authorem, qualitatem, de quibus omnibus verus est allegatus Aphorismus. Ratione eventûs scripsit Hippocrates, alios morbos esse sanabiles, ut tertiana exquisita, alios insanabiles, ut morbus acutus in prægnante muliere tenerâ, alios dubios, ut omnes acuti in principio. De tempore eventûs dixit, alios esse breves, ut angina, pleuritis, quibus adde Variolas, præsertim autem Morbillos; alios longos, ut nephritis, podagra &c.

Morbus quò fuerit acutior, eò manifestiorem à principio habet prædictionem.

Sciendum tandem, quòd morbus, quò fuerit acutior, manifestiorem habeat à principio prædictionem, quia statim magnæ mutationes fiunt, qui enim evasuri sunt, facilè spirantes, dormientes, & reliqua mediocriter tenentes, id est, sine dolore & labore degunt. Morituri verò, spirantes difficulter, delirantes & cum dolore degunt. In morbis longioribus firmior est prædictio in processu, ratio: quia materia magis crassa, & non ita instabilis est, ità Hipp. 5. *Prognosticor.*

Quare Variolæ & Morbilli plerumque soleant esse boni & salutares.

Quando sint tales.

His igitur prænotatis, nunc proponemus signa, quibus conjecturari saltem potest, utrum Variolæ bonæ vel malæ, salutares aut lethales sint eventuræ. Bonæ & salutares utplurimum esse solent Variolæ & Morbilli, quia sunt motus critici, qui plerumque ad salutem terminantur, quamvis etiam interdum terminentur ad mortem, adjunctâ scilicet malignitate, quæ velut Pestis hominem depascitur. Quòd si verò malignitas absit, febris sit exigua, citò ac facilè erumpant & appareant, brevique ad maturitatem seu suppurationem perducan-

ducantur, teste Hippocrate, *in Coac.*114. *quibus* (inquit) *per febres assiduas pustulæ in toto corpore enascuntur, lethale est, nisi quid purulentum accidat.* Præterea hoc materiæ obedientiam & naturæ robur ostendit, & si febrem tollunt, aut saltem imminuunt, voxque sit libera & respiratio facilis, si largior hæmorrhagia narium illas præcesserit, si coloris rubicundi, subalbi, molles, distinctæ, rotundæ, paucæ (de quibus mox plura) magnæ & eminentes, solam cutim, & non partes internas afficientes, si symptomata reliqua minorentur, ægrique ad oblata se bene habeant &c. his stantibus, nullum inferre periculum, sed salutares esse consueverunt, quia omnia prædicta signa, materiæ morbificæ paucitatem, obsequium, benignitatem & naturæ robur, validè eam expellentis, significant. Ubi obiter nota, quòd, qui magnâ Variolarum abundantiâ ante Morbillos expurgantur, rarissimè aut nunquam Morbillis tententur, teste Schmidio, *Univers. Med. Pract. Compend. fol.*319.

Unde præterea desumi possit earum bonus eventus.

E contra verò, periculosas & lethales Variolas & Morbillos ostendunt. *Imò.* Si semel apparentes evanescant, vel intrò redeant, quod omnium pessimum est signum, teste Hipp. *Erysipelas ab intrò ferri foràs, bonum, è contra, malum.* Ratio ab experientia desumitur: quibus enim ista retrocessio contingit, nullus evadit, nisi statim revertantur, sed ut plurimùm intra 24. horas pereunt: nam similis retrocessio naturæ imbecillitatem, humorisque copiam resistentem arguit. *2dò.* Si post earum exortum febris urgens acuta & continua, nihilque imminuta remaneat, aut, si quæ priùs cessaverat, revertatur: significat enim, humores malignos & venenatos non fuisse sufficienter ad cutem expulsos, sed maximam eorum partem in vasis restitisse, quæ futuræ recidivæ solet esse Author, ex citato sæpius Hippocratis loco: *Quæ in morbis relinquuntur, recidivas facere consueverunt.* *3tiò.* Anxietas & inquietudo magna, seu corporis vehemens agitatio, cujus ratio

Quomodo è contra noscantur esse periculosi & lethales hi affectus.

I.

II.

III.

IV. & causa eadem, ut prioris est. *4tò.* Difficultas anhelitûs seu respirationis, tussis sicca, raucedo, deglutitio læsa, quia hæc omnia significant, pustulas in pulmonibus subsistere, anginam aut virium lapsum introducere. Hinc testatur Avicennas *Parte 4. Tract. 4. Cap. 6.* quòd plurimi eorum, qui moriuntur per Variolas, moriantur præfocati ex squinantia. Quod & confirmat Paulus Zachias *Quæst. Med. legal. Consil.* 32. Hippocrates 4. *Aph.* 50. Aliique Authores dicunt; Si respiratio & vox se bene habet, rem salvam esse: indicant enim materiam
V. procul à nobilibus partibus expulsam. *5tò.* Sitis, & æstus ingens & intolerabilis, quia internum incendium indicat: & si cum iis spirandi difficultas augeatur, mors in propinquo est,
VI. propter suffocationis periculum. *6tò.* Ventriculi dolor, nausea, vomitus, singultus: ostendunt enim, vel fauces vel ipsum ventriculum læsum aut exulceratum esse: ità quoque, qui tensione & meteorismo ventris laborant, & cum anxietate huc atque illuc se agitant, omnes vel plerique intra paucas dies pereunt, præcipuè si dolor junctus fuerit, ut testatur Petrus Pachequus *Obs.* 62. ex data ratione læsæ alicujus partis
VII. intrinsecæ. *7mò.* Alvi fluxus seu diarrhæa, aut dysenteria, & aliæ excretiones præternaturales, quia indicant, humores malignos ad interiora revertere, motu omnino contrariô motui naturæ adeoque lethali, adeò quidem, ut ex iis, qui hujusmodi fluxibus post eruptionem exanthematum corripiuntur, paucissimi evadant. Si verò ante eruptionem incipiant, & alia prava non sequantur indicia & symptomata, tales restitui cum fænore possunt. Sic pariter discurrimus de mensium fluxu, eruptionem Variolarum & Morbillorum antecedente, vel concomitante, vel subsequente, qui à plerisque pro lethali habetur; cum tamen cum plurimis adhibitis
Hæmorrhagia ante & infra dicendis debitè remediis feliciter curavi. Eadem quoque ratio currit de hæmorrhagia narium, quæ ante, & in eruptio-

eruptione Variolarum melior est, quàm si post eruptionem eveniat. Ratio prioris est, quia Variolarum quantitatem imminuit. Ratio posterioris, quia motum laudabilem ab intrò ad extra invertit; hoc modo etiam se habent sudores excretivi, qui boni sunt; si verò resolutivi & frigidi, lethales, teste Hipp. 4. *Aph.* 37. Idem dicendum de frigore extremorum, quod pessimum est, eodem teste 7. *Aphor.* 1. *8tavò.* Urina sanguinea lethalissimum est signum, tùm etiam si per alvum sanguis purus & sincerus rejiciatur. Interdum etiam per nares, gingivas, aliasque corporis partes sanguineæ excretiones contingunt, quæ lethales quoque esse consueverunt, quia denotant summam sanguinis acrimoniam, resolutionem & malignitatem, quæ naturam vehementer excitat, & ad præposteram illius excretionem compellit. *9nò.* Fœces, aut Urinæ lividæ, virides, æruginosæ aut nigræ, magnum in hoc morbo (eò magis, si ægri adhuc adsit debilitas & virium lapsus) portendunt periculum, maximè verò, si, ut diximus, per modum diarrheæ, aut (quod pejus) dysenteriæ (cujus solent esse prodromi) præcedant: significat enim, humorem atrabilarium in venis redundare, & totam humorum massam inficere, fierique ad interiora recessum. Quæ, si in declinatione contingant, redeuntibus in viscera exanthematibus, aut alia de causa, etiam in ipsa declinatione æger mori potest. Et hinc mirandum non est, quando Avicennas *Fen.* 2. *Doct.* 4. *Cap.* 98, ægros in declinatione Variolarum mori scribit, intelligendum est de symptomatum declinatione: nam dùm Variolæ intrò ad partes principes feruntur, tumor totius corporis externus subsidet, deliria aliquando remittunt, vel dormituriunt ægri, pulsu existente miurô & suffocatô, tunc mors est proxima. Fieri etiam potest, ut materia tota non fuerit ad cutim protrusa, parsque in visceribus internis remaneat, quæ ingentem excitat inflammationem, vel dysenteriam incurabilem, pustulis interim in cute siccatis & ad sanitatem tendere visis; hinc

in eruptione Variolarum bona, post illam, mala. Ratio utriusque.

VIII.

IX.

N 2 est

optandum semper, ut plures exeant, sic enim magis ab internis visceribus humor morbificus removetur: attamen id dicendum non est absolutè, sed cum limitatione; nam sive copiosæ, sive paucæ erumpant, attendenda semper sunt symptomata, quæ si perfectè cessaverint, semper sunt bonæ, si remaneant vel perseverent, vel redeant, semper malæ: in posteriori enim casu paucæ, naturæ imbecillitatem, copiosæ, humorum malignorum copiam, arguunt. In priori casu autem paucæ, humoris perniciosi exiguitatem, copiosæ naturæ expurgantis robur, ostendunt. Præterea sciendum, quòd quô plus est de seminario illo hæreditario, eò etiam plures, naturâ existente forti, Variolæ generentur, & è contra, quô minùs; unde quoque fit, ut nunnulli paucis Variolis tententur, quidam verò plurimis. 15*tò*. Periculosæ sunt, quando maculæ febri purpuratæ seu petechiali, familiares Variolis seu Morbillis, permiscentur, præcipuè si maculæ illæ lividæ vel nigræ fuerint, ex rationibus jam sæpiùs datis. 16*tò*. Lethales quoque subinde fiunt in iis, qui valde obesi vel cacochymici sunt, quia in iis ferventi sanguini putredo immedicabilis XV.
facilè succedit, præsertim si prava victûs ratio, vel morbidi XVI.
cœli & aëris intemperies accesserit. 17*mò*. Ut ut sit, vix unquam XVII.
aut saltem raro ita feliciter curantur, quin in facie cicatrices, & vestigia satis deformia relinquantur: cutis enim illic non est separata à musculo carnoso, & ut docet Aristoteles 3. *de Histor. animal.* 11. in quiens, *Ubi cutis immediatè ossibus adhæret, vulnera difficulter coalescere.* In naribus præterea ulcera diuturna sæpè imminutum odoratum inducunt; quanta autem incommoda oculis inferant, supra abundè dictum. Quin imò, ut testatur Paræus *Lib.* 19. *Cap.* 1. materiam horum affectuum quandoque qualitatis adeò malignæ pestilentis participem esse, ut carnosas partes dilaniasse non contenta, ossa etiam arrodat & corrumpat, instar luis Venereæ, ut ibidem ex-

Variolæ, cum remissis tamen symptomatibus, licèt multæ, meliores, quàm paucæ.

Paucitas vel copia Variolarū desumitur etiam à paucitate vel copia seminis illius hæreditarii.

emplum notatu dignum legere libet. Et quod plus est, pari ratione internas partes, pulmones, hepar, intestina &c. erosisse, extra verò ossa è suis sedibus & articulationibus dislocasse, aliis sensus externos, visum, auditum, odoratum destruxisse, id ipsum confirmat & refert Paræus hoc titulo. Unde quæres, cur quidam habeant turpes cicatrices, & quidam non? *Resp.* cum Aristotele *Problemat.* 50. nigras & turpes cicatrices ex ulceribus habent, ob sanguinem morbidum, sic splenetici nigras habent cicatrices. 18*tavò*. In adultis & ætate provectis, gravior affectus contingit, quàm in pueris, teste Hipp. 2. *Aph.* 39. quia si in tenera ætate infectio non expurgetur, signum est, tenacem illam esse, vixque idoneam separari: quare non nisi vi multâ, & magno labore in adulto separari potest: unde memorabilis est historia Borelli *Cent.* 3. *Obs.* 10. de Muliercre quadam Bononiensi, quæ septies Variolas passa est, & anno ætatis suæ 118. tandem eodem morbo periit.

Cur quidã turpes cicatrices habeant, & quidam non, ratio datur.

XVIII.

XIX. 19*mò*. Molestia & dolor maximus, ita & majora symptomata urgent â principio, dum Variolæ & Morbilli erumpunt, & tandem quando exaltantur, concidunt, & cutem exasperant, medio verò tempore omnia sunt leviora.

XX. 20*mò*. Periculosiùs etiam est malum, quando invadit hyberno vel autumnali tempore, quàm verno vel æstivo, cujus ratio cuique in promptu est.

XXI. 21*mò*. Gravidis & Puerperis esse solent periculosiores: nihilominus in his robur naturæ spectandum est: plures enim in ipso partu correptas feliciter restitui, inter quas erat Excellentissima Comitissa de Czernin nata Slavatiana: ita etiam gravidas nonnullas, sine vitæ & abortûs periculo, ab eisdem vendicavi.

XXII. 22*mò*. In majori quoque versantur periculo illi, quorum in familia exitiales esse consueverunt, ut sæpiùs observavi.

XXIII. 23*mò*. Periculosa etiam sunt hæc exanthemata, si vires debiles, & plura & graviora secum vehant symptomata: attamen Medicus terreri non debet, si ab initio adsint, quia tempus

pus crisin præcedens, semper magnas efficit mutationes; si verò hæc diutiùs durent & excedant, malum portendunt; contra si iterum post eruptionem remittant, spes salutis affulget.
24*mò*. Periculosæ iterum sunt, si calor nimis citò remittat, quia natura hoc modo impotens est ad expellenda miasmata, unde cavendum à refrigerantibus, & expellentibus insistendum. XXIV.
25*mò*. Pejores etiam sunt Variolæ, quæ interiora vicera afficiunt, unde phthises, dysenteriæ, anginæ, gangræna, sphacelus &c. imò quandoque materia peccans, ad unum tantùm nervum à natura transmittitur, unde cæcitas, surditas, loquelæ defectus &c. XXV.

Notandum 1*mò*. Eandem fere esse rationem Morbillorum, quàm hactenus diximus Variolarum esse: periculosiores quidem naturâ suâ sunt Morbilli, cùm ex sanguine fervidiore & fermentis potentioribus, quæ febrem & omnia symtomata graviora excitant, constent; citiùs tamen judicantur, nec oculos ita petunt, ut Variolæ, quòd subtilis eorum materia citiùs dissolvatur, quàm ut in iis figi possit. In cœteris autem standum est prognostico Variolarum.

Morbillorum eadem fere est ratio quæ Variolarum. Naturâ suâ sunt quidem periculosiores Morbillis ob suam causam, citiùs tamen judicantur.

Notandum 2*dò*. Qui moriuntur in Variolis, vel suffocantur anginâ, ob tumorem ab ipsis excitatum in collo: vel deliquio, ex defectu virium à malignitate debilitatarum: vel convulsione seu Epilepsiâ, ob à maligno humore affectum cerebrum & nervosum genus: vel superveniens diarrhæa & dysenteria, ob solutas vires, & materiæ peccantis & adustæ recessum ad interiora, vitæ finem imponit. Nolo hic præterire aliam mortis causam, non solùm in Variolis, sed etiam in plurimis aliis morbis sæpissimè evenientem, errorem nimirum, ignorantiam, imperitiam, negligentiam, timorem, mutationem, & quod frequentissimè accidit, disceptationem Medicorum, ægrorum, adstantium, ubi ea, quæ adhibenda sunt, omit-

Causæ mortis Variolis extinctorum numerantur diversæ.

Frequens mortis causa non solùm in Variolis, verùm plurimis aliis morbis adducitur.

triplex eſt, in aucta magnitudine, in intemperie, & ſolutâ unitate. Ratione *intemperiei* (intellige intemperiei febrilis, non autem reſpectu Variolarum, de quo immediatè poſt fuſiùs) indicantur moderatè temperata, non abſolutè refrigerantia, ne materia intus detineatur, ſed ſi materia nimium tenuis & fervens ſit, ut ſit periculum, ne ad partes nobiles ruat, indicantur moderatè incraſſantia. Ratione *magnitudinis auctæ*, imminuentia per diſcutientia. Ratione *ſolutæ unitatis*, reunientia.

ratione cauſæ. Quæ ratione morbi. Quotuplex ſit morbus. Ratione intemperiei febrilis indicantur moderatè temperata. Ratione magnitudinis. Ratione ſolutæ unitatis.

Dixi mox ante, intemperiei febrilis, non autem reſpectu Variolarum, ubi nota, nos abſolutè negare, efferueſcentiam ſeu fermentationem eſſe intemperiem vulgariter intellectam, ſed ab ea & calore, ita & putredine â vulgo intellectâ, omninò diſtinctam, quis enim dixerit fermentationem ſeu efferueſcentiam muſti, cereviſiæ, panis, acidularum (: ad quorum modum fermentationem horum affectuum quoque fieri diximus:) in intemperie, aut quodam actuali calore, vel putredine conſiſtere, cum nihil horum in iis demonſtrari poſſit, quin imò contrarium obſervatur verius, quod horum omnium actiones, ſolius caloris eſſe nequeant, idque in piſce manifeſtatur; nam hic æquè digerit alimentum, & illud apponit ſuæ ſubſtantiæ, & tamen actuali calore caret; potentialis autem calor nunquam agit, niſi in actum deducatur, hinc eorum digeſtio calori adſcribi non poteſt, quæ tamen, tùm in omnibus animalibus, tùm etiam in homine fiunt, ex fermentorum actione ſeu motu, de quo mox.

Quare additum fuerit ratione febrilis intemperiei, & non intemperiei reſpectu Variolarũ. Excipitur Efferveſcentia non eſt intemperies vulgariter ſumpta.

Adde: ſi enim calor digereret, tunc homines deberent in locis calidioribus & æſtate eſſe voraciores, & plus digerere; atqui contrarium potius contingit, quòd, quò magis frigidioris naturæ ſint homines, eò magis voracitati ſint dediti, & hyeme quivis melius digerit quàm æſtate, non quia calidius eſt corpus, ſed quia fermenta non ità ſoluta ſunt, imò vegetiora. Nec obſtat Veterum authoritas, quòd tria ſint tantùm mor-

Calor non digerit. Probatur. Veteres

O borum

probant Variolas debere referri ad intemperiem
Probatur contrariũ.

borum suprema genera, adeòque ad unum ex his referendam esse hanc sanguinis effervescentiam, potissimùm autem intemperiei: Verum nos candidè negamus, primò quidem, cum quædam hactenus sint morborum genera, quæ ad illa tria referri directè nunquam queunt, morbi nimirum totius substantiæ, quos si ad intemperiem retuleris, ignotum per ignotum explicas, ad quam quæso, manifestam qualitatem hanc occultam referes, aut quibus eam remediis oppugnabis? Si calida adhibes, non prodes, si refrigeras, occidis, alexipharmacis tandem uteris, sed rursum quæro cur? non quia calida, non quia frigida, sed propriâ qualitate opposita sunt, quæ ad manifestas nisi indirectè (ut quidam coactè & insipienter loquuntur) referri potest.

Unde derivetur fermentatio & febris.

Patet præterea ex supra dictis de fermentatione, & tractatu de febribus, ly fermentatio & febris (quam etiam fermentationem ibidem dicimus) nomen, â februo seu purgamento, vel â ferveo, id est, depurgo, non autem ut alii, ferveo, id est, caleo, ortum ducere, quæ quidem vox febri commodè imponitur, eò quod sanguis in hoc morbo effervescit, & insuper fervore suo, velut mustum efflorescens, â sordibus purgatur, ideòque fermentatio seu effervescentia, strictè loquendo ad intemperiem non est referenda, sed sui generis est,

Fermentationis definitio.

id est, motus intestinus (id est occultus) particularum, seu principiorum cujusvis corporis, cum tendentia ad perfectionem ipsius corporis, vel propter mutationem in aliud, de quo clarissimè & fusè egimus supra de fermentatione: Motus ergò hic, seu qualitas intestina, sui generis est, sicut caro cordis,

In quo consistat illa qualitas intestina.
Explicatur ulterius fermentationis modus.

est caro sui generis &c. si autem quæris, in quo hæc qualitas consistat? *Resp.* in motu, qui motus, utpote merè naturalis, in intestina particularum elementarium naturâ, non verò in intemperie vel calore consistit. Id est: motum hunc perficiunt, particulæ naturaliter concretis insitæ, id quod fit, tàm in mineralibus, vegetabilibus & animalibus, de quibus supra;

etenim

etenim particulæ elementares, aut sponte naturâ, aut occasionaliter in motum concitatæ, se mirè exagitant & exagitantur, invicem diducunt & obvoluunt, subtiles & magis actuatæ, se se qua quà versus explicant, & avolare nituntur, quæ tamen ab iis crassioribus implicitæ, inter avolandum detinentur, interim crassiores, â subtiliorum nisu & expansione subiguntur, & quamplurimum attenuantur, donec singula ad centra & exaltationes suas evectæ, aut debitam perfectionem conciliant, aut alteratio nes & mutationes â natura designatas, compleant. Hoc ut intemperie aut calore fiat, absurdum est dictum, sic enim, quòd gracilis quidam homo, faciliùs se moveat, aliquô obesô truncô, aut quòd lepus fortius currat &c. ac si hoc eidem calori esset adscribendum. Manet ergò effervescentia qualitas sui generis, prout, si meo standum esset judicio, omnes morbi occulti esse debent: eam tamen si indirectè & impropriè ad intemperiem, tanquam generalissimum genus retuleris, non minus facies, quàm si non faceres.

Reliqua quæ hanc materiam concernunt fusiùs discussa, leges in tractatu meo de febribus, quæ hic repetere inanis esset laboris, ut tamen hic obiter intelligas, nos essentiam febris non in intemperie, non in simpliciter intellecto calore aut putredine consistere, sed febrem esse motum inordinatum Sanguinis, ejusque nimiam effervescentiam, cum calore, siti, aliisque symptomatibus, quibus œconomia variè perturbatur, asserimus.

CAPUT VIII.

De Curatione Prophylactica Variolarum & Morbillorum.

ANtequam ad curationem eradicativam nos accingamus, sciendum, in hoc morbo æquè ac in Peste curationem dupli- Cura. Una præservativa & prophy

O 2

Indica. Altera curativa & eradicativa. duplicem esse, unam quæ præservat, & prophylactica dicitur, altera quæ præsentes curat, cujus indicationes generales mox supra retulimus, & therapeutica seu eradicativa nominatur.

Cura præservativa. De hac pauci scripsère Medici, vel quòd illam minus necessariam esse judicaverint, vel quòd raro & paucissimi sanè homines super ea Medicos consulant. Quare tradatur Prophylaxis Variolarũ. Verum tamen, cum Viri docti eam non minus necessariam, firmis rationibus quàm in peste judicent esse, & plurimi existant (præsertim adulti, senes, formosi, aulici, maximè vero ij, qui suæ formæ & pulchritudini consulunt) qui sibi de hoc malo multum metuunt, tàm propter vitæ periculum, quàm propter emergentem turpitudinem, non abs re fore duximus, priùs prophylacticam therapeuticæ præponere, quia tutiùs & faciliùs est prævenire, quàm præveniri & curari.

Variolas prohibere nec facilè nec tutum. Prohibere autem Variolas ne eveniant, satis tutum non est nec facilè, si natura semel hoc orgasmo concitetur: refert tamen quidam magnæ authoritatis Vir, hoc facili negotio & sine omni periculo fieri posse, ejus verba sunt hæc: Quomodo quidam judicent prohiberé posse Variolas refertur. *Quamprimum nascitur infans, antequam obstetrix ligamentum seu venam umbilicalem liget & abscindat, opus est, ut illum sanguinem & humorem, qui penes umbilicum stagnat, digitis premat & retropellat, quia ille tanquam inutilis & corruptus humor, causa est Variolarum & Morbillorum.*

Quin imò scio equidem quosdam nunc esse Neotericos, qui hâc experientiâ (si tamen experientia est) commoti, audacter asserere audent, Quidam causam Variolarum in humore in venæ umbilicali contento statuunt. causam Variolarum unicam in resectione hujus funiculi umbilicalis conijciendam esse, si post abscissionem sanguis ante colligationem non exprimatur: Quòd si verò sanguis ex ea umbilici parte quæ remanet, digitis probè exprimatur, postmodum primò colligetur, infantem nunnunquam Variolis, Morbillis, scabie vel abscessibus laboraturum: sequi ergò asserunt, quòd præcipua istorum affectuum

causa,

causa, in prædicto vitioso sanguine umbilicali contineatur, quod, an ex voto succedat, cunctis liberum relinquo tentaminis arbitrium.

Veriùs quid mihi retulit Reverendissimus & Amplissimus quondam Regii Cænobii montis Sion vulgò Strahoff Abbas Pragensis, Doctor utpote in Theologicis & omni scibili eximius, ità in Medicis Excellentissimus, meus in Philosophia honorandissimus Professor: qui imprimis de se ipso testatus se ultra sedecim Variolas seu pustulas totâ vitâ suâ non habuisse, nec de iis amplius (viro utpote ætate mediam superante) timendum esse imposterum: rationem addit, se toties â teneris juventutis annis, corpus purgationibus ab impuritatibus reddidisse liberum, plurimumque causam irritantem sustulisse, quò factum est, quòd labes illa sensim & sensim consumpta, aut saltem mitigata fuerit. Hinc credit (cui & ego non dissentio) hoc in omnibus vel saltem plerisque succedere posse, ut, qui frequentioribus utantur pharmacis, eos ab hoc miasmate aut omninò reddi liberos, aut saltem potiorem illius partem imminuere. Id ipsum pariter insinuat Hæfferus in suo *Hercule Medico Lib. 2. cap. 6. pag. 445*

Alius modus se præservandi â Variolis proponitur in *Ephemeridib. Germ. Anno. 2. Anni* scilicet 1671. *obs. 165. fol. 264. in Scholio*, modus nempe emptionis. Id est, inveniuntur mulierculæ quædam, quæ frequenti superstitione ductæ, Infantes suæ curæ commissos instruere solent, ut ab aliis Variolis infectis infantibus, pro aliquot obulis Variolas certo numero emant; firmâ imaginatione credentes, illos qui emerunt has ingratas merces, proventu pauciori infestari, citiùs & tutiùs liberari: qui modus emptionis confirmatur in iisdem *Ephemerid. Anno. 8.* id est *Anni 1677. obs. 15. fol. 22.* ubi notatur, quòd semper vel plerumque ii ipsi infantes, qui vel ipsi, vel per alios emunt ab infectis, licet paucas patiantur, graviùs reliquis decumbant.

Alius modus præservationis, emptionis nimirum.

Præservatio juxta Dolæum. Juxta Juncken.

Dolæus in præservatione generali, conducere ait *myrrhata, Elixir proprietatis, Tinct. Salutis, Essentiam Myrrhæ* &c. Juncken in sua praxi Medica, ait, summum præservatorium esse, primò, quando statim in initio infantes quæruli esse incipiunt, nullis adhuc Variolarum indiciis præsentibus, *Mercurium dulcem â* ℈ß. *ad* ℈j. & si opus sit, addi, *Diagrid. Sulphurat. gr. ij.* quod lentè evacuat, & levem quandoque conciliat vomitum atque â Variolis præservat, vel earum portionem minuit, ut Author feliciter expertus est in duabus propriis filiabus.

Optimus præservationis modus.

Cùm vero vulgus, & potissimum Nobiles, in tantùm Variolarum timeant contagium, optimum erit, si tunc hoc morbi genus grassetur, vitare primò omnem cum infectis conversationem, & eos, qui nondum experti Variolas, in aërem salubriorem, (in aëre enim maxima vis præservationis consistit) in quo nullæ regnant Variolæ, quantocyus transferre, & tamdiu ibidem continere, donec aut cessarint, aut benigniores evaserint Variolæ, in quo casu, si benigniores sint Variolæ, hoc est, facilè & paucæ erumpant, citò suppurentur; & decidant sine notabili faciei defædatione, illam modo dictam mutationem non suaderem sed satiùs foret, infantes sanos cum ægris vivere, ut Variolis boni moris, & levioribus corripiantur. Non minus ad præservationem facit, infantes tùm purgantibus medicamentis, tùm venæ sectione, si vires & ætas ferat, corpus evacuare, & aptis ad hanc rem mediis temperare, de quibus fusiùs in febre synocha.

Medicamenta faciunt ad præservationem.

Hic solummodo addam, quædam remedia prophylactica & præservativa præter supra dicta, partim â me, partim aliis famosioribus Practicis usu & experientiâ comprobata. Præmissis nempe, ut diximus, universalibus, sequentia dari possunt.

Potus

Potus præservatorius Grülingii.

Potus præservans.

℞. *Aq. Acetos. Card.bened: Borrag. aa.* ℥j vß.
Syr.de succ. Citri.Card. bened. de succ.Borrag.aa. ℥ij.
M. *Dosis* Cochlear. ji. vel jv.habitâ ratione ætatis semel vel bis de die.

Vel Pulveres mei præservatorii.

Pulveres præservantes.

℞. *Cryståll. Tartari* ʒj. *Tartari Vitriolat.* ʒß.
Salis seu fæcul. Acetosell. ℈j.
M. *Dosis* à ℈ß ad ʒß. manè in jusculo.

Vel. ℞. *C.C.phil.ppt.Ocul.*♋*.ppt.* (si divites sunt)
adde *Margarit.ppt. Corall.rub. ppt. aa.* ʒj.

M. *Dosis* à ℈j. ad ʒß. in vehiculo quocunque vel jusculo manè & vesperi, quatuor horis ante prandium, duabus horis ante cænam sumendus. Sunt hi Pulveres efficacissimi, Archæum seu orgasmum, seu fermentationem imminentem præservandi, irruentem mitigandi, & præsentem non impediendi; nam acida, ut testatur Horstius in *Epistol. de Chirurgia infusoria* ad *Danielem Majorem*, in malignis morbis non sunt fugienda.

Vel, pro evacuatione vitiosorun humorum & liquorum, id est, causa Variolarum & Morbillorum, optimum est præservatiuum *Rhabarbarum â* ʒß *ad* ʒj. plus minus, pro ratione ætatis, grosso modo incisum, & in nodulum inclusum, in cerevisia vel potu ordinario suspendatur, de quo quotidie bibat aliquot cochlearia, tamdiu, quamdiu opus videbitur.

Rhabarbarum etiam in præservando laudatur.

Vel sequens *nodulus*, qui non tantùm præservando servit, sed etiam in actuali morbo, in nimia constipatione alvi tutissimus & excellens est.

℞. *Rad.*

Nodulus præservãs.

℞. *Rad. Fœnicul. Cichor. aa.* ℥j.
Rhabarb. el. ℥ß.
Sem. Aquileg. ʒij.
Cinamom. ℈ij.

Incisa, dentur ad nodulum, infundendum in Cerevisia vel potu ordinario, de quo bibat, & continuet quousque opus erit & Medico videbitur.

Rotulæ

Vel Rotulas ℞ *Rotul. de spec. liberant.* ℥ij.
Dosis Nò. 3. vel 4. omni mane.

Vel Pulverem præservativum Grülingii.

Pulvis.

℞. *Spec. liberant. Diamargarit. frig. aa* ʒß.
C. C. phil. ppt. Terr. sigillat. aa ℈ß.
Margarit. ppt. Corall. ppt. aa gr. viij.
Lap. bezoar. orient. gr. v. vel vj.
fol. auri No. iv.
M *Dosis* ℈ß. ad gr. xv.

Myrha & Castoreum etiam sunt Præservativa.

Vel *Myrrha* & ex illa præparata remedia, uti est *Essentia Myrrhæ* ita etiam *Essentia Castorei simplex* quàm *composita* è Castoreo & Assà fœtida cum Tinct. Tartar. extracta, tàm præservativè quàm curativè multum laudantur.

Præservationis modus ad mẽtem Dimmerbroick. Syrupus Pro infantibus.

Diemmerbroeck svadet, corpora á superfluis humoribus ad minimum semel singulis septimanis evacuanda, idque *Pillulis Ruffi*, quæ expertæ sunt, quarum *Dosis* Numero 1. 2. 3. 4. vel 5. in adultis. In infantibus autem valet *Syrup. de Cichor. c. Rhab.* pro ætatis constitutione, cavendo cathartica, quæ humores & totum corpus turbant. In plethoricis vena mittatur, vel menses, vel hæmorrhoides moveantur & aperiantur.

CAPUT.

CAPUT IX.

De Curatione Practica Variolarum & Morbillorum.

Curatio practica Variolarū & Morbillorum, perficiturque quatuor indicationibus

Indicatio I.

PRopositâ curâ Prophylacticâ, ad curam Therapeuticam accedamus necesse est. Patet autem, curam therapeuticam veram & methodicam Variolarum & Morbillorum, *quatuor* scopis seu indicationibus perfici posse, quarum *Prima*, in humorum & liquorum quantitate peccantium evacuatione & minoratione versatur, ut nimirum naturæ impedimenta quævis auferamus, & sic sanguis Variolarum fermento inquinatus & coagulatus, in corde & vasis sine stagnatione motum adhuc æquabilem retineat, & effervescens, portiones cum veneno congelatas foràs propellat, interim cavendo, nè fermentationis, seu effervescentiæ opus ullatenus cohibeatur, aut nimium proritetur, hâc enim, cruoris massa plus debitò in portiones congelatas agitur, istâ restringitur nimis in motu, & sic nec particulæ venenatæ cum cruore gelato foràs amandantur;

Quædam in hac indicatione observanda proponuntur.

natura autem â secretionis & expulsionis opere impediri solet, nimiâ excrementorum congerie in visceribus, aut sanguinis exundantiâ in vasis, quare oportet evacuatione succurrere, vias clausas aperire, humorum & liquorum crassitiem, tenuitatem, asperitatem, volatilitatem & fervorem corrigere &c.
Secunda, in motu naturæ & particularum fermentantium expulsione adjuvandâ. II.
Tertia, In malignæ & venenatæ qualitatis oppugnatione. III.
Quarta, in virium conservatione, & IV.
symptomatum correctione, partiumque tàm internarum, quàm externarum, nè lædantur defensione.

Hæ indicationes perficiuntur

Ut verò hi scopi & indicationes obtineantur, in usum vocanda veniunt, tria Medicorum necessaria, seu fontes *Di-*

tribus vulgò dictis fontibus.

æta, *Chirurgia* & *Pharmacia*: ii enim veri fontes sunt salutis, ex quibus Medicus optatam ægris propinat sanitatem, ex his totus cardo curationum desumitur, eos quapropter in sequentibus singulos ordine prosequemur, hâc tamen extraordinariâ methodô, ut nimirum remediorum in particulari admistratio tantò securior fiat, lubebit in gratiam tyronum curationem sequentem purè practicam ponere, id est, eô modô concinnatam, prout hodie â peritissimis Practicis (adhibitâ tamen diversitate subiectorum) in usu quotidiano observatur: in quem finem, quædam scitu & in praxi feliciter peragendâ dignissima præmittimus.

Pro feliciter peragêda pr xi quædam scitu dignæ annotationes.

Unde Nota, Quamprimum ergò advertitur, quòd Variolæ & Morbilli quoddam subiectum afficiant (quod ex signis supra recensitis facilè patebit) naturam statim debitis & ad hanc rem aptis remediis adiuvare, morbum verò ejusque causam impugnare oportet; ante omnia autem observandum & videndum, an infantes sint lactantes, an non, an minores, an majores ætate: si adhuc lactantur, per nutricem curandi, ut infra docebitur, idque ratio & praxis docet, vis enim medicamentosa, & sanguini & lacti communicatur, hoc ipsum attestante Hippocrate & Galeno 6. *Epid. sect. 3. text.* 34. Hinc quando quidam liberis suis, de malo quodam quasi inevitabili timent, antequam ebullitionis seu effervescentiæ ullum signum appareat (& quidem non malè) svaviter eos per nutricem purgant, & diætam strictiorem præcipiendo, â pulticula abstinent, tùm ante morbum, tùm etiam toto morbi tempore, ut cacochymiam omnem maturè tollant, & sic naturæ duplex onus & labor, in vincendo morbo & ejus causâ, non relinquatur: atque ob hanc causam Horstius *Tom. 2. pag.* 308. Nutricibus hoc tempore præscribit sequens *vinum* per quinque vel octo dies in prandio bibendum: ℞ *Passular. min* ℥iß. *fol. sen. el.* ℥j. *Rhabarb. el* ʒj. *vel.* ʒij. *sem. Fænicul.* ʒiß. *Macis Cinamom.* ℈j. *vel* ʒß. Infunde in *Vini tenvioris* sextariis duobus, &

Infantes lactantes per Nutricem curandi.

Vinum pro Nutricibus medicatũ.

& post 24. horas cola & exprime. Concedit autem Author hoc vinum inter prandendum, in eam scilicet intentionem, ut lenientia cibis mixta ipsius nutrimento imprimantur, quod denique in lac versum & infanti propinatum, ut ipsum suaviter purgare possit. Quando sumen. : m

Præterea ipsis infantibus per os exhiberi possunt quædam aquæ expulsivæ, cochleatim manè & vesperi exhibitæ. Vel dentur aliquot grana *pulverum* inferius describendorum in vehiculo quocunque. Vel etiam Nutrix omni manè & vesperi sumat bonum haustum *cerevisiæ* vel *jusculi calidi*, incoquendo *Radicem Calami Aromat. & Pimpinellæ.* Ettmüllerus svadet, ut nutrix quæ lactat infantem Variolis vel Morbillis detentum, quotidie utatur in potu ordinario vel jusculis *Gelatinâ C.C.* cochleatim. Infantibus propinanda remedia per os.

CAPUT X.

De Venæ Sectione in Variolis & Morbillis.

MAgna, & magni momenti, inter multos Clarissimos Viros (quorum aliqui eam necessariam, aliqui nullo modo administrandam censent) est controversia, nos, quantum licet, ut rei difficultati satisfaciamus, hanc materiam fusiùs pro & contra enucleabimus, & quænam tandem nostra sit hac in re intentio, candidè exponemus. Sanguinis missio in Variolis & Morbillis an conveniat disquiritur.

Qui ergò Venæ sectionem in hoc morbi genere necessariam esse laudant, hoc modo discurrunt: nimirum, si ante eruptionem magna Variolarum & Morbillorum suspicio & ebullitio adsit, humorumque & liquorum putrescentium sit plethora seu multitudo, ætas & vires ferant &c. injectô prius Discursus illorum qui venæ sectionem in Variolis &c admittunt.

aliquô suppositoriô vel levi enemate, secanda est vena, idque non tantum semel, sed iteratò si opus sit, ut scilicet humor & liquor effervescens & abundans, hâc evacuetur, & natura oneris parte levetur, sic etiam posteà alacriùs expellat, meliusque transpiret corpus, alioqui enim periculum est, nè natura oppressa multitudine & turbatione, nihil deponat in superficiem, aut tantùm morbi partem, vel nè materia orgasmo concitata, ruat in partem principem.

Helmont Venæsectionem damnat.

Ejus Argumentum.

Neque audiendus est hic cavillator *Helmontius*, qui contrarium docet contenditque Venæ sectionem non solùm in Variolis, sed & in omnibus febribus inutilem esse, quod probat hoc modo: *intentio perpetua naturæ sanandi febres est per sudores, ut patet in paroxismis intermittentium, huic autem intentioni è diametro opponitur Venæ sectio, Ergò.* Quàm falsum hoc sit argumentum patet cuique, nam quis quæso sanus dixit unquam, febres semper sudore solui, cùm experientiâ teste sæpe sæpius hæmorrhagiâ narium, hæmorrhoidum, uteri &c. soluantur. Hisne ergò Venæ sectio contrariatur? sanè unquam.

Ejus opinio experientiâ refutatur.

Quando secanda sit vena.

Secanda autem est Vena, nondum apparentibus, ut dictum, Variolis, in morbi principio, cum materia fervet in venis, nequaquam illis prodeuntibus (exceptô casu quem mox subnectam) nè motus criticus invertatur ab extra ad intra; quamvis alii sint, qui asserant, Venæsectionem ad circumferentiam trahere non ad centrum, quod probant â paritate: Cucurbitulæ scarificatæ ducunt ad circumferentiam, ergò & Venæsectio, eadem enim utriusque est ratio; sicut enim cucurbitulæ trahunt ex capillaribus, capillares rursum ex proximis venis, itâ pariter venæ brachii vel pedum, trahunt ex venis interioribus, Ergò: hoc quidem dici potest, quod respectu materiæ extra venas stabulantis, per venæsectionem illa materia in venas rapiatur, & sic etiam fieri possit tractio ad intra ob metum vacui, nam & ideò quandocunque venam secamus primam regionem corporis liberamus ab excrementis, nè illa

Aliqui â paritate probant Venæsectionem ad peripheriam trahere.

Quo sensu dici possit tractio ad intra.

illa ab alvo rapiatur ad venas. Verùm hoc intelligendum est de larga Venæsectione, ut quidam volunt, imò secundùm nos, etsi larga instituatur, tamen hoc non est timendum, siquidem venæ tunc inaniuntur, concidunt & nullum relinquitur vacuum, ut autem de Venæ sectionis eventu sis securior, statim post eam cucurbitulas siccas plures, infra dicendis partibus externis admove, ex *Riverii* sententia.

Præterea doctè ac enucleatè hunc scrupulum (deturbatô ex sanguinis missione naturæ conatu) eximit, & rem ipsam, prout oportet, optimè distinguit Caspar. Caldera de Hæredia in suo *Tribunali Medico Lib. de Variolis Cap.* 9, *Neque ex hac sanguinis missione*, inquit, *Variolarum timeas retrocessum vacui ratione, hic enim timor tantum locum habet, ubi nullum restat supervacuum. & materia criticè operatur, omni materiâ extra venas propulsâ, tunc enim est impetus excernendi expectandus, non autem cum symptomaticè natura irritata elicit, & restat adhuc in venis vacuandis auxilii oppositio, nempe multitudo, quod tibi æquâ lance perpendendum fuerit.* In quo casu sit timẽdus Variolarum retrocessus, & in quo non?

Et Ludovicus Mercatus, *de Pueror. Morb. Lib.* 2. *Cap.* 22. *Num.* 17. æquâ sane lance isthæc omnia perpendit & ait: *sciendum est hujusmodi Morbillos & Variolas exituras, semper comitem habere certum quendem continentium febrium modum, & certam naturam quæ necessario, tùm plenitudinis majoris aut minoris, aut ratione ejus dispositionis, quæ in vasis contrabitur propter succorum effervescentiam, prærequirit evacuationem, & eam per sanguinis extractionem, quo præsidio magni momenti consequimur beneficium, tùm quia plenitudo deponitur, quâ depositâ, natura redditur potentior ut supra dictum, supra residuum facilius expellat, tùm quia compescimus fervorem, & ex consequenti minuimus plenitudinem eam, quæ ex fervore causatur;* hæc Mercatus. Ulterius idipsum confirmatur & Venæsectionis utilitas in hoc casu demonstratur.

Has rationes confirmat experientia, quâ post venam sectam in Variolis, sedato sanguinis fervore, humorem â natura melius Ab experientia in dicto casu

Venæsectionis præsidium confirmatur.

melius coqui, & in pus optimum converti videmus, quam proinde methodum, ab Arabibus præcipuè, & Veteribus acceptam, feliciores practici & Medici rationales felicissime successu imitantur, quin imò ipsa natura, optima Medicorum Magistra & morborum Medicatrix, Medicum sæpe præveniens, copiosam per nares hæmorrhagiam instituit, ut faciliorem Morbillis aut Variolis sternat viam ferviditatemque inibi delitescentem extinguat.

Exempla felicium successuum per Venæsectionem. I. exemplum feliciter celebratæ.

Exempla felicissimorum horum eventuum ex Venæsectione, & malorum successuum ex ejusdem intermissione, undique apud Authores palam prostant, quorum duo notatu digna legere poteris apud *Thiermaier*, primum, de Iuvene Barone Ingolstadii, qui non tantùm sine virium jactura, sed magnâ tùm febris, tùm symptomatum sublevatione, sanguinis per intervalla ad 3 libras medicas per nares profudit Variolis interim copiosè & feliciter undequaque erumpentibus; si autem è contra sanguinis hoc profluvium, per nares semel tentatum, sed intempestive turbatum & impeditum fuerit, nemo facilè dixerit, quanta mox subsequi solent pericula, & quidem tunc præcipuè, quando imperfectum hunc conatum seu motum naturæ, per Venæsectionem Medicus supplere negligat, vel non audeat, vel non possit, id quod alterum exemplum, â

II. infeliciter omissæ.

citato Authore ex Osvaldo Gremsio, in sua *Arbore ruinosa* decerptum *Lib.* 2 *cap.* 3. *Nun.* 55. satis funestum demonstrat, Nobilissimæ Virginis jam adultæ, quæ, cùm tempore hyemali Mense februario, ex prædio in proximam civitatem, jam jam languens corpore ad parentes veheretur, sanguinis hæmorrhagiam in itinere passa est, utcunque copiosam, sed ob frigus externum, sine dubio impeditam aliquatenus, domum dum perventum est, dorsi molestissimus dolor & vomitus aliaque succrescebant symptomata, ita ut de Variolis dubitaretur, & de sanguinis missione in Virgine pulcherimâ bene nutritâ, ac menses nondum expertâ cogitabatur, sed absterruit ab hac

sangui-

ſanguinis miſſione Medicos aliquos hyemale tempus, & præſentes repetiti vomitus, & interim adhibitæ ſunt frictiones molliores, iniectus clyſter lenior, ad dolorem dorſi emplaſtica ex Foreſto *Lib. 6. obſ. 49. in ſcholio* adhibitæ Aquæ confortativæ cum bezoarticis adminiſtratæ, ſed omnia incaſſum; quin imò tandem, auctis dorſi doloribus, Variolæ paucæ, ſine dorſi ſublevatione prodierunt, factaque lucta ingens inter morbum & naturam, donec ſuccedente ſanguineo vomitu, ſanguineis urinis, Variolæ purpureſcerent & diſparerent, & Nobiliſſima Virgo extingueretur.

Medicorum quorumdam mala conſvetudo.

Accuſabatur (& vix non meritò) intermiſſa Venæſectio, nam revera Medici quidam aliquando ſunt timidi, & quandoque potius ad vulgi, præſertim edentularum Vetularum obtrectationes cavendas, quàm ad rerum momenta intenti; ac licet videant aliqui eorum ſubinde meliora, eademque probent, attamen in aliorum gratiam, & nè gratiam alicujus rugoſæ Megæræ perdant, conſveta ſequuntur: Nè forſan quis meticuloſus obiiciat, dicendo, in dicta Virgine ſanguinis miſſionem vomitus & tempus hyemale impediviſſe. Sed *Reſp.* 1mò de vomitu cum *Caldera de Hæredia*, qui loco citato ita loquitur: *Nec deterreat à ſanguine mittendo vomitus, neque fluxus ventris ſi profuſus non eſt, neque catarrhus aut ventris dolor, aut fugax etiam horripillatio, quoniam hæc ſolent Variolarum expulſionem præcedere, & pleraque alia complicata & varia accidentia, quæ poſt ſanguinis miſſionem, aut ſcarificatis aut ſicis cucurbitulis ſedabis. Reſp.* 2do de tempore hyemali, longè minor eſt quæſtio, & difficultas nullius momenti, morbus enim, quocunque tempore invadit, ſui medelam ſeu ſui ablationem poſtulat, eò citiorem quô gravior incumbit morbi moles, accedit, quod ſanguinis miſſio â nullo inſtanti ſydere inhibetur, ſi præſens affectus aut neceſſitas exigat: ſatiùs proinde eſt maligni Saturni, hoc eſt morbi cujuſcunque, falcem fugare, quam benignum Jovis aut blandum Veneris concur-

An ſymptomata quorumdam præſentia vel anni tempus venæſectionem prohibere poſſint.

Reſpondetur 1mò quoad ſymptomata.

Reſpondetur 2do

concursum (vel ut moraliter id explicem ad statum præsentem, quam benignum Jovis, id est, magni Domini, vel blandum Veneris, id est, alicujus magnæ Dominæ consensum) lethali cum periculo expectare vel sequi. Itaque ubi magna ebullitio, sanguinis copia, febris & calor intensus oppressiones pectoris, vires sufficientes, tunc certo in principio morbi, hoc est, tempore effervescentiæ, sanguinis missio necessaria erit, nam teste Hippocrate. 2. *Aph.* 29. *In morborum principio si quid movendum videtur, move.* Quod confirmat Galenus *Libro de curandi ratione per sanguinis missionem Cap.* 9. primos principesque sanguinis mittendi scopos esse, morbi magnitudinem & laborantis vires.

Signa quibus præsentibus venæsectio necessariò adhibenda.

Confirmatur id à Galeno.

Et hæc de Variolis in genere, an, & quando fieri debeat: restat nunc, an in quacunque ætate celebrari possit? pro quo *Resp.* berviter: si minores sunt, applicandæ sunt hirudines una vel duæ, ad medianam venam brachii quamcunque comparentem, vel etiam cucurbitulæ siccæ vel scarificatæ, quod melius est, brachiis, præsertim natibus, dorsô & pedibus applicatæ, & si opus etiam bis repetitæ, quæ valenter attrahunt ad habitum corporis; si autem pueruli sunt melancholici, præferrem hirudines esse applicandas venis sedalibus seu hæmorrhoidibus (idipsum in adultis est observandum) hic enim applicatæ, trahunt immediatè ex anastomosi seu extremitate venarum, non autem si medianæ brachii applicentur. Venam autem secare in pusillis (quamvis Parisienses & alii audaces famosi, etiam in lactantibus administrent) meô quidem judiciô nec semper, nec adeò tutum videtur, quia teneritudo tàm fortia & generosa remedia vix suffert, difficiliùs admittit, & difficillimè tandem adhibetur, & quamvis aliquando successisse in talibus constet, quod tamen rarum, id potius fortunæ, ut aliqui dicunt, adscribendum est: levioribus itaque, & multò tutioribus in tàm teneris contentemur.

In qua ætate possit celebrari. Minoribus conveniunt hirudines.

In melancholicis hirudines hæmorroidibus applicandæ.

Nostro judicio in pusillo venæ sectio non est tuta.

Ego

Ego tamen in praxi obſervavi, & ſæpius feliciter â me practicatum eſt, ſi magna aderant ſymptomata, & pænes plenitudo, in quinquennis & ſexennis (taceo adultiores utriusque ſexûs) ſemper feliciter adhibui Venæſectionem, hôc tamen præmiſſô, quod paulò ante Venæſectionem, unum generoſum expellens ſumpſerint, quô mediante, natura ab intra ad extra ſtimulata, nullatenus timenda erat per Venæſectionem retractio humorum. Venæſectione autem in debita quantitate peractâ, deſuper duo vel tria cochlearia alicujus cordialis expellentis, & ſic Deo Laudes ſemper feliciter ceſſit, præſertim in caſibus deſperatis, ubi oppreſſio cordis & convulſiones urgebant, In adultioribus, ut ſequitur, ſemper ſecutus eſt bonus effectus.

Aſt in quinquennis & ſexennis &c ſemper feliciter adhibuimus.

Ante & poſt venæſectionem ſemper ſumenda expellentia.

Fieri autem debet primâ vel ſecundâ, vel ad ſummum tertiâ ebullitionis ſeu effervescentiæ (quod notanter dico) die, tardiùs enim non facilè, nec ſecurè, quin imò niſi magna adſit vaſorum & virium plethora, magna quoque anhelitûs oppreſſio & exinde anxietas, dolores, & alia urgentia ſymptomata, quæ te ultro citroque ad venam ſecandam ſtimulent, præſertim ſi præfatum breviſſimum exhibendi tempus prætererit, ſatiùs & longè felicius in praxi feceris ſi eam intermiſeris, quàm adminiſtraveris, tali enim pacto, cum ſanguis & liquores, & iisdem prurientes ſpiritus in motu poſiti, quâ datâ portâ ruant & diſſipentur relictâ vappâ & liquorum reſolutione, quam virium reſolutio, mox etiam ipſa mors ſequitur. Si autem 7. 10. 15. vel 18. aut plurium ſit annorum & ſupra indicantia & coindicantia adſint, venam tutò ac licitè ſecari poſſe, nullum eſt dubium, ſed neceſſe & opportunum.

Venæſectio ad ſummũ primis tribus diebus ebullitionis adminiſtranda, ſerius cavenda.

Rationes.

In adultioribus tutius ſecatur.

Neque obſtat authoritas Galeni *de curandi ratione per ſanguinis miſſionem Cap.* 13. & alibi, ante 14. annum venam non eſſe aperiendam, quia corpus reſolubile eſt, & facile diſſipabile. Galenum ſequuntur multi, quos inter eſt Ioannes Baptiſta Sylvaticus, Mediolanenſis *Lib. Controverſ. Medicar. Controverſia* 88. Sennertus *de febribus Lib.* 4. *Cap.* 12. ſed tamen

Authoritas Galeni prohibentis ante 14. ætatis annu venæſectionem.

Q cum

cum distinctione. Huic se quoque subscribit ex Recentioribus *Thomas Willis* & plures alii. His accedit mos Germanorum, qui ad sanguinis missionem in pueris, magna ex parte tardi sunt, vel illam etiam plerumque negligunt. Nam primò respondetur ad authoritatem Galeni, quod imprimis eidem plerique Mauritanorum Medici, præsertim *Cornelius Celsus Latinus*, & quasi omnes Recentiores adversentur, & quidem ex firmis rationibus & experientiis infra ponendis; & sic quoq; facile cadit ratio *Sylvatici* ab eodem Galeno deprompta: Morem tardiorem, & quandoque negligentiam in Venæsectione Germanorum quod attinet, audi respondentem Bartholinum in sua *Cista Medica loculo* 58. *quæst.* 5. *credo*, inquit, *hanc apud Germanos religionem & morem, pueris naturâ sanguineis & acuto morbo vexatis, sæpe fuisse exitii causam.* Quamobrem his præmissis concludo, &

Respondetur ad authoritatē Galeni.

Mos Germanorum tardior in venæsectione incusatur.

Nostra conclusio & sententia de Venæ sectione.

I.

Dico 1mò in Pueris (uti omnes Recentiores tenent) qui in regionibus calidis habitant, quibus nimirum sanguis copiosus calidus ac spirituosus est in venis, tutò sanguinem mitti posse ac debere, si morbo aliquo acuto prehendantur. Itaque Hispani, Galli omnes, & Itali plerique. Unde subsumo &

II.

Dico 2dò Infestantibus & magnum periculum facessentibus morbo acuto & Variolis, sanguinem quoque nostris pueris in Germania rectè mitti, quando iis sanguis copiosus, calidus & spirituosus est in venis. Si ebullitio magna, febris intensa, respiratio difficilis viriumque robur pro ætate adsit. Rationes pro hac sententia sufficientes, mox supra de Venæsectione in genere attulimus, quas sufficientes ni fallimur existimamus, & sufficiat nobis, & ratio, & experientia, & analogismus, quæ omnia nobis ipsa natura, optima morborum medicatrix, dictat & inculcat: Notissimum enim & compertissimum omnibus Medicis est, si ante Variolarum eruptionem, larga contingat narium hæmorrhagia spontanea, illam feliciter & cum ægri levamine fieri, febrem imminui, & Variolas

Natura Venæsectionem esse salubrem ipsa nobis demonstrat.

falicius

faciliùs & minori copiâ prorumpere: Non negamus quidem, talem hæmorrhagiam post eruptionem aliquando infeliciter cessisse, præsertim quæ limites excessit, vel contrarium naturæ motum exercuit & concitavit. Probatur ulterius: Morbi etjam puerorum, ab effervescente sanguine ejusque copiâ orti, ex natura indicantis postulant sanguinis eventilationem & evacuationem. Nec obstat hic virium debilitas, aut tenuioris corporis dissipabilitas in pueris, cum non agatur de magna & copiosa sanguinis evacuatione, de qua Galenum illo loco locutum, multi interpretes fuisse putant, sed de parva tantùm, & junioribus corpusculis pro ratione loci & morbi competenti sanguinis missione. Ac proinde putat *Zacutus Lusitanus*, Vir in Veterum lectione planè versatus *de Medicorum Principum historiis Lib. 3. hist.* 80. *quæst.* 47. esse absurdum credere, Galenum venæsectionis aliàs amantissimum, hoc auxilium in pueris tantopere recusâsse: Hinc ut dictus *Zacutus* suam hanc sententiam de sanguinis missione puerorum magis confirmet, variè tum *Galeni*, tum aliorum Veterum *Hippocratis*, *Pauli*, *Aëtii*, *Oribasii*, *Avicennæ*, *Avenzoaris*, *Rhasis*, *Averrois*, *Actuarii*, præter plurima Neotericorum testimonia pro se adducit.

Probatur ulterius Venæsectionem convenire.

De quali venæsectione fuerit locutus supra Galenus.

Itaque ratio mittendi venam in variolantibus & morbillantibus non solum in Hispania, India, Gallia, Italia hodie multiplici experientiâ increbuit, & infinitis pueris felicissimo eventu confirmata est, teste *Septalio Lib.* 4. *Animaduers.* 8. Verùm etiam non desunt ex septentrionalibus Medicis, qui hanc ipsam Venæsectionem servatâ moderationis lege, commendent: nam præter Zacutum locô supra citatô natione quidem Lusitanum, sed in Holandia praxim factitantem, *Sennertus* prudens Germaniæ Medicus *Lib.* 4. *de febrib. Exper.* 10. Venæsectionem in pueris Morbillis & Variolis laborantibus absolutè permittit, & si vires & plethora adsint, venæsectionem, ait postulari. *Plempius* Doctor & Professor Lovanii quondam

Authores

varii citantur æque in Germaniæ infantibus venæ sectionem commendantes.

dam eximius *Lib. 6. fundament. Medic. Cap.* 4. sanguinis missionem certo annorum termino definiri non posse putat, cum sint senes & pueri qui eam facilè ferant. Idem confirmat Melchior Zebitius in *Disp. Med. de Venæsectione habitâ Anno* 1602. *Thesi.* 78. Idem Ioannes Fuchsius *in compendio de Purgatione & Venæsectione part.* 2. *cap.* 4. ubi multis docet competere venæsectionem pueris illis qui natu admodum parvi sunt. Hoefferus in suo *Hercule Medico Lib.* 7. *Cap.* 6. *ad finem* ita in rem nostram loquitur: *quod venæsectionem attinet, eam in principio adhibere ubi febris valde est intensa, corpus plethoricum, & vires constant etiam in pueris, quia spontaneâ superveniente hæmorrhagiâ narium, aliquando plurimùm juvantur, nihil vetat, & tantum abest venæsectione naturæ cursum inpedire (licet proximè immineat exanthematum eruptio, vel jam aliquot maculæ compareant) ut eam insuper juvare possint.* Idipsum tenent plures alii hodierni Medici, quos omnes adducere nec scribendi nec legendi tempus patitur, quibus tamen omnibus experientias meas mox additas ante, in memoriam revocare volui, & iisdem adiungere luculenta experimenta famosissimi nostri antesignani *Nicolai Franchimond,* 44. Annis in Universitate Carolo Ferdinandea Pragensi Professoris Primarii ac Senioris & ultra 50. Annos Practici felicissimi, qui infinitos pueros satis parvos in Morbillis & Variolis etiam præsentibus jam aliquot maculis vel etiam actualibus convulsionibus, ex orci faucibus eripuit. Quod idem se fecisse testatur Thiermajer *Lib.* 1. *Cap.* 8 *fol.* 105. ubi dicit se habuisse in Germania pueros admodum natu parvos etiam nobilissimos è vena secta, vel si itâ videbatur, saltem ad venas brachii appositâ una alterve hirudine ex morbis acutis sublevatos quos aliâs, si hoc remedio tractati non fuissent, certò perire contigisset. Quin imò

Confirmatur Venæsectionem in pueris esse convenientem.

Variæ Authorum experientiæ.

Conclusio III. Quando que etiam

Dico 3*tiò*, Ubi prævidetur ægrum non levari, sed summum fore periculum ex intermissione venæsectionis, etiam Variolis jam erumpentibus, secare venam licet, ut sæpius felicissi-

cissimè practicatum est hactenus, testis est, præter alios plures jam citatos, Diomedes Medicis amicus Placentinus *Tract. de Variolis Cap.* 40. his verbis: *Cæterum quando apparent sine alleviatione, & adsunt signa humorum in profundo existentium præsertim cum magna febre & difficultate anhelitûs, & non esset facta venæsectio primis diebus cæteris consentientibus, maximè in magna plethora non esset inconveniens evacuatione uti, sed parcâ*; atque etiam citatus Author eodem in loco asserit intelligendum & nullatenus reiiciendum, Rhasin *Lib.* 10. *de re medica Cap.* 18. qui non tantùm in initio, sed etiam comparentibus omnibus Variolis venam secare jubet, & sanè cum plerumque maculæ illæ (ut Sennertus *de petechiis Lib.* 5. *Inst. parte* 2. *sect.* 1. *Cap.* 17. directè docet) ab insigni sanguinis solùm ebullitione, ac malignorum humorum ac putrescentium fervore fiant, nihilque ægrum juvent, ipsarum gratiâ, necessaria præsidia omittenda non sunt, ac proinde si venæsectio indicetur & vires ferant, non prætereunda. Avicenna *Fen.* 4. *Tract.* 4. *Cap.* 10. Venæsectionem instituere svadet ante eruptionem, & etiam in magna repletione post earum eruptionem. Hunc sensum quoque probat Forestus *Lib.* 6 *Obs.* 46. & 47. Amatus Lusitanus *Cent.* 3. *Curat.* 16. Nicolaus Fontanus *Respons. & Curat. Medicinal. Lib.* 1. & Gremsius in *sua arbore ruinosa Lib.* 2. *Cap.* 3. *de Variolis & Morbillis fol.* 430. & 431. refert casum lethalem ex intermissa vensectione satis notabilem, rationesque has annectit: in plethoricis inquit Archæus viscerum non ità gliscere potest, abundantiâ sanguinis oppressus, & si ille rebellis fiat, deponit furoris idæas in cruore, propter quas fit ebullitio, nam fermentum exoticum suscitatur, exinde sanguinis quantitas major efficitur, ut videre est in omphacio, si autem vas nimium repletum foret & omphacium ebulliret, tunc exitum debet habere, aut vas disiliet, sic pariter ebullitione cruoris vasa majora dilatantur. Hic NB. dolor dorsi vehementissimus excitatur, & tandem excitato cruore, stigmata livida in tergo & alibi apparent.

Variolis jam erumpentibus licet secare in pueris venam. Authoritates id confirmant.

Rationes Gremsii cur omissa Venæsectio quandoque mortem intulerit.

Dolor dorsi in Variolis ab ebul-

litione cruoris vasa distendentis.

Qui igitur Medicorum Archæi sedativum non habent, saltem intermittere non debent removere impedimenta, ut natura deonerata, id est Archæus non impeditus incumbat morbo, id est in se redeat & resipiscat, & tartarô superficie cruoris expulsô de furore remittat, quod ut verbo dicam, inquit Author, venæsectione suo tempore modoque adhibitâ perfici potest & ratio ulterior datur; nam interdum non erumpunt vitii copiâ & quantitate, naturâ multitudine oppressâ quæ exonerari debet, præsertim si febribus perseveret, spirandi difficultas & suffocatio, hi casus lethales sunt: natura enim proparte exonerata, reliquum facilius agreditur & superat, neque sic periculum erit, ut æger ob materiæ copiam suffocetur, experientia enim testatur, materiam sæpe ita luxuriari, ut & interna viscera per anatomen Variolis & Morbillis consperſa deprehensa sint, eandem rationem obtinet si Variolis urgens morbus supervenerit, veluti est pleuritis, peripneumonia, vel aliæ inflammationes viscerum &c. in hoc & simili casu, nullâ interpositâ morâ, erumpentibus quamvis maculis, vena secanda est, nam Urgentiori semper est succurrendum, & melius est anceps experiri remedium, quàm patientem certo mortis periculo committere, sed illico post venæsectionem ad duplicatam sudoriferi dosin accedendum, sudorque provocandus, ut motus ad peripheriam materiæ per phlebotomiam retractæ concilietur, proinde corpus benè tegendum & calido loco (nè extra aspiret aura in hoc casu funesta) conservandum. Pro summa hic dictorum, nunc bene.

Ulteriores rationes pro Venæsectione.

Si Variolis urgens quidâ morbus super veniat, iis erumpentibus licèt vena secanda est. Rationes.

Venæsectione in talibus casibus adhibitâ, mox duplicanda sudorifera.

Quædam pro dictorum de Venæsectione majori dilucidatione. Annotationes. I.

Notandum 1mò. Si eruptio Variolarum & Morbillorum critica sit, id est, si ebullitio seu effervescentia tantum depurativa, æger levetur, nec adsint indicantia exigentia Venæsectionem, ea omnino est prætermittenda tanquam non necessaria imò noxia, quia naturam turbat & â bono opere diver-

divertit, quod est contra Divum Senem. 1. *Aphor.* 24. *Quò Natura vergit eò ducere oportet.*

Notandum *2dò* Si suspecta sit Venæsectio, verbi gratia, quod tempus idoneum jam transactum fuerit, sanguinis abundantia (etiam in adultis) abstrahi poterit cucurbitulis scarificatis, dorso, scapulis, & femoribus admotis, quæ vicariæ sunt venæsectionis, & in statu morbi conferre poterunt, cum motus naturæ â centro ad circumferentiam per eas adjuvetur, ut supra jam dictum. Cujus occasione. II.

Notandum *3tiò* Nihilominus quosdam esse famosos Authores qui & cucurbitulas & hirudines famelicas, dictis partibus admotas improbant, & quidem ob duas potissimum rationes. *Primò* Quia maxime damnosum est primis diebus corpus denudare, quod in similium remediorum applicatione necessario fieri debet, cum eô ipsô eruptio impediatur. *Seundò* Quia per cucurbitulas laudabilissimus in capillaribus arteriis & venis contentus, & substantiæ aliti proxime appositus & apponendus sanguis extrahitur, & inde vires prosternuntur; Et hæc de Venæsectione in genere & in specie, plura qui de hac controversia legere desideraverit, prô & contra potentia argumenta, adeat Doctissimum Tilingium *de febribus petechialibus â fol.* 231. *usque ad fol.* 260. III. Quidam Authores hirudines & cucurbitulas improbant Ratio hujus I. Ratio II.

CAPUT XI.

De Purgatione in Variolis & Morbillis.

SEd nova nunc oritur quæstio & inter Authores lis de Purgatione utrum nempe conveniat, nec ne? Ad quam Respondeo, plurimos purgationem hoc in morbo tam Veteres quàm Neotericos vituperare, asseruntque unanimiter aluum moven- De purgatione in Variolis quæritur. Purgationem multi

Authorum in Variolis pituPerant Rationes cur.

movendam non esse, præterquam si non respondeat iis de quibus mox infra dicemus. Ratio est, quia pharmaca cum sint acria humorum ebullitionem & effervescentiam adaugent præterea cùm corpus extimum exanthematis scateat intrò virulentam materiam revocant moventque motu naturæ contrario, scilicet â circumferentia ad centrum, unde quibuscunque Variolis laborantibus alui fluxus contingit, rêtrogressio Variolarum, anxietas, virium lapsus & repentina mors utplurimum consequitur, ut in prognosticis supra notavimus, nam similem pharmaco irritatum alvi fluxum subsequuntur dissenteriæ, ulcera maligna & curatu difficillima vixque hac evacuatione infringuntur. Adde rationes ex *Hippocrate*, cum enim Variolæ criticæ sint evacuationes, sinendæ sunt, ut docet 1. *Aphor.* 20. *quæ judicantur & judicata sunt perfectè uecmoveto, innovato sive purgantibus medicamentis, neque aliis irritamentis seo sinito*, id est bene operanti naturæ soli & unicæ totum negotium est committendum & Medicus nihil moliri debet. Rationes pro hoc Aphorismo (ut plurimas omittam) desumere quis potest ex Galeno, quæ sunt in cute, inquit, non possunt in aluum retrahi der medicamenta, accidit quod hæ febres, antequam maculæ se prodant, mentiantur aliquando formam intermittentium & quod opus est ante perfectam morbi dignotionem statim ad purgantia properare. Verum tamen utilis interdum esse potest levior & benigna purgatio in principio & declinatione.

Con firmatur exHippocrate.

Levior purgatio interdum & benigna in principio declinatione convenit.

Dico levior & benigna, intellige quæ fit per lenitiva seu minorativa, non autem fortiora, seu electivè purgantia, utriusque ratio data est supra, & dabitur inferiùs, scilicet eventus sinistrorum affectuum qui exinde contingunt. Dico præterea in principio, id est ante eruptionem Variolarum & antequam febris incandescat, quando scilicet infantes sunt velut in neutro decidentiæ, id est, quando deficere incipit sanitas, morbus

Quare levis & benigna tantum convenit.

Quare in principio

morbus verò incipit adesse, id est, quando nec sunt sani neque ægri, tunc enim abundat cacochymia seu copia vitiosorum humorum aut succorum circulantium. Primo aut secundo die antequam natura movere incipiat, utiliter levissimis pharmacis uti possumus, quibus bilis effervescentia, utpote causæ adiuvantis compescitur, prima regio evacuatur, venæque mundantur, fitque natura aliquantum levior & potiori onere levata, fit expeditior ad excretionem & expulsionem, teste Hippocrate 2. *Aphor.* 29. Incipientibus morbis, si quid movendum videtur, move, urgentibus, quiescere multò præstat. Ratio Aphorismi pro prima parte datur, quo enim tempore æger minus affligitur, id est, quô sunt validiores, eô tempore magis & securiùs movendum, quod fit in principio morbi, ubi vires robustæ, & æger minùs afflictus, morbusque quandoque tollitur & jugulatur, unico hoc tempore adhibitô remediô. Ratio posterioris est, quòd in statu vires sint debiliores, unde & in nostro casu vult observandum Hippocrates; Variolis enim apparere incipientibus, purgatio futura est perniciosa & contra legem Hippocr. 4. Aphor. 10. purgandum in acutis, si turgeat materia eodem ipso die, differre enim in talibus, malum.

Confirmat id Hippocratis Aphorismus.

Ratio Aphorismi primæ partis.

Ratio ultimæ.

Cùm autem Variolas inter morbos acutos recensuerimus, consultum est, ut fulciri hac lege, si movendum quid sit, moveatur prima statim die, non autem apparentibus Variolis. Cùm enim hæc expulsio una quasi crisis fit â natura instituta, ab externo quodam agente impediri non debet, tantò autem perniciosior est purgatio adhuc, si his apparentibus maxima simul urgeat malignitas, ut fit in constitutione epidemica, quando plurimi infantes ex morbo intereunt, in quo casu ego satiùs judico, omninò â purgatione abstinendum, quia in morbis malignis & pestilentibus purgatio quæcunque demum summopere est noxia.

Quare apparentibus Variolis non liceat purgare.

Cavenda etiam est purgatio summopere in Variolis malignis.

Concluditur ergo levia purgantia convenire.

Concludendum ergò, Purgationem fortiorem nullatenus convenire; levem verò in principio & nondum apparentibus exanthematis, ea autem concinnata ex levissimis medicamentis, de quibus infra, & in pauca quantitate, ne largiori alui fluxus perniciosus concitetur, quod non fiet, si juxta mensuram eorum fiat administratio, imò exinde multa speranda erunt commoda, quæ jam supra sunt recensita, quibus pro coronide impertior authoritatem Galeni 5. *Methodo*, omnes ab exanthematis pestilentibus fuisse servatos, qui] ante (intellige leniter) purgati fuerant. Consultum ergò est, ut quamprimum Medicus bene dijudicet, quales tali tempore in Variolis peccent humores, quò iidem vergant, an ad vomitum, an ad secessum, an ad sudores? ut medicamenta singulis convenientia præscribi, ipsorumque motus ac evacuatio utilis promoveri possit: Ideò Medicus *rationem* & *experientiam* sequi debet: *Rationem*, ut naturam in bono opere non turbet, illam vel contrario motu impediendo, vel â suo opere avocando, nimirum dum illa â centro ad peripheriam agit, per purgantia invertat. *Experientiam*, cùm enim experientiâ constet, quòd in hoc morbo feliciter moveatur materia morbifica â centro ad peripheriam, quô autem natura vergit. eò ducere oportet, ergò eâdem quoque experientiâ constabit, motum hunc contrarium malè & indebitè factum, vel sponte, vel ab arte, factum esse infelicissimum.

Medico necesse est, qualitatem humorum & motum dijudicare. Medico ratio & experientia sequenda est. Cur rationem. Cur experientiam?

Nicolai Florentini scrupulosa authoritas rejicitur.

Non obstat hactenus dictis authoritas *Nicolai Florentini*, qui & ipsos clysteres vituperat, taceo alia remedia. Sed nimis scrupulosa est hæc vituperatio, quæ non in virum cordatum, sed timidum cadere potest; nam non impediunt naturæ motum clysteres, cum in solis intestinis (nisi acriores sint, de quibus non est sermo) solummodo operentur, natura autem propè cutim & in venis motum suum perficit.

In vario-

Notent autem juniores Practici, ut in actu jam variolantibus &

& morbillantibus, primis aliquot diebus de alvo lenienda & solvenda non sint soliciti, & si tandem necessitas urgeat, fiat hoc potiùs in infantibus per sola suppositoria, in adultis per clysteres lenes, & sic feliciter cedet. lantibus primis diebus aluus non ita solicitè solvenda.

Dico tandem in declinatione, ubi enim natura semel à morbo evasit victrix, utilis est, ac esse potest purgatio, tùm quia materia peccans jam tota est concocta, tùm quia reliquiæ humoris morbifici utpote concocti evacuari debent, hâc tamen restrictione, si natura per se evacuationem non aggrediatur, quando enim humores criticè evacuantur, purgatione nullâ opus est, nisi crisis fuerit imperfecta, in quo casu medicamentis succurrendum est naturæ, ne reliquiæ recidivam pariant juxta Hipp. 2. *Aph.* 12. quæ in morbis relinquuntur, recidivas facere consveverunt. Purgatio in declinatione utilis est. Rationes. Si natura ipsa evacuationem bene peragat non est turbanda.

Nota, antequam hujus Aphorismi sæpius in praxi occurrentis, ac Medico dogmatico, si debitè capiatur, in universalibus magnum adferentis lumen, explicatio instituatur, priùs per parenthesin sciendum, quòd vulgò in praxi variolantes & morbillantes ante duas vel tres septimanas ab evanescentia Variolarum & Morbillorum non purgantur: ego autem in Morbillis, non autem Variolis, etiam post nonam diem aut summum decimam quartam diem feliciter levem purgationem persolvi, præsertim in iis, qui impatientes sunt, ut se ab excursionibus contineant. Satiùs tamen & securiùs generaliter esse credo & svadeo, ut quamdiu minima nota aut vestigium, aut macula in cute appareat, non purgetur patiens, siquidem quamdiu aliquid adhuc in cute apparet, tam diu natura adhuc in expulsione & motu constituta esse videtur; quando ergò in Morbillis omnia vestigia in toto corpore evanuerunt, & quando in Variolis omnes crustæ in toto corpore deciderunt, tunc tutissimum est purgare. Tempus ordinarium quo purgatio in Variolarum & Morbillorum declinatione institui solet Tempus tutissimum

Jam ad explicationem præfati Aphorismi, præcipit ergò Medico Hippocrates, ut in curatione diligenter attendat, Explicatio Hippocra-

tis Aphorismi, quæ in morbis relinquantur &c.

si quid à morbo relinquatur, id removeat, ne ejusdem recidiva contingat, cum enim unus morbus facilè alteri succedere possit, posteriorque sit prior priore, ne hæc contingant, Medicus & opifex & minister Naturæ id congruis remediis evitare debet. Hæc autem sæpiùs contingere, tum experientiâ, tum ratione edocemur, de priori nemo dubitat, sed exempla loquuntur, de posteriori verò nullus in re medica fundatus ambiget: clarum ac certum enim est, positâ dispositione morbificâ cum virium languore, facilè morbos sequi, atqui in convalescente ægro non perfectè judicato, adest dispositio morbifica cum virium languore, adest enim portio morbi prioris, ut supponimus, illa autem portio non est secundum sed præter naturam, ergò morbifica; talis autem morbifica portio, quòd facilè morbum renovare possit patet, quia dispositio est ad concitandam novam putredinem, vel in humore vel in morbo ipso: præterea desumitur argumentum à contrario; nam si ideò in perfecta crisi recidiva nulla contingit, quia in ea nihil morbi relinquitur, ergò è contrario in crisi imperfecta certo certiùs continget, quia totum non evacuatur. Sed

Ex quibus signis possit agnosci crisis perfecta.

Quæres, ex quibus autem signis cognosci possit, an crisis perfecta sit, id est, talis, in qua nihil relinquitur? *Resp.* quamvis hæc quæstio in Institutionibus tradita & resoluta sit, eam tamen in præsenti succinctè percurro; perfectæ nimirum crisis signa sunt, si signis concoctionis apparentibus, fiat subita & notabilis excretio & non translatio materiæ, & quidem cum alleviatione in die judicatoria seu critica, per viam aliquam effatu dignam, vel etiam per abscessum ab intro ad extra: Signa verò imperfectæ crisis seu recidivæ sunt contraria, si nempe morbus allevietur non secundùm rationem, hoc est, sine concoctionis signis, quod malum esse testatur *Hippocrates* his verbis: *Non oportet fidere iis, quæ ex ratione non levant, neque multum reformidare mala, quæ præter rationem.*

Signa imperfectæ Crisis.

rationem contingunt; præterea si fiat extra diem criticum, vel sine evidenti & notabili evacuatione, potiùs translatione seu abscessu à parte nobili ad nobilem vel etiam nobiliorem, vel ab extra ad intra. quibus adde, si relinquatur oris amaritudo, inappetentia, vigilia, somnus prætermodum, pathemata, corpus à cibo non roboretur.

Notandum autem hic est, quod recidiva alia sit vera, alia non vera: vera accidit in imperfecta crisi, quoties natura non potuit in totum causam morbificam eradicare, sed manet dispositio in materia antecedenti, vel in membro seu parte, unde morbus rursum renovatur. Recidiva non vera est illa, quæ accidit in crisi perfecta ob causam aliquam externam v: g: malam victûs rationem, temporis constitutionem, &c. quæ ut non contingat, hæc evitari debent.

Recidiva alia est vera, alia non vera. Quando contingat vera. Et quid sit non vera.

Notandum *secundò*, quòd recidivæ fiant vel in augmento, vel in declinatione: quæ in augmento fiunt, parùm temporis interponunt; quæ vero in declinatione diutius. Sed

Quando contingere soleant recidivæ.

Objicies: in declinatione non potest fieri recidiva, si enim natura in morbo superavit multum, ergò in convalescenti multò magis poterit superare parum, & prohibere, ne fiat morbus. *Resp.* esse materiam difformem, cujus pars superata à natura declinationem fecit: remanet autem altera, cum qua natura non pugnavit, vel quòd non fuerit ab illa irritata, vel quòd alia gignatur de novo: unde

Obiicitur contra tempus declinationis quo dicitur fieri recidiva. Respondetur.

Notandum *tertiò*, quod morbus, qui succedit morbo, vel est ejusdem rationis, quod plerumque fit in recidiva, vel diversæ, sed in hoc casu potius morbum in alium transmutari dicimus, quàm veram recidivam; idque fieri vel errore Medici, remediorum intensione inducentis contrarium morbum, vel morbo ipso alterum gignente, verbi gratia hæmophtisis, peripneumoniam, &c.

Quando propriè dicitur recidiva.

R 3 CAPUT.

CAPUT XII.

De Vomitoriis in Variolis & Morbillis.

De Vomitoriis.

LOngè major quàm de Venæsectione ac Purgatione Authorum est rixa & ligitium Vomitoriorum; quod nos non multis lineis, sed paucis verbis solvemus, nimirum illa nunquam locum habere, nisi vel in primo quasi principii tempore, seu status decidentiæ, & quidem tunc in isto casu tantùm, in quo saburram copiosæ materiæ peccantis in ventriculo latitare, & naturam ultrò citroque ad illam viam pronam & facilem esse advertamus, hoc enim tempore & modo data levissima Vomitoria obesse non possunt, cùm natura ipsa monstret viam, quam Medicus minister, modo citò, tutò, & jucundè faciat, omnimodè sequi debet,

Vomitoria non nisi in primo principii tempore locũ habent.

Experientia quoque adstipulatur, quòd in principio subortus Vomitus morbum reddiderit leviorem & securiorem: si ergò vomitus spontaneus id potest, quid ni etiam faciet judicio & arte factus; ità sentiunt plerique Neoterici.

Probatur ab experientia vomitus in principio fuisse salutares.

CAPUT XIII.

De Remediis in Variolis & Morbillis.

VIdimus ergò hactenus, quo in casu Venæsectio, Purgatio & Vomitio in hoc morbo convenire possit: videndum nunc, quid ultra faciendum. Igitur post venæsectionem aliasque evacuationes (si tamen necessariæ fuerint) Variolarum expulsio adiuvanda est non solum *remediis specificis* humores ad

Post universalia adhibita quæ

ad cutem propellentibus, sed etiam *diaphoreticis* & *alexipharmacis*, præsertim si Variolæ & Morbilli epidemici, & summæ malignitatis adferant periculum, hæc autem in particulari seu in praxi hodie sic absovuntur, ac imprimis *Suppositoria* quod attinet, illa in hoc affectu non debent esse acria, neque ullô medicamentô irritante nimium naturam constare, sed sufficit si *ex solo melle* ad debitam consistentiam cocto, vel *ex lardo* vel *rad. petroselini*, vel ex *solo butiro* in *aqua frigida* loto: vitanda autem illa, quæ fiunt ex *Sapone*, *Sale*, *hiera*, & similibus, quæ acrimoniam in se continent: Ratio, quia licèt alvus toto morbi decursu si adstricta sit, blandissimè sollicitari possit, non tamen nec potest, nec debet irritari. remedia usurpanda. Praxis hodie usitata. Suppositoria qualia esse debeant.

Clysteres seu *Enemata* bona & secura hoc in morbo sunt hæc maximè ab initio, & postmodum non nisi urgente necessitate, applicata. Clysteres boni & tuti in principio præcipuè usurpandi.

℞. *Malv. cum toto. fol. Violar. Parietar. Endiv. aa M*ß.
flor. Chamomill. Mj. Rad. Alth. ℥ß.
sem. Fænicul. Lentium decortic. aa. ʒiij.

Coque in s. q. *Aq. Hordei.* Colaturæ ℞. (si est parvus) ℥*iv. vel v.* (si major seu provectæ ætatis) ℥*ix. vel* ℥*x.*
Cassiæ extract. (si parvulus) (℥ß. (si major) ʒ*vj.*
Vitell. Ovor. No. j. vel. ij.
sacch. Thom. alb ℥ß. *ad* ℥*j*, plus minus.
M. f. Clyster,

Vel. ℞. *Decoct. hord.* cum *Lentibus excort.* ʒ*ij. vel* ʒ*iij. facti* ℥*ix. vel* ℥*x. Cassiæ pro Clysteribus* ʒ*iij. vel* ʒ*vj. sacch. Thom.* ʒ*vj. vel* ʒ*x. Vitell. ovor. No. j. vel ij.*
Mc. f. Clyster, ut ante.

Aliæ materiæ pro clysteribus.

Vel fiat *Enema* ex *jusculo* vel *lacte* cum *saccharo* aut *decocto hordei passul. liquirit. & vitellis ovorum.* hæc & similia clysteria locum habent in Variolis, ut testatur Gremsius *in Arbore Ruinosa Lib.* 2. *Cap.* 3. *fol.* 427.

Magnificus quidam & senex Invictissimi Imperatoris *LEOPOLDI* olim proto-Medicus *Manageta*, & cum illo plurimi alii, frequenter à principio statim, ubi corpus scatet humoribus utitur *Electuario*, quod vocat puerile, quia tutissimum & pueris innoxium est.

Electuarium puerile purgans.

℞. *Cassiæ rec. extract. Pulp. Tamarind, aa.* ʒvj.
Mann. el. cum *Aq. Violar. solut.* ℥iß.
Pulv. fol. senn. elect. ʒiiß. cum *syr. Violar. simpl. q. s.*
F. Elect. S. Electuarium pro pueris. Cujus *Dosis* esse potest in pueris ℈*iv. vel* ʒ*ij.* in adultioribus ℥ß. *plus minus.*

Medicamenta lenientia.

Huc quoque facit *Syrupus Rosar. solutivus. Electuarium de Tamarind. Manna, Pulpa Cassiæ*, vel *Nodulus Grülingii* expertus & securissimus, supra in cura prophylactica descriptus.

Mercurius dulcis à Michaele laudatur.

Michaelis in principio statim, quando infantes fiunt queruli, præmittit purgans ex *Mercurio dulci* ritè præparato, & maximam laudem mereri asserit; de quo legatur ipse Author *Prax. Clinica speciali Cap.* 25. *pag.* 576. Denique talia scilicet remedia, quæ non solùm alvum lenissimè lenire, sed & Sanguinis & liquorum fervorem refrigerando extinguere, partesque internas (subducendo materiam) moderatè adstringendo roborare, & per consequens vires tueri valeant.

Possunt autem hæc pharmaca tùm per se & inter se tùm cum convenientibus aliis, prout res postulat, commisceri. Quæ omnia (jam recensita) tàm interna, quàm externa remedia laxativa & emollientia locum tantùm habent in principio morbi, hoc est, tempore ebullitionis, antequam tempus eru-

ptio

ptionis (quod in quibusdam etiam secundâ, aliis tertiâ, quartâ, quintâ, sextâ, quandoque etiam septimâ & decimâ die contingit) adsit, ubi satius est, ab his omnibus abstinere, nam satiùs est habere aluum segnem quam fluidam, & ut uno verbo dicam, consultissimum denique est, grassantibus Variolis & Morbillis corpora infantum & aliorum periclitantium peculiari diligentiâ pura conservare in tempore, antequam iisdem corripiantur. Si autem durante morbo, multis diebus esset constipata aluus, tunc convenient ea, quæ infra dicam in Diæta de excrementis alui, & mox supra dictum fuit.

Injectô suppositoriô vel clystere, ut mox diximus, Vena secanda, vel hirudines, vel cuburbitulæ applicandæ in locis supra dictis. Mox rursum Venâ sectâ aut factâ scarificatione ad sudorifera & expulsiva veniendum, quæ nimirum materiam magis fundant, meatusque aperiant passim omni die ad minimum bis, manè horâ octavâ vesperi horâ quartâ, vel si opus ter in die, manè horâ sextâ, horâ decimâ, & horâ quartâ vesperi.

Quid injecto clystere vel suppositorio applicato &c. agendum. Quid post sectam venam. Sudorifera expellentia ad minimum bis in die propinanda.

Ego in praxi rem sic instituo, & expellentia & vitæ regimen sic adhibeo, intra 24. horas quotidie expellentia exhibeo ter, id est, omnibus octo horis, v. gr. manè horâ octavâ, vesperi horâ quartâ, & post mediam noctem semper duabus horis post sumpta expellentia, do alimenta prout infra de diæta de cibo & potu specificantur & pro concoctione alimentorum naturæ semper relinquo sex horas, qui modus feliciter cessit, vires conservando, & omnia symptomata avertendo.

Nostræ praxeos modus & processus.

Præterea, si video naturam post expellentia data esse segnem, semper unâ horâ post expellentia data, do unum vel duo cochlearia alicujus confortativi, ex *Confect. de Hyacintho*, *Alchermes Pulv. Bezoart. Sennert. spec. de Gemmis Zwelferi*, *Pulv. Viperar. Pulv. Pœoniæ*, addito *Bezoar. orientali &c.* ut infra patebit de expulsione, ubi etiam formulas reperies. Omnia remedia, tùm etiam potus semper detur cali-

S dus,

Cavenda frigida catu. dus, vel potiùs tepidus frigida autem actu nunquam, nè malignitas ad interiora revocetur.

Sumptis medicamentis diaphoreticis à potu & cibo abstinendum. Sumptis medicamentis *diaphoreticis* & *expellentibus*, ad minimum duabus horis nec supra bibat nec comedat nè vis medicamenti impediatur. Sumptis his, in lecto pannis præsertim rubris copertus & benè tectus, locoque calido permaneat, non tamen est de essentia, ut semper post hæc sudet, sed sufficit, si sic benè tectus se calidum conservet. Videndum præterea, nè patiens tam citò ad lectum damnetur, aut mox calido hypocausto includatur, antequam Variolarum acies in habitum educta extet, neque etiam nimiis tegumentis obruatur & quasi suffocetur, sed moderatè tegatur, & in moderato calore servetur, â nimio enim tegumento & calore extrinseco, angetur calor intrinsecus, non minùs quam si non tegatur, quod si autem non tegatur, & in frigido maneat jam semel eruptæ, iterum retrocedunt, ut experientia testatur, multos benignis aliàs Variolis laborantes, frigidioris äeris appulsu, è medio sublatos esse, repercussâ nimirũ materiâ morbificâ ad interiores partes, ubi prava & innumera induxit symptomata; propterea etiam nulla epithemata frigida corpori sunt admovenda.

Æger moderatè tegendus, & in moderato calore asservandus. frigidus aer summè vitandus. Frigida epithemata non sunt admovenda.

Quæ agenda Medico ad ægrum vocato dum natura bene operatur. Vocatus igitur ad ægrum Medicus, illico consideret, an natura in expellendo sufficienter fungatur suo officio, nec ne, si fungatur debite, non opus est eam multis medicamentis adjuvare, neque multis stragulis aut cubiculis calidioribus molestare, præsertim si absint prava symptomata, cùm levia per se facilè evanescant, modò æger â frigore arceatur, & in levi calore subsistat, & quædam paucula cordialia exhibeat, cavendo à principio à *pulveribus* & *solo Bezoar*, qui caput potenter petit, quæ Dolæus & Sydenham, tanquam molesta damnat, si autem non fungatur suo officio natura, tunc ei remediis expellentibus succurrendum est.

Naturæ non bene agenti expellentibus succurrendum.

Quod si ex dictis medicamentis sudor & expulsio Variolarum

rum & Morbillorum non vellet succedere, tunc in necessitate applicatis ad latera & pedes ampullis vel vesicis aquâ calidâ plenis, vel panibus calidis per medium scissis, vel lateribus calidis, vel levibus cum panno scarlato frictionibus denuò promovetur: quidam sunt, qui in hoc casu cùm Variolæ difficulter prorumpunt svadeant balneum aquæ dulcis tepidum, quia meatus aperit, cutim laxat, ut faciliùs & promptiùs humores excipiat: citant pro se authoritatem *Hippocratis*, qui in historia Simonis pustulis laborantis, probat inunctiones ad ignem resolventes & cutim laxantes, eâdem ratione inquiunt illi prodesse posse balnea moderata. Verum hodie importunum remedium balneum est, nec forsan adeò huic morbo commodum, quia vires maximè resolvit, quibus autem Variolæ non erumpunt, id ipsum ex sola virium imbecillitate procedit, quæ balneo magis debilitantur, sufficiunt ergò, ut diximus, fotus & frictiones quarundam partium.

Dum sudor difficulter movetur, quomodo adjuvandus.

An balneum Aquæ dulcis tepidum pro adjuvanda expulsione Variolarũ conveniat.

Bene itaque est perpendendum, quòd natura ipsa sæpe sine aliis medicamentis hoc morbi genus sanet, unde si natura suum officium faciat, & recte materiam ad cutim expellat, id est, si satis erumpere naturæ beneficio Variolas & Morbillos animadvertimus, non opus est eam multis medicamentis adjuvare, frustra enim facimus, quod natura per se facit, imò malè. Ratio; siquidem calefacientium intempestivô usu (idem dicendum de calidis nimium cubiculis & lectis teste *Sydenham*, præsertim primis quatuor vel quinque diebus, quæ quasi funesta damnat Dolaus & alii) materia nimis agitatur, febrisque augeri posset.

Et hinc bene denuó Nota, quod in principio Variolarum & Morbillorum, id est, tempore ebullitionis (de quo jam supra) ægrotos *pulveribus* ex *solo Bezoar*, ex fortioribus & calidioribus Alexipharmacis, stragulis & cubiculis, præsertim si temperamentum, & vires non correspondeant, obruere, teste Dolæo aliisque multis, periculosum sit, nisi illa ad-

S 2 modum

modum temperata fuerint, etiam quando prava ac maligna symptomata urgent, si quidem, ut diximus, materia seu tota massa sanguinea nimium agitatur, ac ocyus tota inquinatur à miasmate pravo jam jam fermentante, inde febris, deliria ac alia symptomata adaugentur.

Narrari hic possent casus admodum funesti, qui in multis tàm infantibus quàm adultis sæpiùs lethales successerunt, in quibus non defuere Viri in theoria ac praxi medica fundatissimi, qui asseruère, bezoarticis calidis in principio turbari magis humores, naturam ante tempus cogi in prælium, & nondum sufficienter præparatam obrui: quin imò commotis tali modo intempestivè succis, alui fluxus successisse periculosissimos, in his affectibus plerumque lethales, teste experientiâ. Pariter certum est similibus calidis ac potentioribus remediis eò usque acui humores præsertim si antea tenues sint, prout plerumque in Morbillantibus, & sæpè etiam in Variolantibus, maximè Juvenibus gracilioribus esse solent) ut mordaciores redditi, pruritum in proruptione Variolarum ingentem produxerint, ita ut ad levissimam quamvis frictionem, cutis cum stillante cruore abscederet, non sine gravi dolore, quæ non frustra præsentibus Medicis, mali ominis istar fuère, & paulo post subsecuturæ gangrænæ præludia fuisse, prodidit eventus, maculis lividis & purpureis nono die morbi subsequentibus, undè verè verificatur supra allatum ex *Avicenna* prognosticum: *pustulas nigras & ulcerosas in infantibus apparentes lethales esse.*

Tanta nimirum est in principio fermentationis sanguinis aliquando turgescentia, ut non sôlum furiosô quasi orgasmô ad quascunque partes facile feratur, sed etiam contagiosum maximè venenum exinde subinde suboriatur: sic Philippus Salmuth *Obs. Med. Cent.* 1mâ *Obs.* 3. funestos Variolarum abscessus ad articulos vidit, *quando enim* (inquit) *ebullitio est nimia & valdè vehemens, sanguinem quasi furiosum reddit*

reddit, quemadmodum loquitur Hippocrates hinc de loco ad locum fertur, potissimum autem ad articulos, pedes, tanquam partes exsangues, & sic imbecilliores: Idem Salmuth *Cent.* 2. *Obs.* 50. notavit Infantes Variolis detentos, matribus lac præbentibus, causam fuisse ulcerum in mammis admodum malignorum.

Ratum ac salubre ergò maneat, tempore ebullitionis ad calida & potentiora non esse statim transeundum, sed in temperatioribus esse persistendum, tempore verò apparitionis (de quo etiam supra) expellentibus severius utimur, maximè si natura videatur segnior: quæ autem tutò tempore ebullitionis, & quæ postmodum tempore apparitionis necessariò adhiberi debeant ac possint, dicetur apertè practicè & specificè pagina sequente & subsequente.

Nota præterea, hæc expellentia tàm diu esse continuanda, usquedùm Variolæ & Morbilli totaliter eruperint, & decidere paulisper incipiant, atque urina rubedinem amittat, & tum â diaphoreticis abstinendum, & ad depurationem sanguinis est respiciendum. Quamdiu expellentibus utendum.

Superstitiosum forsan alicui videbitur id, quod supra diximus, cur in colore pannorum, potius rubri albi vel virides esse debeant? color enim non potest operari nisi per accidens, quatenus visum & phantasiam afficit, quæ postea similitudine caloris incitatâ sanguinem ad exteriora impellit. Verùm si hoc subsistat, tunc sufficit colorem hujusmodi oculis obiicere, nam cùm corpori adhæreat, neque noctu neque sub lecti linteaminibus videtur. Præterea panni non educunt humores, nisi quatenus corpus calefaciunt, poros aperiunt, ab externo äere defendunt, quod non rubri tantùm, sed omnes panni præstare possunt, & omnium optimè albi, & ideò non color sed calor tegumentorum agit. Adde, plerosque Authores, qui hujusmodi pannos ex vulgari consvetudine probant, id sedulo monere, nè corpus ipsum con- An pannus ruber ad meliorem expulsionem conferat.

Quare quidam Authores prohibeant ne similes panni corpus contingant

tingant, ità Amatus Lusitanus *Curation*: 16. *Cent. Obs. Med.* 3. Ratio datur, quia ex tinctura cocci aliquam habent adstrictionem; ideò, quamvis eos non improbem, ridiculum tamen multis videtur colorum facere discrimen, imò alii potiùs candidissimos approbant, quia color ille visum disgregat, spiritus ad externa evocat, & per consequens humorum in cute efflorescentiam promovet.

Nec obstat, rubicundô colore visô, quædam animalia (uti sunt galli Indici, tauri &c.) excandescere, multos visô propriô sanguine animari ad vindictam, id tamen non est perpetuum, nec omnibus sed quibusdam tantùm competit, qui id ex proprietate quadam habent, neque visö quolibet sanguine, sed tantùm propriô in iram prorumpunt. Quod si tamen contentiosis vetulis quidam hoc in casu favere velit, quæ suos variolantes & morbillantes perpetuò subuculis & stragulis rubris tegunt, & vix non sepeliunt, is cum *Fracastorio*, *Paschali*, *Riverio*, *Foresto*, *Liddelio* & aliis dicat: ideò fieri, ut per ea sanguinis ebullitio seu effervescentia, mediante imaginatione promomoveatur: vel dic, id fieri propter vim quandam habitum corporis corroborandi, quam scarlatino panno inesse existimant: vel (ut quædam vetulæ existimant) ad evitandas turpes cicatrices, quæ ex alio colore imaginativè provenire possunt.

Qua ratione id panni præstare dicantur.

Aliæ opiniones circa operationem di-ctorum pannorum.

His aliqui addunt hanc rationem, quia similia rubra, analogiâ quadam sanguinem ebullientem ad exteriora movere creduntur, sanguisque ruber externos sequi colores affines, à multis pro firmo tenetur, sic quoque flamma flammam elicit, & adustam manum sanat ignis, & hinc inquit Riverius: *multi ovem vel vervecem, cattum vel canem benè pilatum in cubiculo detinere solent, quod illa animalia venenatam labem facilè recipiant, & in se attrahant, undè ægris levamen aliquod emergere potest.* Ut ut autem commentum Vetularum dixeris, me alienum non facit hos pannos rubros approbare

Nostra de his opinio.

bare, non quidem ut colori tantùm attribuatur, sed quia spe meliorationis freti, pueri meliùs ab aëre externo arceantur, & tot & tantis stragulis non obruuntur, neque etiam calidioribus suffocantur.

Formulæ Remediorum tàm simplices quàm Compositæ.

Ex simplicibns aperientibus & expellentibus simulque malignitati resistentibus sunt: Sequuntur remedia.

Radices. *Fæniculi, Dictamni albi, Pimpinellæ, Tormentillæ, Contrajervæ, Scorzoneræ.* Simplicia expellentia & aperientia.

Semina. *Fæniculi, Napi, Carduibened. Aquilegiæ, Citri, Lentes.*

Simon - Pauli in suo *quadripartito botanico Class.* 2. de *Aquilegia* ita ait: *sanctè testari possum, semen Aquilegiæ pulveri satum* ʒß. *vel* ʒj. *pondere in Mulso, vel Aq. Card. bened. vel Fumariæ vel decoct. C. C. propinatum veluti ab orco revocâsse tenuioris sortis pueros Morbillis & Variolis laborantes.* Idipsum asserit Dolæus.

Flores. *Calendulæ*, quæ summè specificos extollit Willis in decocto ordinario vel aliis Decoctis & jusculis immixtos & sumptos.

Herbæ. *Scordii, Fumar. Veronicæ, Scabiosæ.*

Cicera rubra, Myrrha, Crocus, Ficus seu *Caricæ, Theriaca, Mithridatium, Diascordium* (præsertim in robustioribus) *C. C. cum & sine igne pptum Lapis Bezoar Oriental. & Occidentalis*, Bezoar datur infantibus gr. ij. pueris gr. iij. vel iv. adultis gr. vj. vel ℈ß. in vehiculo. *Os de corde Cervi, Unicornu verum, Unicornu fossile, Sal Fumariæ Carduibenedicti, Scordii, Fraxini*, ex ramulis unâ cum corticibus arte paratus

ratus, *dici non potest* (inquit Doctissimus Thiermaier *Lib. 1. Cap. 7. fol. 95.*) *quantopere conveniat Variolis & Morbillis laborare incipientibus, in Aq. Card, bened. cum tantillo Syr. Granator. vel Rubi Idæi dilutus pondere granorum. v. vj. vel x.* Quodipsum confirmat Simon Pauli *locô ante citatô Classe 3. de Fraxino. Ego certè*, inquit, *pluris hunc salem facio, quàm lapidem Bezoar, ille enim cum C. C. phil. ppt. vel etiam ramentis crudis Unicornu nostratis potentissimè sudorem movet, sed selectus habendus ramulorum, nam vetustiorum sive lignum sive cortex frugi non sunt, fixior enim illorum sal est, quàm convenit, ex iis paratus.* Hoc idem fere promittit de *sale Carduibenedicti* præfatus Author. Adolphus Occo, Medicus Augustanus in libello collectaneorum manuscriptorum, *Sal*, inquit, *Viperarum, seu sal Theriacale ad ℈j. in aqua vel syrupo de Fumaria ℥j. in maligna scabie, nec non in Variolis evanescentibus rursum commovendis expertum & mirabile est remedium:* descriptionem hujus salis legitimam si habere desideres, videas apud citatum Thiermaier, loco citato. Aut Zwelferum *in Appendice ad classem 14. Pharmacopææ reformatæ.* Ego, quia *Sal Viperarum* undique non prostat, & vix maximo etiam pretio comparari potest loco ejus *Pulverem Viperarum verum à ℈ß. ad ℈j* cum aliis specificis, vel uno alterove grano Bezoar exhibui in jam dicto casu, & aliis etiam pluribus desperatis, cum maximo semper effectu; nam natura hujus Salis & Pulveris est, suâ virtute depurante potenter properare ad habitum corporis, & sic eximiè materiam propellit, secumque eò rapit.

Sal Fraxini in expellendis Variolis excellens.

Sal viperarum in Variolis evanescentibus rursus commovendis multum præstat.

Nos loco Salis substituimus pulverem Viperarum verum.

Cardilucius *Cap. de Variolis* laudat in pauperibus, ut detur pueris ℈ß. vel gr. xij. adultioribus autem ℈j. *Croci in Aqua vel Decocto Fœniculi.* Rustici suos infantes *solo lacte* (sæpe aliis omissis) feliciter curant

Crocus etiam extollitur,

Dolæus extollit *Tincturam Aquilegiæ, Essentiam Myrrhæ,* tanquam *Tincturam salutis* multis experimentis probatam, ita

Laudata à Dolæo me-

ita quoque *Essentiam Castorei*, *Elixir Proprietatis sine acido* vel *spiritu Sulphuris* paratum. Laudat præterea sequentem *Pulverem* 7. 8. 9. die morbi pro adiuvanda maturatione exhibendum. dicamenta.

℞. *Oculor.* 69. ℈j. ▽æ. *sigillat.* ℈ß.
Myrrh. gr. vj. M.

Pulvius pro adiuvanda maturatione ejusdem.

Michaelis hæc habet: ℞. *C. C. phil. ppt.* ♁nii *diaphor. aa* ℈ß. *vel* ℈j. pro dosi. Si adsint Convulsiones.

℞. *C. C. phil. ppt.* ʒiij. *specif. Cæphal.* ʒj.
Misce pro aliquot vicibus.

Vel ℞. *C. C. phil. ppt. spinæ Viperar. aa* ℈j.
Bezoart. ☉*laris* ℈ß.
Misce & divide in doses Nò. ij.

Pulvis Michaelis. Et alius ejusdem si Convulsiones adsint.

Idem svadet ut omnibus remediis aliquid de *Myrrha*, quæ tanquam appropriatum lympham corrigens est, addatur. Idem extollit Myrrham.

Laudantur pariter *Species Liberantes*, *Corallia*, *Margaritæ*, ▽ *sigillata*, *Gelatina C. C.* ♁*nium diaphoreticum.* Ubi nota Doctissimum dele Böe Sylvium *Cap. de Variolis* §. 69. inter omnia medicamenta in Variolis usurpanda præ omnibus aliis experta habere *antimonalia*, tùm quia summam possident sanguinem â quovis humore noxio mundandi efficaciam, tùm quia sæpenumero pluribus possunt satisfacere indicationibus, atque pro re nata & operatione desiderata, per plures vias humores noxios expellere. *Nec tamen sufficit*, inquit §. 70. *semel illa exhibere, quin nonnunquam per plures dies eadem iterare oportet, donec tàm febris quàm alia symptomata sint sublata, vel saltem notabiliter imminuta, quò etiam fiat, ut non tantùm pauciores Variolæ tum erumpant, sed etiam simul*

Species Liberantes. Sylvius Antimonialia deprædicat.

T sint

sint longè benigniores, quinimò sæpe numero sunt observatæ in meis ægris (loquitur ulterius) *Variolæ per alvum excretæ, cum insigni eorum levamine*; qua de causa etiam prædictus Sylvius §. 71. plurimum commendat ♁ *diaphoreticum*, *Bezoarticum minerale*, vel simile medicamentum *antimoniale* blandè sudorem movens, quô quicquid adhuc sanguini mixtum est, propellatur ad superficiem & poros, & tandem ex corpore; atque horum medicamentorum ope (testatur §. 72.) facilitatur, promovetur Variolarum maturatio, exsiccatio & casus.

Ettmullerus idem laudat. Ettmullerus id ipsum confirmat de *Antimonio diaphoretico* tàm vulgari, quàm *ex* ☿*rio cum* ⊕*tro* additâ modicâ *Myrrhâ*, quam etiam præ cæteris omnibus laudat, & nunquam in Variolis & Morbillis intermittendam svadet, ita etiam medicamenta ex *Myrrha* parata. Inquit pariter *succum stercoris equini expressum* summum esse remedium, præfertur tamen *stercus ovilum* in Morbillis, in Variolis *caprilum*: post eruptionem autem ut promptè maturescant, consulit propinare *Ocul.* 69. *cum Myrrha*.

Excrementa Animalium.

Sal. *C. C. volat.* ⊖ *Succin. volat. Confect. Alchermes, Confectio de Hyacintho & ejus species, Pulvis Bezoarticus Sennerti.*

Spiritus

Spiritus. *Terræ sigillatæ, C. C. Liquor C. C. succinatus, Spirit. sambuci, Spirit. Lign. sanct. Essent. Lignorum.*

Tincturæ. *Antimonii, Coralliorum, Hyperici, Bezoartica Michaelis, Mæbii, Frommanni, Schneideri, Aquilegiæ, Pæoniæ.*

Balsamus. ♀*ris anisatus, Balsam.* ♀*ris succinatus Balsam.* ♀*ris juniperinus.*

Conserva & Syrupi.

Conserva. *Fumariæ, Syrupus Cydonior. de Cortic. Citri, Granor. Chermes, de Pomis redolentibus, Scabiosæ, de Scordio, Flor. Tunicæ, de Succo Veronicæ.*

Aquæ

Aquæ. *Carduibenedicti, Scorzoneræ, Scordii, Fumariæ, Scabiosæ, Veronicæ, Succisæ, Calendulæ, Angelicæ, Imperatoriæ, Petasitidis, Vincetoxici, Flor. Citri, Levistici, Helenii, Farfaræ, è typhis Cervorum, Cordialis frigida saxonica, Borraginis,* & quæ singulariter commendatur *Aqua de floribus Lini destillata.* Aquæ.

Succus. *Betæ rubræ,* remedium simplex & efficacissimum, recenter expressus & datus infantibus ad cochlear unum, pueris ad cochlearia tria, adultis ad cochlearia quinque plus minus, bis minimum de die potentissimè propellit Variolas & Morbillos, Petechias & ipsam Pestem. Succus Betæ rubræ.

Ex refrigerantibus sunt *Acetosa, Acetosella, Lactuca, Nymphæa, Portulaca, Endivia, Cichoreum, Plantago, Succus Citri, Vinum granatum, Oxisaccharum, Rob ribium, hordeum &c.* Hæc autem refrigerantia & adstringentia commodiùs in initio, primô scilicet & secundô die exhibentur, antequam natura se se ad expellendum accingat, ubi etiam valent ex compositis *Terra sigillata cum* C. C. *phil. ppt. Spec. de Gemmis frigidæ, cum Pulvere Pannonico rubro correcto,* qui etiam temperatissimus est, *species de Gemmis frigid. Zwvelferi, Pulvis Bezoarticus Chobelii temperatus.* Medicamenta refrigerantia. Quo tempore exhibenda.

Ego in Variolis & Morbillis, ubi magna expulsione præsertim ab initio opus non est, contentus sum sequenti *Aqua Confortativa* quam ad cochlearia duo vel tria plus minus sæpius de die propino, eum in finem, ut paulatim putredini resistatur, & ipsa natura moderatâ hâc methodo successivé adjuta, roboretur.

℞. ▽. *Scorzoner. Fumar. Borragin. è toto Citro aa* ℥j. Aqua Confortativa nobis ab initio Variolarum usitata.
Pulv. Bezoart. Chobelii, vel Bezoart. Sennert. ʒj.
Manus Chsti *perlat. q. s.* ad gratum soporem, M.

Eundem in finem do, in omnibus jusculis vel panatellis unum vel duo cochlearia *Gelatinæ* C. C. ordinariæ vel pretiosæ, de quibus infra in Diæta. Postea verò ubi erumpere incipiunt Variolæ & Morbilli, conatus naturæ adjuvandus *Pulvere Pannonico rubro correcto* additis *gr. ij.* vel *gr. iij. Bezoar*, vel *Speciebus de Hyacintho*, vel aliis id genus quæ nunc sequentur, pro morbi tamen natura vario modo hæc miscenda, si enim febris & fervor sit magnus, temperatiora danda, aut frigida admiscenda; Sicut etiam hoc in casu maximè conveniunt, quæ citra calorem expellere possunt, vel quæ frigida simul vim aperiendi habent, ut *Acetosa, Succus Citri, Vinum granatum*, C. C. *Margaritæ*, *Tormentilla* &c. quæ omnia in praxi fient clariora.

Formulæ Compositorum.

Formulæ Compositorum. *Pulvis* ad Variolas & Morbillos *Timæi*, quo hactenus familiariter & summô cum effectu sum usus in plebeis hominibus, qui etiam levi pretio haberi potest, est sequens:

Pulvis Timæi.

℞. *Sem. Aquilegiæ, Nasturtii aa* ℥ij.
Napi, Acetosæ aa ℈iv. *Citri* ℈j.
Carduibenedicti. ℥j.
Rad. Scorzoner. ℥ij. *Dictamni* ℈iv. *Tormentill.* ℈j.
Flor. ♀*ris* ℥j. 🜃*æ sigillat.* (*in* 🜄. *Acetos. lot.*)
Margarit. ppt. C. C. *phil. ppt. aa* ℥iß. *Croci.* ℈j.
Panni scarlati usti. ℥j. *M. f.* Pulvis.

Dosis à ℈j. ad ʒß. in adultis ad ℈ij. plus minus. Vel in minoribus. 2. Messerspitz / in adultis 3. Messerspitz.

Si hunc Pulverem efficaciorem velis, aut si magna adsit malignitas, cujvis dosi addi potest *Lapidis Bezoar Orient.*

gr.

gr. j. vel gr. ij. vel *Occidentalis gr. iv. vel* ⊖*is* C. C. *volat. gr. iv. vel gr. v.*

Alius & quidem â multis abhinc sæculis deprædicatus Pulvis, tàm in Variolis & Morbillis, quàm etiam in omnibus malignis Febribus est, *Pulvis Pannonicus ruber Augustanorum* vulgò Sucker Pulver / qui sic paratur:

℞. *Boli armen. cum* ▽. *Rosar.* & *Acetos. ppt.* ℥iij. Pulvis Pannonicus Ruber Augustanorum.
🜄*æ Lemniæ veræ ppt.* ℥ij.
Rubini ppt. Smaragdi ppt. Hyacinthi ppt. Sapphir. ppt. aa ℥ß.
Corall. rub. ppt. ℥ß. *Corall. alb ppt.* ʒvj.
Margarit. ppt. ʒv. *Cinamom. elect.* ʒij.
Caryophyll. ʒj. *Sem. Acetos.* ʒij.
Cort. Citri. Santal. alb. aa ʒiß.
Santal. rub. ʒij. *Spodii ppt.* ʒv.
Rasur. Eboris ʒiij. *Croci oriental.* ʒj.
Unicornu, vel ejus loco *Ossa de Corde Cervi.* ℥ß.
Folior. ☉*ri puriss. Nº. L.*

M. f. Pulvis efficax in Peste, Febribus malignis, Variolis, Morbillis &c. *Usus* & *dosis* eadem cum priori

Pulvis Pannonicus rubeus correctus, â magno Urbis Pragensis Archiatro & emeritissimo quondam Professore, Doctore *Franchimond*, qui longè est tutior & temperatior.

℞. *Boli Armen. cum* ▽. *Rosar.* & *Acetos. pptæ* ℥iij Pulvis Pannonicus correctus.
🜄 *lemn. veræ* ℥ij. *Corall. rub. ppt.* ℥ß. *Corall. alb. ppt* ʒvj. *Lap. quinq; pretiosor. ppt. aa* ℥ß.
Margarit. ppt. ʒv. *Rad. scorz. Contraierv. aa* ʒiij.

Flor. ♀*ris simpl.* Cort· Citri
Santal. rub. alb. aa ʒij. *spodii ppt.* ʒv.
Rasur. Ebor. ʒiij. Croci *Oriental.* ʒj.
Sem. Acetos. Napi, *Aquileg. Card. bened. aa* ʒij.
Granor. Chermes, Oss. de corde Cervi aa ℥ß.
Folior. ☉*ri puriss.* *No. L.*

M. f. Pulvis subtilissimus; *Usus* & *Dosis* ut priorum.

Pulvis Bezoarticus Chobelii, suavis & excellens in delicatis & divitibus.

Pulvis Bezoarticus Chobely.

℞. *Bezoar. Oriental. gr.* ix. *Hyacinth. ppt. gr.* vij.
Unicornu veri gr. x. *Margarit. ppt. gr.* xi.
▽*æ sigillat. gr,* xx. C. C. *phil. ppt. gr.* xxv.

M. f. Pulvis. *Dosis* à ℈ß. ad ℈j.

Pulvis Sabaudicus dictus.

Est eximius & secretissimus in casibus Variolarum & Morbillorum desperatis præsertim, ubi difficulter prodeunt, aut si prodeunt, denuò & repetitim retrocedunt, & gravia invehunt symptomata, quæ omnia hocce *Pulvere* aliquoties repetito fuerê remediata.

Pulvis Sabaudicus.

℞. *Cinamom. elect.* ʒiij. *Caryophyllor.* ʒij.
Mastich. elect. Myrrh. elect. aa. ʒj.
Anthoræ, *Contrajervæ*, *Scorzoneræ*,
Corall. rub. ppt. Margarit. ppt. Sapphir. ppt.
Rubin. ppt. Smaragd. ppt· Hyacinth. ppt.
Lap. Bezoar. oriental. Unicornu ver. aa ʒij.

Rad.

Rad. Dictamn. alb. Pimpinell.
Croci oriental. C. C. *phil. ppt. aa* ℈ij.
Rad. Tormentill. Bol. Armen. *ppt.*
🜄*æ. sigillat. aa* ʒj. Cort. Citri. ℥ß.
Moschi, Ambræ (si completum velis, si incompletum Moschus & Ambra omittatur) *aa gr. x.*
Fol. ☉*ri N° x. plus minus.*
♁*ii. diaphoret. recent. ad pondus omnium*

Misce F. Pulvis. Hic *Pulvis* est quidem magni prætii, sed certè maximæ utilitatis, uti testantur famosissimi Practici, & per eosdem factæ experientiæ. Nota tamen, ♁ diaphoreticum ritè & recens præparatum esse debere, inveterascens enim ad sui naturam & vim emeticam redit, unde consulo, huic pulveri nunquam miscendum ♁, nisi eo tempore, quo quis illo uti velit, servatô scilicet utrôque separatim : *Usus* & *Dosis* hujus pulveris est â ℈j. ad ʒß. ℈ij. in vehiculo quocunque, bis vel ter intra 24. horas.

Pulvis Iöelis.

Hunc *lib.* 8. *Pract. sect.* 5. describit, & semper feliciter adhibitum contestatur.

Pulvis Jöelis.

℞. *Sem. Nasturt. Napi, Aquilegiæ aa* ʒj.
Unicornu veri C. C. *phil. ppt. aa* ʒß.
Corall. rub. ppt. Margarit. ppt. aa ℈j.

Misce fiat Pulvis. *Dosis â* ℈j. ad ℈ij. Cui si quis *scobem* ☉*ri* addere velit. pretiosiùs redditur remedium â multis aliis approbatissimum.

Pul-

Pulvis Höferi.

Pulvis Hoferi.

℞. *Spec. de hyacinth. Pulv. Pannonic. rub. corr. aa* ℈ß. *vel gr. xv. Bezoar. Oriental. gr.* iij. Misce

Pulvis Grembsii.

Pulvis Grembsy.

℞. *Bezoar. Oriental. gr. ix.* 🜃 *æ. sigill.* ℈j.
C. C. *phil. ppt. gr. xxv. Unicornu ver.* ℈ß.
Margarit. ppt. gr. xv. Hyacinth. ppt. gr. vij.
Misce f. Pulvis. *Dosis* â gr. viij. ad xv.

Pulvis Ettmülleri & Juncken.

Pulvis Ettmülleri & Jüncken.

℞. *Unicornu fossile* ℈j. C. C. *phil. ppt.* ℈ij.
⊖ *Card. ben. gr. xv. Myrrh. elect. gr. xij.*

Misce pro 3bus dosibus in incremento Variolarum propinandis, quando nimis tardè erumpere observantur.

Pulvis alius.

℞. *Pulv. Pannon. rub. corr.* ℈j. *vel* ʒß.
spec. liberant. gr. xv.. vel ℈j.

Misce detur in vehiculo· v. gr. in ▽. *Card. bened. & Aquilegiæ aa* ℥j. Si in Variolis adsit malignitas, ut vulgò in Variolis epidemicis fieri solet, alexipharmacis præcipuè insistendum est, habitâ virium & ætatis ratione. Præter jam supradictos Pulveres etiam in malignitate potentes.

Alius Pulvis.

℞. *Pulv. Pannon. rub. correct.* ʒß. *p. m.*
Lap. bezoar. orient. gr. iij. vel
⊖ C. C. *volatil gr. v.* M. f. Pulvis.

Pul-

Pulvis alius si adsit malignitas & simul convulsio.

℞. *Spec. de hyacinth. Pulv. Pannon. rub. corr.* Pulvis in Variolis malignis alius.
Pulv. Epilept. Marchion. aa ℈j.
C. C. *phil. ppt. Lap. bezoar. oriental. aa* ℈ß.
Pulv. Viperar. ℈j. Misce f. Pulvis, dividendus in Doses Nò. iv. pro minoribus, pro adultis in Doses ij.

Pulvis alius in hoc casu.

℞. *Rad. contrajerv.* ʒß. Alius in iisdem.
Off. de Cord. Cervi. ʒj.
Margarit. ppt. Lap. Bezoar. aa ʒß.
Misce f. Pulvis *Dosis* ʒß.

Alius in hoc casu est Pulvis Cephalicus Ludovici, qui egregias habet virtutes.

℞. *Pulv. Bezoar.* ʒj. Pulvis Cephalicus Ludovici.
Succin. alb. ppt. ʒß.
Cinnabar. nativ. ℈j.
Laudan. opiat. gr. iij.
Misce, *Dosis* ℈ß. ad gr. xij.

Alius in hoc casu, Dolæi.

℞. *Cinnab nativ. Cranii human.* Dolæi ad easdem.
Ungul. Alcis aa ʒß.
Bezoartic. Iris, Smaragd. ppt. aa ℈j.

Croci ℈ß. Ambræ gr. ij.
Misce f. Pulvis *Dosis* â ℈ß. ad ℈j.

Alius in hoc casu, Jüncken.

Alius Jüncken.

℞. *Cinnab. nativ.* ʒß.
Cran. human. ppt. succin. alb. ppt. aa ʒj.
Smaragd. ppt. ℈j.
Rad. Pæoniæ recto tempore collectæ
Visci Corillini aa ʒiß.
Laudan. opiat. gr. v.
Misce, *Dosis* â ℈ß. ad ℈j. p. m.

Ego in summa malignitate unà cum convulsione, bono cum effectu sequens *cordiale* adhibui.

Cordiale nobis in malignis Variolis usitatum.

℞. 🜄æ *Scorzoner.*
Hyrund. simpl. August. aa ℥ij.
Pulv. Pannon. correct.
Marchion. aa ʒß.
⊖*is* C. C. *volat.*
Bezoar Oriental. aa gr. v.

Misce. *Dosis* cochlear j. vel ij. omni hora, vel duabus horis, plus minus.

Dolæo familiaria in epilepticis insultibus, Ettmüllero, in iisdem. Si adsint Vermes vel

Dolæus refert, in tenerioribus multum posse in epilepticis insultibus ⩪ C. C. *succinat.* ⊖ *volat. cranii humani*, *Specificum cephalicum Michaelis.* Ettmullerus suadet, *Liquorem* C. C. *succinatum*, vel in robustioribus ⊖ *Artemisiæ*.

Si adsint Vermes vel magna putredo, expertissimum est sequens: ℞. ☿*rii dulc. rite ppt.* ℈ß. Cum pauca *Conf. Rosar.* exhibeatur. In Variolis miracula præstat, si vesperi longè

longè à cibo detur, & altera die Variolarum ingentem videbis numerum; de hujus experientia vide *Ephemerid. An.* 3. *Obs.* 56. *fol.* 93. non enim solùm curat, sed summè à Variolis præservat, adeò, ut qui à principio statim sumpserunt, licèt cum aliis cohabitarint, correpti tamen non sint, est enim verum Variolarum, Lumbricorum & Luis ♀reæ alexipharmacum. *Dosis* à ℈ß. ad gr. xij. magna putredo.

Nota, hi omnes supradicti Pulveres, si necessitas ita exigat, sumi possunt in *Decocto meo Antifebrili*, cujus, ut candido affectui satisfaciam, genuinam hanc descriptionem trado.

℞. *Rad. Contraiervæ, Zedoariæ aa* ℥iij.
Enul. Scorzoner.
Liquirit. Fæniculi. aa ℥v.
Herb. Scordii, Scabios. *Card. bend. aa* Mß.
Cichor. Pimpinell. sylvest. Acetosæ aa Mj.
Flor. Calendul. Aquilegiæ,
Violar. Borragin.
Bugloss. aa Mß.
Sem. Napi, Aquilegiæ, Acetosæ, aa ℥ß.
Citri, Card. bened. aa ℥ij.
Rasur. C. C. ℥j.
Cicer. rub. ℥iß,
Lentium,
Passular. minor. aa ℥iij.
Caricar. ping. Nò. xv.

Species Decocti nostri Antifebrilis.

Incisa & contusa serva pro usu Decocti. Aut si gratiorem expetis, destillari poterunt species, & sic efficietur palato gratior. *Dosis* ab ℥ß. ad ℥ii.

Aliud *Decoctum Ectimaticum* dictum, extollit mox renominatus Author, & Professor meus *Franchimond*, cujus hæc est descriptio, quod in expellendis, maturandis, & in depressis & concidentibus, vel etiam retrocedentibus denuò expellendis Variolis & Morbillis, longô usu & experientiâ est comprobatissimum, ut sequitur:

Decoctum Ectimaticum.

℞. *Rad. Fœnicul.*
Acetos.
Scorzoner. aa ℥j.
Rasur. C. C. ℥ß.
Fol. scabios.
Scord. aa Mj.
Ficuum ping. No. vj.
Sem. Napi.
Card. bened.
Aquilegiæ, aa ʒij.
Gum. laccæ ʒiij.
Tragacant. ℈iv.
(Ego, si illud fortius expeto, addo huic compositioni)
*Flor. Calendul. M*ß.
Croci ʒß.
Incisa & Contusa serventur ad usum.

℞. *Harum Specierum* ℥j.

Coquantur in s. q. ▽æ *font. ad* ℔iv. Signetur Decoctum Ectimaticum tenue, pro potu ordinario, bibendo loco alterius potûs. Vel

℞. *Harum Specierum* ℥j.

Coque

Coque in f. q. *Aq. font. ad* ℔iij. Signetur Decoctum Ectimaticum fortius.

Vel hæ species decoquuntur cum ▽ hordei, & pro dosi ℥j. vel ij. vel ℥iij. dantur cum dictis supra Pulveribus. Simile quasi Decoctum habet & extollit Londinus *Lib.* 1. *Cap.* 7. *Obs. Med. Decoctum provocativum expertum* vocat, & Author in *tractat de Morbis Epidem.* idem Decoctum quasi millies expertum deprædicat.

Aliud Decoctum, aut Aqua destillata.

Aliud Decoctum aut Aqua destillata.

℞. *Rasur. C. C. crud.* ℥iv.
Rad. *Scorzoner.*
Fænicul.
Gramin
Serpentar. aa ℥iß.
Sem. *Napi.*
Aquileg.
Nasturt.
Card. bened.
Fænicul. aa ℥j.
Lentium, Miss.
Hordei mund. ℥x.
Caricar. ping. Nò xxx.
Cort. Citri rec. ℥iiß.
Gum. tragacant. ʒij.

Concisa & contusa secundùm artem, affunde ▽*æ font.* ℔*ix.* stent in loco calido per 24. horas, postea destilla per balneum Mariæ. Est Aqua expulsiva egregia. *Dosis* ab ℥j. ad ℥ij. plus minus. Sed

In quo casu possint adhiberi lentes & Tragacantum.

Dices cum Fracastorio, Lentes & Tragacantum incrassant & inspissant sanguinem, & consequenter cutim obstruunt, ergò non videntur convenire cùm contrarientur indicationi supra allatæ. *Resp*. Dictum esse sæpius, ebullitionē seu effervescentiam sanguinis & liquorum, vel esse crassiorem, vel tenuiorem quàm oporteat, unde si crassior, neque lentes, neque tragacantum conveniunt, si verò sit tenuior, rectè fiet si lentes & tragacantum pro attemperatione addantur.

Aliud Decoctum expulsivum.

Aliud Decoctum expellens.

℞. *Rad. Pimpinell.*
Tormentill.
Scorzoner.
Dictam. alb. aa ℥j.
Herb. Fumar.
Scordii
Scabios. aa p. ij.
Flor. Aquileg. p. iij.
Calendul. p. iß.
Sem. Card. bened.
Napi
Aquileg.
Fœnicul. aa ʒij.
Ficuum. No x.
Coque in s. q. ▽*æ font.*

℞. *Colatur.* ℥ix.
Syr. flor. Aquileg. ℥iij.

Tinct. flor. Aquileg. more tincturæ
Florum Rosarum paratæ ℥ij.

Misce pro 4. vel 5. *Dosibus*, & de eo sæpe unum vel alterum cochlear propinetur.

Vel sumi possunt supra dicti Pulveres in ▽ *Fumariæ, Veronicæ, Card. Bened. Scabiosæ, Aquilegiæ, Theriacali &c.*
Quod si æger Pulveres renuat, possunt ordinari Potiones.

℞. *Dosin ex supra dictis Pulveribus.* subigatur cum *Syrup Granor. Chermes & de* Scordio *aa* ℥ß. *Aq. Card. bened. vel Decoct. Ectimat*, vel ▽ *expulsiv. supradict.* ℥ij. *vel* ℥iij. f. Potio. Vel sequens Grülingii. Potio.

℞. *Spir. C. C. gut. x* adultiori *gut. xx.* Alia potio Grülingii.
Aq. Card. bened.
Scorzoner. aa ℥j. Misce.

Alia ejusdem. *Aq. fænicul.* Alia ejusdem.
Sambuc. aa ʒvj.
Card. bened. ʒiiß.
☿*ri* ʒß.
⊕*li. gut. v.*
Syr. de scordio. ℥ß. Misce.

Dividatur in *Doses* Nò *ij* unam sumat manè, alteram vesperi.

Nota: Spiritus seu Liquor C. C. Grülingii sic fit. Descriptio L. C. C. Grülingii.

℞. ⊖ C. C. *volat.*
Vini aa. ut uniatur debitè & destilla,
Dosis à gut. v. ad xx. est maximum diaphoreticum.

Exper-

Expertissima sequens Dolæi *Aqua expulsiva* mihi summè placet, quia delicata, efficax, & in pauca quantitate exhibetur.

Aqua Expulsiva Dolæi experta.

℞. *Rad. Contrajervæ*
Scorzoner.
Fænicul. aa ℥ß.
Folior. Scordii
Scabios.
Flor. Trinitatis
Aquileg.
Calendul.
Bugloss.
Violar. aa Mß.
Rasur. C. C. ʒvj.
Gum. Laccæ. ʒij.
Sem. Aquileg. ℥ß.

Concis: & Contus: Infunde & destilla in *Decocto Lentium* q. s. Signetur Aqua expulsiva, de qua singulis sex horis 2. vel 3. cochlearia exhibenda.

Vel potio in forma Emulsionis,

Potio in forma Emulsionis.

℞. *Sem. Napi*
Aquilegiæ (vel sem. Citri)
Card. bened.
Urticæ aa ʒiij.
Melonum ʒij.

Con-

Contunde in mortario lapideo vel vitreo, sensim affuadendo ▽æ *Fumar.*
Flor. Tiliæ
Card. bened. aa ℥iij.
F. f. a. Emulsio, cui adde
Syr. Granator. ℥iß.

Quam si edulcorare velis, adiunge *manus Christi perlat.* ℥j. *vel* ℥ij. pro aliquot vicibus, cum qua etiam Emulsione poterunt & debent exhiberi Pulveres supra dicti, vel *C. C. ppt.* ℈iß. *Magist. Corall.* ℈j. ∽ C. C. *gut. x.* & alia.

Alia Emulsio Dolæi.

Alia Emulsio Dolæi.

℞. *Sem. Aquileg.*
Napi
Card. bened. aa ʒij.
Cum *Aq. Fumar. & Scorzoner. q. s.* f. Emulsio.

Alia Emulsio Jüncken.

Alia Jüncken.

℞. *Sem. Card. bened.*
Aquileg. aa ʒij.
Citri. ʒj.
Cum *Aq. Fumar. & Scorzoner.* f. Emulsio, cui adde
C. C. phil. ppt.
Margarit. ppt. aa ℈ß.
Lap. Bezoar. gr. iij.

Misce pro una aut pluribus *Dosibus* pro ratione ætatis.

menta ex *Theriaca*, *Confect. Alcherm.* & *Ol. scorpion. Matthioli* præterea simul in omnibus jusculis dissolvatur *Bezoartici mineralis* in infante *gr. iij.* in adultis ℈ß. Hæc Riverius.

Dolæus in retrocessu Variolarum & Morbillorum cum magna anxietate magni facit *volatilia salina* intrò sumpta; ex omnibus autem eligit, quod rarò illum fefellit, *Essent. Myrrhæ*, *cum* ♁*u* ⊖*lis* ✳*ci vinoso paratam*, vel *Elixir Proprietatis volatile*, cujus usum etiam reperi egregium (inquit) in scabie retropulsa, mensibus ac lochiis deficientibus, vel non debitè fluentibus. In hoc casu etiam conducunt *vesicatoria*, præsertim si catarrhus suffocativus metuatur, manibus & pedibus applicata. Dolæus extollit volatilia salina Vesicatoria.

Nota *Primò*, *Lapidem Bezoar* non nimis frequenter esse exhibendum, quia ob suam vim mercurialem humores sursum potenter pellit ad fauces & caput, unde tumor & apoplexia fieri solet, ità Sorbait, & Mauriceau. Alii autem contrarium defendunt, asseruntque Lapidem bezoarticum malignitati resistere, corquè & totum hominem sine noxa roborare, adeòque nimis certum esse, quòd usus & experientia aliud ostendat, modò in debita dosi & tempore cum grano salis adhibeatur, DEUS enim & experientia sunt supra probationes testium, factum enim ipsum testatur, quæ si cuilibet licitum foret negare, nullus fur vel latro de crimine convinci posset. Aliqui vetant lapidis bezoar frequentem usum. Rationes eorum. Experientia verò ejus usum comprobat salutare.

Nota *Secundò*, Extra pro difficultate in expellendis Variolis & Morbillis, ego felici successu & multiplici experientiâ *Oleum Scorpionum Matthioli* adhibui, quô inungi jubeo patientes sub axillis, in inguinibus, in junctura genuum & cubiti, quandoque etiam si necessitas urget in spina dorsi, & aliis etiam artuum articulationibus, non omittendo interim post inunctionem usum expellentium, dictamque inunctionem bis de die, idque per duas, aut etiam tres dies continuando. Non minùs etiam miraculosè operantur frictiones Extrà pro facilitanda expulsione nobis usitata. Oleum scorpion.

Frictiones partium. Vesicatoria.

asperæ extremarum partium & spinæ dorsi, atque sic poris dilatatis, facilior fit humorum expulsio. Idem etiam meâ experientiâ præstant *vesicatoria*, quæ tamen diu aperta servanda sunt.

Annotationes in exhibendis remediis expellentibus.

Nota *Tertio*, quôd omnia hactenus recensita medicamenta quæ Variolarum expulsionem adjuvant, in omnibus ægrotantibus non sint usurpanda, interdum enim tanto impetu per se erumpunt, ut earum motus aliquantisper cohibendus sit, maxima enim est effervescentia, & hæc nisi temperetur, ad vitæ exitum ægrotantes perducere consvevit, ideò frænantibus, & modicè refrigerantibus, teste Amato Lusitano *Curation. Medicar.* 18. *Cent.* 3. tunc temporis uti convenit. Ideoque *Julapia* modicè refrigerantia sunt adhibenda, & potus ordinarius ex *Decocto hordei & radice Acetosæ* confici potest, quæ remedia tamdiu continuanda, donec fervor aliquantulum remiserit, postea verò ea quæ expulsionem promovent in usum trahenda, si natura eorum auxilio indigere videatur, & tàm diu continuanda, donec omnis suspicio mali absit: Ego hucusque in praxi, ut plurimum ad decimam vel decimam quartam diem, imò si malignitas aderat, ad decimam octavam, in pari tamen dosi, hoc est plus vel minus continuare solitus sum: hisce enim diaphoreticis ichor ille acris & erodens infringitur, & ad exhalationem seu transpirationem quasi sensibilem disponitur, unde exsiccatæ Variolæ spontè decidunt, nullis vel exiguis post se relictis vestigiis, unde nec meliùs nec tutiùs ad præcavendas foveas commendare possum remedium, quàm diligentem & continuatum usum expellentium: Itaque quamdiu minimum vestigium Morbillorum apparet, & quamdiu non omnes crustæ in toto corpore ex Variolis deciderint, semper continuandum est in expellentibus; imò quamdiu Morbilli evarescere non incipiunt, & Variolæ rumpantur & concidunt, tàm diu est insisten-

Quamdiu iis utendū.

Lap. Bezoar. Orient. gr. iij.
▽æ. Card. bened. ℥ij.
Syr. de Scordio ℥ß.

Misce f. Potio sudorifera, quæ propinetur applicatis, ut supra diximus, ad latera ampullis vel vesicis aquâ plenis, vel pennis calidis &c.

Nota per parenthesin, quòd plerique multùm errent, qui Theriacam, etiam in adultis in tàm parva dosi ad ℈j. vel ad summum ad ʒj. exhibent, in quâ dosi vix tria, ad summum xv. grana pulverum continentur, reliqtum purum est mel: itaque tempore necessitatis satius est exhibere pro Dosi ʒij. vel ʒiij. Dosis Theriacæ in adultis.

Riverius *Obser. Cent.* 2. *Obs.* 2. laudat sequentem *Potionem* in Variolis depressis ad illas expellendas & tumefaciendas sæpius expertam.

℞. *Rad. Pentaphyll.* Potio Riverii ad Variolas depressas.
Tormentill. aa ℥j.
Fol. Pimpinell.
Scordii aa Mj.
Santal. citrin.
Rasur. Ebor. aa ʒij.
Coque ad ℥ix. in Colatur ℥iij. solve *Aq. Naphtæ & Rosar.* *aa ℥ß.*
Troch. Viper. ℈j.
Lap. Bezoar. orient. gr. iv.

Quæ grandioribus detur uno haustu bis in die, lac verò sugentibus ex cochleari frequenter. Ego loco Radicis Pentaphylli potiùs *Radicem Scorzoneræ*, & loco Trochiscorum Viperinor. præferrem *Pulverem Viperarum verum.*

Vel loco hujus Decocti, potest accipi *Decoctum Ecthimaticum* Domini *Franchimont*, supra descriptum.

sistendum dosi ordinariæ fortiori, postea verò expellentia dantur in minori dosi, hoc est bis, & tandem etiam semel tantùm de die.

CAPUT XIV.

De Diæta in Variolis & Morbillis.

HÆc secundum *sex res non naturales* instituenda est, ut eius exactissima ratio habeatur, quia per illam solam bene institutam, curatio citò tutò ac jucundè frequenter absolvitur, secùs verò si fiat, errores commissi morte puniuntur. Diæta.

Imò. Aër sit subcalidus, quia sic meliùs patent pori, & Variolarum eruptio promovetur; arceantur itaque frigora venti, januâ fenestrisque bene clausis, ut nimirum nullum frigus ad decumbentis lectum perveniat, quippe si ad illum sudantem, vel in humido jacentem nimium aliquod frigus accedat, vel ipse se se jactando, aut tegumenta abiiciendo denudet, aut sudorem dispellat facillimè contingit, ut cum maximo suo damno jam erumpentes Variolæ retrocedant vel detumescant, vel subsideant cum vitæ periculo. Ob hanc ipsam rationem svadet Dimerbroeck, ut ægri ante decimum quartum diem indusia non mutent, nè per illam mutationem frigus etiam admittant, ut exemplis demonstrat, sed potiùs ut indusia â sudore ægri madida, in lecto â corpore ægri calore rursus sponte paulatim exsiccentur, & æger per aliquot dies sudoris ac Variolarum eruptionem, ejusdemque fætores patienter ferat, quàm ut periculum incurrat. Quod assertum Authoris in stricto sensu nullatenus approbo, quòd in sua experientia fundatur, cùm præprimis præ madore humorum

Qualis Aër Variolantibus eligendus.

Frigus summe est nocivum variolantibus.

Dimerbroeck cautela de indusiorum mutatione.

Nos Authoris assertum non approbamus.

rum excrementitiorum, si continuò subsistant, aut in corpore rarefiant, & expulsionem poros obstruendo præpediant, corruptionem inducant, & alia longè majora pericula minentur. Magis igitur accepta est hujus asserti limitatio, quàm Author ipse annectit *si forte* (inquit) *contigerit, ut indusium & lodices mutare necesse sit, tunc procurandum ut rursus talia dentur linteamina, quæ jam ab ipso ægro, vel ab alio sano jam antè gestata sunt; nam nova ordinariè nocuisse observatum fuit, quod vel humiditati à lotione, vel saponis fætori adscribendum quidam autumant.* Indusia itaque & linteamina induenda aut mutanda benè ad ignem calefacta adhibeantur. Notandum etiam, ne caput arctis & strictis capitiis obvoluatur, quia per hoc capitis calor augetur, & ibidem præpeditâ eruptione in facie adaugentur Variolæ. Imò sub istis strictis ligaturis ulcera sæpe oriuntur: Cum magno itaque moderamine hæc omnia fiant, ne nimirum extrema tentemus, aliàs enim per nimium calorem externum nimiaque tegumenta febris accenditur, vel Archæus irritatur, & ægri sæpe suffocantur. Medium in his tenuere, beati. Quæ & qualia tegumenta in his esse oporteat, supra declaratum est.

Rationes allegantur.

Indusia sint calida quæ post sudores induuntur.

Caput non arcte tegendum. Rationes.

IIdò, Victûs ratio quoad *Cibum* & *Potum* tenuis esse debet, quamvis subinde in pueris ob consvetudinem & plurimum calorem, in senibus ob virium imbecillitatem, paulo plenior concedi debet, sicut & in peste, in qua tùm morbus, tùm vires inediâ læduntur, satiùs tamen est victum à principio tenuem exhibere, præcipuè à morbi exordio, usque ad septimam vel etiam decimam quartam diem. Cibus igitur si febris magna adsit, modicè sit refrigerans, modicè adstringens & incrassans, nè sanguis in partem principem impetu quodam irruat; & hoc continuet usque ad declinationis finem, nec carnes in principio gustet, licè esuriat, vitentur cibi acres, calidi, salsi, pingues. dulces, tùm etiam amari & acidi, nam tales vel sanguinem & humores agitare creduntur

Victus ratio debet esse tenuis.

Qualis cibus porrigendus & quamdiu tali utendum.

Qui cibus vitandus.

tur in confusionem & fervorem, vel si acidi sint, præstitos liquores magis congelant & adstrictione vasorum oscula contrahuntur, ut Variolæ minùs liberè erumpant. Carnes & ovorum vitella â multis non probantur, saltem antequam periculo æger defungatur, quæ postmodum meo judicio improbari non possunt. Ratio prioris est, quòd similibus sanguis ob nimiam pabuli sulphurei copiam, plus minùs debitè accenditur, & tunc sufficiunt avenata, hordeata cerevisia tenuis &c. verbo, cibi pauci & faciles concoctionis, ideò solis sorbitionibus alendos ægros vult Hippocrates, dentur ergò *jusculа carnium eupeptorum* & ea si lubet *Cichorio*, *Endivia*, *Borragine* & similibus alterentur. *Hordeata* quoque & *amygdalata* succis *Granatorum* & *Limonum* alterata, multùm prosunt; primis quatuor diebus, si possibile, hoc solo jusculo se contentare, svadet *Timæus*. ℞. *Hordei mund. Passul. minor. ficuum aa. q. v.* Coque simul & factâ coctione abstrahe liquidum, cui adde parum de *butyro* & *pane*, & da ægro, quod maximè conducit, quia expellit, probè nutrit, & facilè digeritur, defendit os, fauces, pectus, stomachum, intestina, & alvum servat apertam. Vel detur *panatella ex pane albo & brodio carnis facta*, vel etiam coqui potest *pulmentum ex farina & amygdalis*, vel in asvetis *ex cerevisia* tenuiore seu triticea *cum pane albo* bene fermentato fieri jusculum, quod vulgò vocant *grammaticam*, vel *jus medicorum*.

Carnes cur absint.

Jusculа herbis alterata conveniunt.

Jusculum Timæi.

Ejus virtutes.

Ego sequentes cibos in usu & felici successu habeo, nempe duabus horis post exhibitionem sudoriferorum expellentium, dedi vel bonum *jusculum carnis*, vel *pulli* cum *semellæ bucellis*, vel loco hujus mox memorata alimenta, vel subinde etiam *globulos ex semella*. Omnibus tamen istis jam memoratis alimentis, quotiescunque aliquid eorum dedi, semper immiscui unum vel alterum cochlear *Gelatinæ* C. C. cum vel sine *rasura Eboris* factæ, quæ plurimum facit. Si verò ditiores & delicati sint, loco jam dictæ gelatinæ, ordinariè fieri

Nostra ciborum ratio in variolantibus in statu morbi.

curavi hanc *meam Gelatinam pretiosam*, in Variolis, Morbillis & omnibus febribus malignis efficacem, svavem & restaurantem:

Gelatina nostra pretiosa.

℞. *Rasur.* C. C. ℥ij.
Eboris. ℥j.

Cum *Aq. flor. Borrag.* & *Aq. ex toto Citro* abluantur, deinde decoque in *jusculo caponis q. s.* & fiat Gelatina:

℞ *Hujus Gelatinæ* ℥iv.
Rob Ribium.
Conf. Acetosit. Citri (vel *Conf. Acetosell.*)
Flor. Tunicæ aa ℥j.
Vini Cydonior. ℥jß.

Transcolentur cum *Aquæ ex toto Citro* ℥iß. Addendo & solvendo in Gelatina

Lap. Bezoar.
Unicornu ver. aa ʒß.
Succi Granat. acid. q. s.
Sacchari parum, pro conservatione.

Misce f. l. a. Gelatina pro usu, detur ad vitrum

Quandoquè etiam concedo jusculum ex vitellis ovorum & semella factum, vulgò Eyer Gerstl. Et si aluus nimium obstructa & multis diebus constipata sit, *pruna cocta*, & pulpam seu *pulmentum ex passulis* exhibeo. Post eruptionem Variolarum verò, cessante febre & pustulis separatis, crustisque cadentibus solidiores cibos impertior, quales sunt carnes pullorum, agninæ, vitulinæ, ova sorbilia &c. Hic obiter notandum, quód de dulcibus in victûs ratione seu diæta scribit

Cibandi ratio in declinatione.

bit Mercurialis; *potissimum autem cavendum* inquit, *à dulcibus omnibus., & in potu & in cibo*, additque quod *Avenzoar* scribat, eos qui dulcibus utuntur, vix posse servari. Verùm hæc ejus opinio non convenit cum praxi; quâ docemur, *Glycyrrhizam, ficus Iujubas, passulas* & similiâ dulcia materiam citiùs coquere, & versus exteriora propellere, ergò dulcia non obesse ratio & experientia probat, & ipsa authoritas Mercurialis aliquantum post contestatur, dum ipse scribit, quod ficus aridas concedere soleat pro cibo. Hæc sententia meo judicio pro utraque parte adhibita, tamen distinctione salvari potest, nimirum dulcia naturalia, & dulcia, quæ in se notabile fermentum non continent, id est, quæ sub forma dulcedinis absconditum acidum, seu acorem non habent, non obesse (qualia recensita jam sunt) concedo, dulcia autem artificialia, seu dulcia talia, quæ in se continent subdolam aciditatem, uti sunt omnia saccharata, vina dulcia &c. non obesse, nego.

An dulcia in Variolis prosint.

Duplicia dantur dulcia.

Potus in assvetis, & ubi non adest intensissima febris, sit *cerevisia tenuis*, cui immergatur *Rasura C. C. Radix Scorzoneræ, Sem. Aquilegiæ* vel *Napi*, vel *Citri* de quo plus infra: Potus sit *Decoctum Lentium* cum pauca *Myrrha*, ubi tamen probè notandum, magnam inter Authores versari litem, utrum Lentes in his affectibus convenire possint. Qui affirmativam tenent, utpote Avicenna aliique Authores Arabes, Mercatus, Augenius, Dioscorides, Sennertus, asserunt, inter omnia medicamenta vel alimenta *Lentes* primum locum obtinere, imò occultâ proprietate huic malo opitulari scribunt, Medicosque inexpertos & ignaros docent, qui illas improbant; atque licet uti alimentum in substantia non conveniant, convenire tamen ut medicamentum, ad caussam in superficiem expellendam; scribunt enim illas valere vi adstrictivâ, quia viscera roborant, quæ viscera roborata humores pellunt ad habitum corporis; imò nec desunt, qui

Qualis potus conveniat.

Utrum Lentes in Variolis conducant. Affirmantium Authoritates.

ajunt, eas humorum sanguinisque fervorem retundere, motumque compescere, quam doctrinam desumunt â Galeno qui *x. de aliment. facultat. Cap.* 18. Lentes biscoctas partes naturales roborare, & adstrictione, quâ pollent, ventris fluxum cohibere docuit: Quamobrem quæ contra Lentium usum afferuntur, ea de iis ut alimento intelligenda sunt, nam non negatur, sed verum omninò est, Lentes cibum omninò incommodum exhibere, in quem usum ut satis elixentur, diu coquendæ sunt, interim tamen nihil prohibet, quin in medicamenti loco Decoctum, quod ex iis saltem subtiliùs est attrahitur, exhibitum, ad promovendam Variolarum eruptionem occultâ vi facilè facere possit, unde etiam â nonnullis signaturâ suâ seu formâ, Variolis similes esse statuuntur: ut verò in Peste & verè pestilentibus febribus exhibeantur, non undequaque svadent, sed tunc potiùs ad vera alexipharmaca confugiendum esse putant, omninò, si exhibendæ sunt, tutiùs cum aliis quàm solæ exhibeantur: Accedit, quod ab Arabum tempore celebri in usu semper extiterint, Arabes autem in viribus medicamentorum explorandis, Græcis fuisse multò diligentiores. Alii verò sunt & quidem celeberrimi Practici, inter quos Amatus Lusitanus. 2 *in Dioscor. Cap.* 101. Cardanus *Lib.* 2. *de tuenda sanitate Cap.* 12. Ioannes Baptista Sylvaticus *Controvers.* 92. quos sequi videtur Sennertus *Lib.* 2 *Instit. Medic. part.* 1. *Cap.* 3. (licèt idem paulò aliter sentiat *Lib.* 4. *de febr. Cap.* 10.) Thomas Bartholinus *in Cista medica loculo* 58. *quæst.* 6. Refutantes & damnantes Medicos, qui in pleuritide & acutis morbis *Lentes* præscribunt, idque authoritate Galeni, qui lentes esse dispeptas, crassum succum generare, elephantiasin & cancros excitare. Et 8. *simplicium*, earumque decoctum alvum solvere, quod in Variolis noxium esse scribit. Doctissimus Avicenna, *cave* inquit, *ne detur potus Lentium materiâ existente crassâ.* Mercurialis prodesse putat, si aliquid admisceatur, quod crassitiem illarum attenuare possit, laudatque

Alimentū ex lentibus incommodum præbet, non vero ex iis factum medicamentum.

Authoritates contra usum Ientium in Variolis.

datque Arabes, qui illas aceto incoquunt. Alii rursum sunt, qui corticem adstringere scribunt, substantiam verò aperire, ideò coquunt vel cum cortice, vel sine cortice, idque vel semel tantùm, vel bis, aut etiam ter, ad sanguinis fervorem compescendum, exhibent cum cortice bis coctas, priore decoctô abjectô, sed ad modicè provocandas, sine cortice bis coctas præbent. Avicenna *Cap. de synocha febre* Lentes ad sanguinem incrassandum commendat, non ad promovendam expulsionem ad cutim, ideò convenire Variolis vix possunt.

Cum igitur hujus remedii facultas ignota sit hactenus & dubia, è contra certissimum sit, ab omnibus plerumque improbari, quod vitiosi sint succi, mentem turbent, sanguinem melancholicum generent, scribatque Galenus, pleuriticum ex earum esu interiisse, sanè, tàm ineptum alimentum vix creditur bonum esse medicamentum, & quia certiora & tutiora nec non svaviora (salvô tamen experientiæ jure) suppeditantur, ab eo imposterum abstinendum multi judicant: vel si lubet cum Horstio tenere, *Tom. 2. pag.* 309. decoctum Lentium tunc tantùm convenire posse, ubi magna est subtilioris sanguinis ebullitio, adstringunt enim & incrassant, secus tenet in aliis casibus: Præscribi igitur vel omitti à Medico curante poterunt, prout major vel minor est subtilioris sanguinis ebullitio (ubi adhibendæ) vel crassæ materiæ quæ segniter ad cutem propellitur, & tunc omittendæ, uti & *Tragacanthum* & reliqua, unde patet, (uti monet Riverius) remediorum formulis ab Auctoribus præscriptis, non esse arctè insistendum, sed in variis casibus variè esse immutandas, sic autem ubi concedi potest, parat:

Ubi sanguis subtilis multum effervescit, Lentium Decoctum locum habere potest.

℞. *Lentium excorticat.* ℳj.
Liquirit. ʒij.

Sem. Fœnicul. ʒj.

Tragacanth. ʒij.

Coque in *dimidia mensur. Aquæ simplicis* ad tertias. Colaturæ adde, si vis, *modicum sacchari.*

Ego in praxi hunc modum feliciter adhibeo:

℞. *Lentium M*j.

Noster modus parandi decocti ex Lentibus.

Coque in ℔. v. *Aquæ fontan.* unicâ ebullitione, quâ rursum abjectâ & decantatâ reaffunde noviter *Aquæ fontanæ* ℔. v. addando ʒiij. vel ℥ß. *Rasur. C. C. ficuum Nò.* 2. vel 3. (vel loco ficuum detur ℥j. *Passular. min:*) coque simul ad lentium crepaturam coletur & bibatur.

Decoctum pro iis qui lentium decoctum renuunt.

Nota, in iis qui Lentium decoctum bibere renuunt, aut sufferre nequeunt, do *cerevisiam triticeam defæcatum*, cum *ficubus* coctam: Si & hanc renuant, porrigo *cerevisiam albam puram*, in qua suspendo hunc Nodulum:

Nodulus pro iis quibus dictum decoctum non arridet.

℞. *Semin. Rapar.* ʒiij.

Rasur. C. C. vel C. C. ppt. ʒij.

Sem. Napi ʒj.

Pulv. Pannon. rub. vel *Pulv. ad Variol.* ℈iv.

Alius nodulus pro potu in delicatis.

Mixta & contusa dentur ad Nodulum. Vel in delicatis & Medicinam aversantibus, accipio C. C. *phil. pp.* ℈ij vel ʒj. plus, minus, & includo nodulo, atque in potu ordinario suspendo. Vel *Nodulus* Michaelis in potu ordinario suspendendus:

Nodulus pro potu Michaelis.

℞. *Flor. Aquilegiæ*
Calendulæ
Scabiosæ aa p. iij.
Rad. Scorzoner. ℥ß.

Contra-

Contrajerv. ʒiß.
Sem. Aquileg.
Napi
Card. bened. aa ℈jv.
Rasur. C. C. ℥j.
🜄æ *Sigillat.* ℥ß.
F. ſecundum artem Nodulus.

Vel ℞. *Rad. Scorzon.* ℥j. Alius.
Rasur. C. C. ʒvj.
Terr. Sigillat. ʒiß.
Flor. Ulmariæ
Fumariæ
Enulæ
Calendul. aa p. iß.
Aquileg. pijj.
Sem. Napi.
Aquileg. aa ʒß.
Card. bened. ℈ij.
Miſce, fiat Nodulus.
Dolæus ſequentia vel potui, vel cereviſiæ indit?

℞. *Flor. Bugloſſ.* Dolæus hæc potui indit.
Borragin.
Calendul.
Aquileg.
*Trinitat. aa M*j.
Rasur. C. C. ʒij.

Gum.

Gumm. Laccæ, ʒiß.
Albi Græci ℥ß.

Misce (illud ultimum in delicatis omitti judico) singulis alternis diebus, manipulus ex his speciebus indi potest potui ordinario.

Vel fiat Nodulus ex *Sem. Aquilegiæ*, *Terra sigillata*, *C. C. philosophicè ppto.* Vel detur *Tinctura Florum Aquilegiæ* aquâ fervente secundum artem extracta, cum *Spiritu* ♀*is* acidulata & potui admixta. Alii, loco horum *Decoctum hordei & ficuum* exhibent, ficus enim insignem vim habent pellendi humores ad cutem, ut testatur, præter centenos Mizaldus *Memorabil. arcanor. Cent.* 8 *Num.* 770. Fischerus *Fol.* 756. Neque metuendum est, ut ab earum dulcedine incommodum concitetur, cum id *Decocto hordei* vel *vino Granatorum* facile corrigatur.

Decoctum hordei & ficuum.

Timæus dat ▽*am hordei* cum *ficubus*, *passulis & liquiritia* coctum: Vel pro majori gustu adhibet sequens *Julapium* pro potu:

Julapium Timæi pro potu.

℞. *Syr. Violar. opt.* ℥iij.
🜍 ♀*ris. gut.* xiij.

Misce exactissimè & postea adde *Aquæ Scabiosæ*, *Acetosæ*, *Carduibenedicti aa* ℥iij. Misce.

Vel *Decoctum Avicennæ*, curat enim & optimè defendit omnes internas partes, quod æquè valet pro potu ordinario.

Decoctum Avicennæ.

℞. *Ficuum pinguium* ℥iß.
Lentium excorticat. (hæ defendunt ventriculum & intestina) ʒvj.
Laccæ lotæ (prodest hepati & lieni) ʒv.

Tra-

Tragacanth. (conducit pectori, pulmonibus & renibus) ℥iij.

Coque in ℔ij. *Aq. fontan*: ad consumpt. tertiæ partis, coletur per linteum, & æger bibat de hoc pro libitu.

Thiermayer in usu & praxi habuit sequens. ℞. *Lentium excorticatar.* ℥j. Decoque in *s. q. Aquæ*, abjectâ primâ coctura (nam hæc teste Dioscoride *Lib.* 2. *Cap.* 100. alvum solvit) has Lentes jam coctas accipe, & adde *Caricar. ping. Nò viij. C. C. ust.* ʒiij. Affunde *Aquæ fontan.* ℔v. coque ad consumptionem unius libræ sub finem inciiciendo *Cinamomi* ʒij. tandem si placet (sed opus non est) adde *Syrupi Acetosit. Citri*, vel *Granatorum*: *q. s.* pro potu ordinario. Vel, si alvus sit nimium stiptica & febris intensa, talis *Potus* ex eodem dari potest. D. coct. Thiermayer

℞. *C. C. usti* ʒvij.
Sem. Rapar.
Rad. Acetos. aa ʒiij.
Sem. Fænicul. ℥ß.
Ficuum. Nò. iij. vel
Passul. minor. ℥ß.
♀ri. *ppt.* ʒij.
Cinamom. ʒj.

Aliud ejusdem ubi alvus est stiptica.

Concisa & Contusa dentur. Signentur, Species pro potu ordinario. *Ab initio* inquit Crato & Mæbius *in Concil. Lib.* 3. *Concil.* 25. *nil melius est quàm* Aqua *Fæniculi edulcorata saccharo cando, quia vehementer expellit & defendit internas partes, maximè pectus & tussim.* Paræus laudat *Decoctum Milii*, *ficuum* & *Passularum*, cum *saccharo*, quod potenter sudorem pellit. Multi sunt, qui si febris urgeat, *Tincturam Rosarum* feliliter propinant.

Vino an uti liceat. Quo tempore & quali vino. Quibus in casibus.

Vino omninò abstinendum, teste Foresto, *Lib. 6. Obs.* 41. 46. & 49. Præterquam iis erumpentibus, tuncque convenit *Oliogophorum*, seu aquâ dilutum, vel quod meliùs *Aquâ Carduibenedicti* vel *Scorzoneræ* attemperatum, modò febris non vehemens adsit, nec caput doleat, nec æger deliret, remittantque symptomata, præsertim in instante maturatione (teste Sydenham & Jüncken) singulo malè & nocte aliquot cochlearia vini indulgeri possunt, quô sic circulantes humoris reliquias, vel fortè regurgitantes particulas materiæ variolosæ paulò fortiùs cohibeant, & reiiciant, præsertim in iis qui vino assveti sunt teste Hippocrate. 2. *Aphor.* 50. *Consveta longo tempore, etsi deteriora sint, insvetis minus molesta esse solent, quare ad insolita quoque facienda mutatio.* In quo aphorismo divus Senex duo utilissima præcepta proponit. Primò quòd assveta minùs molesta sint & amica, nam consvetudo est altera natura, & ab assvetis non fit passio. Secundò, quòd ad insolita sæpe sit facienda mutatio. Ratio prioris dari potest varia, quæ cum longo tempore sunt assveta, licet deteriora videantur, naturæ tamen sunt magis amica, ergò etiam minùs molesta; Ratio rationis desumitur ex hoc, quia ex longo usu inter naturam & assveta facta præsupponitur amicitia, juxta illud: consvetudo altera natura. Vel, ab assvetis non fit passio. Ex prima præcepti ratione deducitur ratio secundi, nam si minùs molesta assveta, consonum rationi videtur, ad securitatem vitæ faciendam esse ad contraria mutationem. Quod ut clariùs pateat

Consvetudini etiam aliquid dandum.

Explicatio Aphorismi Hipp. 50. sect. 2.

Notandum *Primò*, Quòd consvetudo sit triplex, alia bona, alia mala, alia pessima, si enim homo temperatus, assvetus est temperatis, bona est, si intemperans non multùm mala, si vero intemperans excessivè, tunc pessima est. Prima licet ad sanitatem commendetur, non tamen ad vitæ securitatem utilis, & ideò monet *Hippocrates*, faciendam esse mutationem per intervalla ad contraria, qui enim vino est assvetus

tus & illi conducit, confert aliquando aquam bibere. Mala consvetudo, si fuerit recens, tollenda quamprimum. Ratio: nam temporis progressu solet graviter lædere: at si mala consvetudo fuerit vetus, non est tollenda. Ratio: quia illi naturæ est bona, si tantum temporis durare potuit; facienda tamen etiam ea mutatio aliquando ad contraria. Pessima consvetudo, quando vel suâ naturâ fit excessus, vel per accidens, ut si quis aquam bibat, & illi sit assvetus, usque ad senectutem, & laboret cruditatibus, & sit imbecillis, mutanda est consvetudo, & transeundum ad vinum. Ratio: quia aqua senibus & imbellibus pessima est, vinum vero lac senum dicitur.

Notandum *Secundò*, Quòd mutatio consvetudinis vel fit in sanis, vel in ægris: si fiat in ægris, repentè facienda, nec propterea læditur. Ratio: quia corpus per morbum etiam repentè mutatur, & quô major fuerit morbus, major mutatio, ideò in acutissimo morbo nihil exhibemus, & pro vino aquam, pro cibo sorbitionem dare jubemus; At si fiat in sanis, paulatim facienda, ideò dicebat Hippocrates. *6. Epid.* Contraria paulatim adhibenda: quod enucleatè repetit *Aphorismo sequenti* scilicet 51. *sect.* 2. *Plurimùm & repente vacuare vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quovis modo corpus movere, periculosum* (rationem addit) *omne siquidem nimium naturæ inimicum, paulatim verò quod fit tutum, & præsertim si quis ab uno ad alterum transierit.* Etenim in hoc Aphorismo Hippocrates nil aliud intendit, quàm ut doceat, quòd Medicus dum operatur, in mente habere debeat, ut si non prosit, modò non obsit, quod & Galenus sæpissimè inculcat; non prodest autem Medicus, dum magnas & periculosas efficit mutationes. Ratio est jam in ipso textu docta, omne siquidem nimium, naturæ inimicum; medium enim tenuère beati, & juxta illud vetus Imperatoris adagium: Ne quid nimis: nam virtus & natura in medio consistit.

Sciendum autem est *Primò*, Quòd mutatio vel est ad bonum, vel ad malum, *2dò* vel est à negotio, vel ad contrarium. *3tiò* vel à contrario ad contrarium, vel ad medium. *4tò* aut est in sanis, aut ægris, aut neutris, rursum in ægris vel fit in morbo parvo, vel in magno, vel in mediocri, de quacunque mutatione vera est sententia allata, periculosam nempe esse magnam & repentinam mutationem. Non tamen ideò omittenda est extrema mutatio, quando necessitas urget. Ratio desumitur ab Hippocrate 1. *Aphorism.* 6. quia *extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt.* Ratio Rationis patet, cùm enim contraria contrariis curentur, similia similibus conserventur & remedium debeat esse æquale morbo, si ergò morbus extremus est ut supponimus in necessitate, remedium etiam extremum esse debere consequens est.

Sciendum autem *Secundò*, Quòd mutatio, quæ est à negotio ad otium, vel à labore ad quietem, vel à malo ad bonum, minùs periculosa est, quàm earum opposita, & minus periculosa in ægris & neutris, quàm in sanis. Ratio: quia sanitas mutationem non indicat, sed conservationem.

Sciendum *Tertiò*, Quòd mutatio consvetudinis, vel est ad inducendam contrariam dispositionem, vel solùm ad securitatem sanitatis; primam appellat Hippocrates mutationem ab uno ad aliud, in contextu, secundam vero mutationem simpliciter. Ideò monet vitandam esse magnam & repentinam mutationam in ambabus, sed maximè in prima, ut cum intemperiem cognatam reducere volumus ad mediocrem, in sano.

Sciendum *Quartò*, Quòd mutatio fiat per æqualia, vel in gradu vel in numero, hoc est, minori, medio, sed pluries repetito, ut est paulatim mutare. Ratio: quia tutum. Ratio Rationis: quia si error contingit, minùs læditur corpus. Rationis ratio: *experimentum* enim *periculosum Aphor.* 1.

Ideò

Ideò semper â levioribus est incipiendum, nisi morbi magnitudo nos inducat ad magnum remedium.

Sciendum *Quintò,* Quòd mutatio fieri potest, vel in rebus naturalibus, vel etiam non naturalibus, vel etiam iis quæ sunt præter naturam, de omnibus vera est sententia, magis tamen de naturalibus, quæ nullo modo nisi paulatim fert mutationem, inde etiam non naturalibus.

Quæri hic potest, utrum temperamentum innatum possit reduci ad melius? *Resp.* breviter cum Galeno, quod non. Ratio: nam hoc solius naturæ & DEI est opus, quod nullâ arte vel casu acquiri potest, sed ipsa est certa mixtio elementorum â DEO & Natura constituta: Attamen non ideò negandum est, intemperatum corpus â natura, reduci posse arte ad melius, loquendo saltem de temperie.

In summa denique, si naturæ vel consvetudini aliquid concedendum occurrit, id summâ cum cautione factitandum esse, si enim contrarium quid accidat rationi, id factis committendum, casuque tribuendum est, ut supra diximus ex Hippocrate, non oportere fidere iis, quæ ex ratione non levant, neque reformidare mala, quæ præter rationem contingunt, quod confirmat. 2. *Aphor.* 52. *Omnia secundum rationem facienti, si non succedant secundum rationem, non est transeundum ad aliud, manente eô, quod ab initio visum fuit.*

Ratio Aphorismi hujus est, ut rationale remedium non facilè mutetur, licèt non succedat, quod videtur contra illos leves Medicos, qui dum vident non succedere unum, ad alterum & sic ad centum alia transeunt, fulciti illo trito theoremate: â juvantibus & lædentibus optimam sumi indicationem, ast malè, nesciunt enim se unum & alterum sine ratione adhibere, quod patet, cum subinde calida, subinde frigida, & id genus contraria præscribant, quæ rationi nunquam sunt tribuenda, & consequentur ab iis nulla sumenda indicatio

Ratio rationis probatur sequenti argumento: mutatio remedii non debet fieri cum nocumento, sed mutatio rationalis remedii semper fit cum noxa, quod patet, quia si remedium rationale mutatur fit irrationale, & sic augens ipsum morbum. Hic tamen

Observandum *Primò*, Quòd remedium multipliciter mutari potest, vel secundum genus, vel secundùm quantitatem, qualitatem aut tempus. Rursus in qualitate bifariè, scilicet occultâ vel manifestâ, intensâ vel remissâ etiam specie, vel contrariâ cum genus mutatur, vel est ad contrarium, vel diversum, cum quantitas vel ad magis vel ad minus.

Observandum *Secundò*, Quòd morbus aliquando habet causam manifestam & cognitu facilem, aliquando obscuram & difficilem cognitu. Si morbus cognoscatur, vel fit scientificè, vel conjecturaliter, si conjecturâ, vel illâ quâ magis accidit ac scientiam, aut eâ; quæ est prope ignorantiam.

Observandum *Tertiò*, Quód ubi morbus non cognoscitur, licet mutare remedia omnibus modis, juxta illud Hippocratis qui *Libro de locis in homine*, inquit: *si quis morbum non cognoscat, medicamentum præbeat non forte, si itaque levatur æger, demonstrativum est, quod gracilitatem inducendo, curandus est, si non levatur, faciendum est contrarium, & si non profuerit gracilem facere, tumidum facere conducet & freqenter permutare, & sic non errabis.*

Si verò cognoscitur morbus, fit vel scientiâ, vel conjecturâ scientificâ (quamvis neutram dari negem, contentus opinione probabili) *Medicus statim debet adhibere remedia, illi convenientia, nec mutandum* (licet res non succedat) *remedium in genere, sed mutari potest, vel intensione vel numero, in eadem tamen specie.* Ratio: quia natura aliquando ab assvetudine despicit idem remedium.

Obser-

Obſervandum *Quartò*, Quòd morbus non cedit remediis etiam rationalibus, vel quia crudus eſt, vel quia adeſt obſtructio, aut abceſſus, vel quia morbus ex iis eſt, qui non niſi paulatim tolli poſſunt, vel quia eſt inſuperabilis, vel ob occultam qualitatem, vel ob temporis conſtitutionem, quare non debet Medicus mutare remedia ad contraria, perſiſtente morbô in ſuo ſtatu, â principio & bene cognito, ſed debet reiterare idem remedium vel numero, vel ſpecie. Quod ſi tamen morbus eſt inconſtans & magnus, ita ut periculum ſit in mora, licet omnem obire mutationem.

Obſervandum *Quintò*, Quòd medendi ratio ſit duplex, alia per indicationem & dogmatica, alia per experientiam & empirica. Hic ſermo potiſſimum eſt de remediis, quæ per indicationem habentur, quæ ſemper fit ſecundum rationem, at experientia non ſemper, cùm itaque adeſt maniſeſtè indicans, ut obſtructio apertionem, repletio inanitionem, malignitas alexipharmacum, illa adhibenda & reiteranda, quoad perſiſtit, & quoad ſigna â principio perſeverant.

Obſervandum tandem, quòd in hac ſententia reprehendantur ut diximus illi Medici, qui ut aliqnid ſapere videantur, & nè, ſi moriatur æger, diffamentur ob auxiliorum inopiam, vel nè fruſtra mercedem accepiſſe videantur, in quacunque viſitatione, aliquid de novo agunt, præſcribunt & ordinant, naturæ opus intercipiendo, quæ quitem deſiderat. Et hæc de vino ex conſuetudine obiter, ſed utiliter dicta, hic ſufficiant, quæ ubique & in omnibus diligenter obſervanda.

Sed quæres? An vinum rubrum quod â plebe & præſertim fæminis â proprietate, ut credunt, caloris magnum

An rubrum vinum tuto exhiberi poſſit.

Respondet Grülingius.

gum expulsivum dari tutò possit? Ad id respodet Grülingius *Obs. Cent.* 4. *Curat.* 37. *Expertus sum* inquit, *quod ii qui tale vinum potarunt mortui sunt ex motu naturæ inhibito, què minùs forâs protruderentur, sed febre auctâ capitis dolor increscerct, ac delirio subsequente, mors subsequeretur.* Cujus Viri authoritatem judico cum limitatione â nobis factâ esse accipiendam, & attendendum, ne sive rubri, sive albi vini locó mustum substituatur, qnod angue pejus est vitandum.

Somnus sit moderat Ratio.

Vigiliæ qnoque moderatæ.

IIItiò Somnus sit moderatus. Ratio: longus enim somnus eruptionem impedit, sicuti etiam omnem aliam quamcunque euacuationem, materiam in centrum revocat, febrem auget, & caput vaporibus replet. *Vigiliæ* sint moderatæ Ne nimium resolutis spiritibus, virtus deficiat. Neque somnus ineatur ante sumptum bezoarticum, seu sudoriferum;

Excrementa alvi primis diebus non sunt stimulanda

IVtò Excrementa alvi tardius & negligentius sunt solicitanda quàm in aliis morbis, imò ante perfectam eruptionem, licèt diutiùs paulo adstricta sit, intempestivè non aperiatur, imò famosissimi Authores svadent, ante septimam aluum non solicitandum, idque non nisi notabili aliquâ causâ urgente, nihilominus tamen nè febris accendatur, etiam tandem est aluus aperienda, sed minime acribus, ne diarrhæa Variolis Morbillisque semper noxia excitetur, sed iis, quæ supra in inito curæ dixi, purgantia enim ut venenum sunt vitanda.

Nos sequentibus pro aperienda alvo, debito tempore, contentamur,

Ego in praxi, si aluus nimis & multis diebus sit constipata, prægresśô jam tempore eruptionis, me contentavi pro expellenda alvo sequentibus: *Ballæ moschatæ*, vulgò bisant Kugel, quarum una vel altera in alvum fuit intrusa, priùs *butyro* vel *oleo* illita, vel *suppositoria ex melle solo* cocta, vel si opus erat *clyster ex brodio carnis* vel *lacte* cum *melle rosato*, & *oleo amygdalarum* vel *solo saccharo Thomæ*, & *vitello ovi* confectus, vel detur quandoque *pulpa passularum*, & alia ut supra dixi de cibo & potu.

Vtò

Vtò, Motus & Quies· Æger corpore & animo quiescat, nè calor nativus dissipetur, qui in expulsione materiæ morbificæ incumbit. Incipientibus tamen Variolis, ut diximus, lenes brachiorum & crurum frictiones non improbantur, iis enim humoris noxii, apertis poris & tubulis attractio ad cutem juvatur, à quibus tamen erit abstinendum, quando incipiunt eminere in habitum corporis. Quomodo æger in motu & quiete se gerere debeat.

VItò, Animi Pathemata omnia sunt vitanda, præprimis ira & tristitia. Ira enim æstu nimio sanguinem turbat & inflammat: Tristitia verò sanguinem pravum ad interiora retractum circa cor detinet. Gaudium moderatum nocere non potest, animus enim pacatus hic optimum est præservativum. Terror autem tantò magis nocet, utpote ex quo plurimi in hunc morbum inciderunt. De ira sentire videtur *Mercurialis* & putare, quod illa conducere possit. Inquit enim: *neque ægrè ferendum est, quòd ægri interdum irascantur, quia ira nonnihil confert ad extrudendos humores ad superficiem corporis*: Sed utinam non conferret ad incrementum caloris & febris, atque exinde evenientes epilepsias. Animi pathemata fugienda, præsertim ira & tristitia. Gaudium prodest. Terror nocet.

CAPUT XV.

De Correctione Symptomatum occurrentium in Variolis & Morbillis.

Correctio symptomatum.

IN hoc affectu non solùm in hoc laborare debet Medicus, ut Variolæ & Morbilli erumpant, sed etiam maximi laboris est defendere partes tâm externas (ut oculos, aures, nares, os & fauces, cutem) quàm internas (ut hepar, pulmones, ventriculum, intestina, renes, & ipsis annexas particulas) quæ ab hac lue potenter infestantur, in quibus tamen magnâ cautione opus est, nè dum exiguis consuli- Medici officium est, expulsionem Variolarum non modò promovere sed etiam

 mus

partes internas & externas defendere.

mus, nimiâ pharmacorum molestiâ, magnum naturæ opus interturbemus. Etenim toto hoc tempore una & continua est crisis, quare nihil temere movendum est, maxima semper requiritur Medici & ministrantium sedulitas & circumspectio, quam ut penitiùs assequi possit Medicus, ordine singula occurrentia symptomata eorumque remedia proponemus.

Dolor capitis & vigiliæ quomodo curentur à Timæo.

Dolor Capitis, Vigiliæ, Phrænitis & Coma.

Contra capitis dolores & vigilias Timæus *Epithema* ex *semine papaveris* & *nucleis persicorum* cum *Aqua Rosarum* & *Verbenæ* invicem subactis fronti applicat. Quantum tamen meo judicio, faciendum & applicandum non est, nisi dolor & vigiliæ urgeant: somnus enim longior eruptionem impedit.

Phrenitis quomodo curetur.

Phrenitis quæ in discretarum genere quandoque contingit, curatur â Sydenham, præsertim ubi facies non turgescit, & pustulæ magnâ copiâ apparere incipiunt, Venæ missione. Sic etiam hosce ex lecto calidiore eripiendos autumat, ut âeri liberiori exponantur, & sic plures â Phrenitide liberatos observavit, quæ utraque remedia, uti multis videntur generosa & experta, itâ revera mihi videntur maximâ cautione &

Nostra opinio de phrenitidis cura.

circumspectione, & non nisi urgente summâ necessitate & periculo, in usum trahenda esse. Conveniunt autem in hoc casu *Cinnabarina*, mixta cum *Arcano dupl.* & *sacch. ♄ni.*

Comatis curatio.

Comati seu Lethargo, cùm plerumque ab obstructione corticis cerebri dependeat, dum nimirum materia illa viscida ptyalismum excitans in cerebro coagulatur, succurritur *Deobstruentibus*, *Cæphalicis*, *Epilepticis*, & *volatilibus* blandioribus, de quibus undique in hoc tractatu agitur.

Ocu-

Oculos defendentia & curantia.

Variolæ sunt oculis maximè noxiæ, eò quod sint partes spongiosæ, humorum ichorosorum receptivæ, applicanda itaque sunt *Defensiva*, id est moderatè *refrigerantia* & *adstringentia*. Visum conservat *Sapphirus, Aurum, crystallus montana*, quibus oculus circa circum fricatur, ante eruptionem Variolarum & Morbillorum, seu ▽ *Rosarum, Plantaginis, Tutia ppt.* & *Camphora* his mixta, vel sequens quod excellit: Oculi quomodo à Variolis defendantur & curentur. Visum conservantia.

℞. ▽ *Plantagin.*
Rosar. aa ℥iij.
Sem. sumach. ʒiij. Mixtura excellens ad defensionem oculorum.

Maceretur per noctem, additòque *Croco* & paucâ quantitate *Albuminis ovi* fiat mixtura, quâ sæpiusculè madefiat tota orbita oculi, idque tepide. Vel Franciscus Thiermair oculos commodissimè sæpius defendit sequenti *Linimento*, prout etiam â suo Parente factitatum optimo cum effectu, scribit.

℞. *Semin. Sumach ʒij.*
▽ *Rosar. ℥iij.* Linimentũ oculos defendens Thiermaieri.

Infunde contusa & decoque in vase vitreo; colaturæ adde *Croci austriaci pulverisat. gr. v.* Misce pro defensivo.

Vel Grülingii.

℞. ▽ *Plantagin.*
Rosar.
Euphras. aa ℥ß. Aqua ophthalmica Grülingii.

In his dissolve *Camphor. gr. ij. Croci gr. j.* F. l. a. Collyrium. Vel ejusdem.

℞. ▽ *Verben.*
Rosar. aa ℥ij.
Album. ovi Nò. j.
Croci parum. M. f. Collyrium.

Vel præservans ejus â suffusione oculorum expertissimum.

℞. *Pollin. Smaragd.*
Margarit. ppt. aa gr. x.
Camphor. gr. ij.
Rosar. ℥iij. Misce.

Detur ad vitrum & sæpius agitetur, hæcque Aqua oculis instilletur, mirificè præservat oculos â suffusione.

Vel meum *Collyrium* in omnibus oculorum inflammationibus, epiphorâ, panniculô, ungue, suffusione, & debilitate valde expertum.

Collyrium nostrum.

℞. ▽ *Plantag.*
Rosar.
Euphras. aa ℥j.
Sacchar. alb. cand.
Tutiæ ppt. aa ʒij.
Sieff alb. (cum *Opio* si magna urgeat necessitas) *sine Opio.* ℈j.
Croci ♂tis adstringent. ℈ß.

Misce f. Collyrium benè prius agitando, oculis instillandum & apponendum.

Ad nebulas abigendas, commendat Grülingius *saccharum albissimum pulverisatum* & oculis inspersum; Vel ejusdem Collyrium ad nebulas abigendas expertum.

Collyrium Grülingii ad nebulas abigendas.

℞. *Tutiæ ppt.* ʒj.
⊕li. alb.
Nihil. alb.
Aloes lotæ aa ʒß.
Camphoræ ℈j.
▽ *Fœnicul.*
Rosarum
Chelidonii,
Pimpinell. aa ℥ij.
Album. ovor. conquassat. Nº ij. Misce.

Nota

Nota, quamdiu facies & oculi tument ex eruptione, vel ex copia & dolore Variolarum, gratis est quidquam pro oculorum apertione adhibere, nihil enim efficitur, donec sponte subsideant.

Plura remedia ad affectos oculos tempore Variolarum, vide apud Sebizium *part. 6. Cap. 30. fol.* 1818. & *fol.* 1819. Franciscus de le boe Sylvius summè commendat ad oculorum in Variolis affectus *succum* ex *Chærefolio* contuso in ▽ *Rosarum & Fæniculi* expressum, tepide & cum linteis oculis applicatum, & subinde innovatum, quod citò & tutò curat. Dolæus hanc ▽*am* usualissimam depredicat: Sylvius laudat succum ex Chærefolio.

℞. ▽ *Rosar.*
Plantag.
Solani. aa ℥j.
Croci Orient. ℈j.
Mucilag. sem. Cydonior.
Sumach. aa ℥ß. Aqua Ophtalmica Dolæi.

Misce. Quâ inungantur oculi.

Crystallus montana optimè in oculi bulbo conducit in Variolarum insultu.

Timæus sequens laudat, quo ab initio vel maxime, sæpius madefaciendi oculi.

℞. *Rad. Tormentill. incis. & Conquassat.*
[illegible] *Onis. gr.* IV. ℈iv. Timæo usitatum.
Affunde ▽ *Rosar.*
Plantag. aa ℥j.

Stent in infusione in loco calido per noctem, postea filtra per chartam emporeticam.

Aliud Collyrium.

Vel ℞. ▽ *Euphras.*
Rosar.
Plantag. *aa* ℥ß.
Tutiæ ppt.
Sieff alb. sine opio
Sacchar. Saturni aa ℈ß.
Camphor. gr. j.
Misce, detur in vitro.

Vel insperge ter in die *Aquam Ophtalmicam* Maximiliano, Imperatori attributam, quæ sic fit:

Aqua Ophtalmica Maximiliani Imperatoris dicta.

℞. *Stercus recens anserinum* junioris anseris Mense Majo vel Aprili collectum, destilla exinde *Aquam* secundum artem.

Hæc Aqua visum tàm in Variolis, quàm postea cicatrices ab illis relictis clarificat.

In Epiphora oculorum (hoc est, in immoderata tenuis humoris fluxione ad modum lachrymarum in oculis, quæ in Morbillis & Variolis sæpe & potenter accidit) præter jam supra dicta, servit *Albumen ovi* cum *Vine* diu conquassatum, in spumam redactum, & cum stupa impositum. Item ▽ *florum Cyani*, *Plantaginis*, *Rosarum*. *Sieff album sine opio*; *Unguent Nihili*, *Unguent de Tutia*, Vel *Albumen Ovi cum butyro loto & Cremore lactis* commixtum, Plempius hoc expertissimum extollit.

Linimentum ad oculos ex Plempio.

℞. ⊕*li. alb. ter usti & ter exstincti*
in ▽ *Rosarum.* ℈j. in tenellis.
in adultis ʒß.
Gum. Arabici
Tragacant. ustor. & exstinctor. aa ʒj.
Tutiæ ppt. ℈j.
Cerussæ ℈ij.
Mucilag. sem. Cydonior. cum ▽
Rosar. extract.. q. s.

Misce

Misce f. Linimentum, quò liniatur oculus circa utrumque angulum, & ambæ palpebræ, deinde clauditur angulus, & applicatur molle linteolum. Si dolores urgeant, additur *gr. j. Opii & Croci* modicum

Aliis hoc simplex remedium auxilio fuit. Cape *bombacem* insperge & immisce *Pulv. Tabacæ*, & auribus inde. Ad oculorum dolores ex Timæo & Scorbait.

Si dolor (ex Timæo & Sorbait) oculorum urgeat, vel intra oculum ipsum pustulæ oboriri videantur, utimur *lacte chalibeato* cum pauca in eo soluta *Myrrha*, vel quod optimum, *lac muliebre* in i[...]sum oculum è mamma emulsum cui si *sacchari* modicum [a]ddideris, non oberit, lac autem semper sit recens, aliàs [...]m facilè acescit, & nocet oculis, Alii extinguunt ☉ parun[...]dens septies in ▽ *Plantaginis & Rosarum*, & instillant g[...]im. Alii *linctum cum lingua* factum extollunt; qui[...]um oculos, sed & vitam reddit puero apud Bartholinum *Cent. 9. histor.* 29. Ad oculos rubentes, & diu propter saniem clausos adhibetur *sanguis columbarum*, cum ▽ *Rosarum* per linteum expressus, vel *decoctum seminis Cydoniorum*, *fœnugræci, Lini & Malvæ in* ▽ *facti*, & eò oculi calidè foveantur, quod ego pro aperiendis oculis plurimis diebus ac noctibus, à pure conglutinatis semper expertissimum & tutum habui. His, si vis addere poteris *Herb. Malvæ, Altheæ, Parietar. Flor. Melilot. Rad. Lilior. alb. Altheæ, Ruthæ, Verbenæ* &c. Ad ruborem oculorum.

Grülingius ad palpebras tumefactas commendat sequens: Ex Grülingio.
℞. *Ovum recens*, frige in *butyro*, postea affunde in ▽*m frigidam*, ubi constiterit, separa pinguedinem in vasculum figulinum vitreatum, superinfunde ▽*m Rosarum*, agita bene, ut fiat instar linimenti albi. Ubi nota, hoc etiam valere pro inungendo, postquam Variolæ ruptæ sunt. Id quod etiam recommendat Gabelhoverus *pag.* 373.

In

In oculorum maculis â morbillis relictis, est remedium probatissimum Horstii sequens.

Ex Horstio in oculorū maculis.

℞. *Pulp. pomor. dulç.* ℔ß. cum ▽ *Fœnicul. & Rosarum* ad justam consistentiam coctæ, cui adde *Mucilaginis seminis Fœnugræci* ℥ij. *Lap. hæmatit. ppt* ʒj. Misce applicetur per dies aliquot cataplasmatis instar, deinde lavetur oculus ▽ *Rosarum, Fœniculi, & tantillo Margaritar. ppt. immixto,* Ac tandem si oculus exulceretur, *Collyrio* sequenti curabitur.

Colyrium si oculis excœretur.

℞. *Cerussæ lotæ* ʒiij.
Sarcocollæ ʒj.
Gum. Tragacanth. ℈j.
Opii. gr. ij.

Cum *mucilagine Tragacanthi* extracta cum ▽ *Plantaginis* f. Trochisci, qui solvantur in *lacte muliebri* vel ▽ *Rosarum* ad usum.

Aquæ ad Ungues oculorum. Aliud remedium in tenellis.

Ad Ungues seu Pterygia seu panniculos, valet ▽ *Chelidonii, Melissæ* &c. Vel in tenellis infantibus Mater vel alia persona, seu Nutrix lambat frequenter jejunâ lingua suâ oculum affectum, priùs masticando *semen Fœniculi.* Efficaciora & acriora vide in Plempio in sua *ophthalmographia, fol.* 211.

Aurium affectus ut curandi.

Aurium affectus

Accidit sæpe ut Aures doleant, pruriant, fluant; si fluant sinendæ sunt, si pruriant nō facilè tangenda; si doleant spongia tepida & *oleo rosaceo* immacerata applicetur & sæpe admoveatur. Sylvius ad aurium affectus laudat *Spirit. Vini* cum ♎*u* ⊖*is* ⚹*ci* micæ panis albi & adhuc calenti immissum & calidè applicatum. *Decoctum item Absinthii, Centauri minoris, Abrotani, Carduibenedicti*

Sylvii curatio.

per

per vaporem exceptum; *Balsamus ♀ris terebinthinat:* aut *anisat.* ad *guttas aliquot* in aurem immissus.

Dolæus *Essentiam Carduibenedicti*, *Castorei*, vel *Essentiam* ad *auditum Michaelis* commendat.

Narium Affectus.

REmedia quæ Nares præservant triplicia sunt. *Defensiva* in principio pro salvanda inspiratione & olfactu: *Emollientia* in fine pro auferendis crustis: *Abstergentia* seu *mundificantia* post crustas ablatas, si ulcus aliquod in illis fuerit relictum. Narium affectarum curatio, triplex est.

Naribus itaque male affectis, vel nè afficiantur attrahatur *posca*, id est, ▽ cum aliqua parte *aceti* mixta: vel quod meliùs ▽ *Rosarum* cum *aceto* & postmodum odoret sequentem *Nodulum:* Posca ad nares affectas attrahenda.

℞. *Santal. rub.*
Rosar.
Violarum aa ℥ij.
Camphor. ℈ß.

Liga in petia tafeti rubri, & intinge in *aceto rosarum*, & naribus obiice. Vel adhibeantur odoramenta ex *Rosis*, *Myrrtho*, *Plantagine*, quæ bullire poterunt in ▽, & fumus tepidus per nares attrahi. Utilis etiam est *Aq. Rosarum* cum *succo Agrestæ*, vel ▽ & *succus burs. pastoris*, *Millefolii*, *Plantaginis*, vel *Unguentum album camphoratum*. Timæus crustam in naribus emollit *Oleo amygdalarum dulcium*, vel *butyro recenti* & insulso, vel *lacte muliebri recenti* naribus instillato. Vel etiam servit *pinguedo Anseris*, *Caponis*, *Anatis* &c. Odoramenta. Ex Timæo ad crustam narium emolliendā.

Gœlingius ad narium coalitum sequens *Unguentum* commendat:

Unguentum Ciülingii ad narium coalitum.

℞. *Ol. Violar.*
Gum. Tragacanth.
Ceræ albæ aa q. s.

Fiat Unguentum quô inungantur nares. Vel ad obstructas & concretas nares sequens extollit.

Decoctum ad idem ejusdem.

℞. *Balaustior.*
Myrtillor.
Flor. Chamomill.
Malvæ aa Mj.

Incis: Coque in *f. q.* ▽ ad tertias. Petiam intinctam calidiusculè admove, vel per syringam insperge, aut sic naribus attrahe. Vel ejusdem *Linimentum*:

Linimentum ejusdem.

℞. *Ol. Myrthin.*
Amygd. dulc. aa ℥j.
Santal. rub.
Citrin. aa ʒj.

c. *mucilagine seminis psylli* fiat Linimentum.

Nimiam hæmorrhagiam sistentis.

Nota: hæmorrhagia in Variolis & Morbillis nequaquam est sistenda, ex rationibus supra de Venæsectione datis, at si nimia sit, diu duret, vires nimium prosternat, nihil præstantiùs est, quàm regioni hepatis vel lienis, vel etiam super umbilicum (parti nempe affectæ) imponere cucurbitulam siccam, hoc est, sine scarificatione, & expellentia remedia attemperare, nè calidâ suâ vi, sanguinis effervescentiam, & consequenter hæmorrhagiam adaugeant, naribus præterea intrudi possunt *aranearum telæ*, & multa alia quæ in Authoribus passim de hæmorrhagia narium proferuntur. Dolæus ad præservandas nares laudat *Oleum Liliorum alborum, Amygdalarum dulcium*, vel ad olfaciendum dat *acetum rosaceum camphorâ imprægnatum.* Timæus suppuratas nares sequenti *Unguento* inungit & curat:

Ex Dolæo ad præservandas nares.

Unguentũ Timæi ad suppuratas n. r. s.

℞.

℞. *Mucilag. Gumm. Tragacanth.*
▽ *Rosar. extract.* ʒij.
Olei Rosar. ʒi. M. f. Unguentum.

Ulcera narium curat *Decoctum hordei*, *Mel Rosatum*, *Myrrha*, *Aloes*, *Radix Aristolochiæ*, *Terebinthina*, *Unguentum de Cerussa* vel *Lithargyrio* &c.

Oris, Colli, Linguæ & Faucium Vitia, præsertim Ptyalismus seu Salivatio.

AD os & fauces dolentes nè ulcera, vel planè aphonia (ut videre est in *Ephem.* | *German. Anni* 1672. *& Anni* 1673. *fol.* 562. 563. *&* 564. & aliis adhuc ibidem locis. *Anno.* 1689. *obs.* 38. *fol.* 109. *& Fen. de scorzonera pag.* 82. *& seqq.* Fernelius *Lib.* 2. *de abditis rerum causis Cap.* 12. Bartholin. *Cent.* 2. *Obs.* 43.) & alia id genus mala accedant, usurpandus erit *Gragarismus* Oris, colli, linguæ, faucium vitia ut curentur &c.

℞. *Fol. Plantag.*
Rosar. rub. aa Mj.
Sem. Plantag.
Sumach aa ℥ß.

Gargarismus ad præcavenda oris & faucium varia mala.

Decoque in *s. q. Aquæ hordei.* In Colatur. ℔j. solve *Succi Granator. dulc.* ℥ij, *Mel. Rosat. colat. Diamoron. aa* ℥j. Misce fiat Gargarismus.

Vel *Gargarismus* pro gula. quando in illa aliquid enatum est Grülingii:

℞. ▽ *hordei* ℔ß.
Prunell. ℥iij.
Mell. Rosat. ℥iß.
Diamoron. ℥j.
Julep. Violar. ℥ß. Misce.

Gargarismus dum in gula aliquid enatum est ex Grülingio.

B b 2 Vel

Alius Timæi.

Vel ſequens Timæi Gargariſmus

℞. ▽ *Plantag.*
Prunell.
Roſar. aa ℥iß.
Vini Granator. acid. ℥j.
Rob. Ribium
Diamor. aa ℥ß.
Aceti ex ſucco Rub. Idæi. ℥ij.

Miſce fiat Gargariſmus approbatus.

Aliud ex Timæo pro ſolentibus gargarizare.

Parvulis, itâ & adultis qui gargarizare non poſſunt, ſvadet Timæus cum *baculo Liquiritiæ* lambere *Syrupum de Juiubis, Granatorum, Diamoron vel Dianucum, Syr. Violarum, de Roſis ſiccis, Ribium, Cydoniorum*, vel ſolis vel cum ▽ *Plantaginis, Roſarum* permixtis.

Noſtra curandioris vitia, ratio.

Ego omnia vitia oris & colli feliciſſimè curavi ſequenti domeſtico & ſimplici remedio, nimirum *Cremore hordei* cum *juſculo* vel ▽ diluto, per ſe vel cum *Syrupo de Juiubis* permixto, quo patiens gargariſet ſæpius, vel per ſyringam immittat. Cui ſi Gargariſmum ſupra dictum Timæi admiſcueris, expertiſſimum reddes remedium. Ad impediendum, nè gula & guttur intùs afficiatur, extra ſcutum *croco* interſutum & *lacti muliebri* intinctum apponit Thomas Willis, hoc enim poros aperiendo, venenum ab intimo gutturis exterius allicit. Imò vulgus collum & fauces evidenter præſervat *filo ſericeo carmeſino*, intincto in liquorem in quo ſoluta ſit *Theriaca & Crocus*, & collo â principio eruptionis impoſito, & quotidie per duas treſue dies reiterato. *Decoctum ficuum ſimplex*, ſi eô os & collum frequenter collnatur & gragariſetur, multùm præſtat, nam ficus ſicut externè omnes tumores citò ad ſuppurationem deducunt, itâ etiam Variolas.

Præſervantia guttur.

Decoctum ficuum eſt excellens.

Si

Si ex fluxionis acrimonia, aut copiâ Variolarum ulcus in faucibus genitum fuerit, ▽ *hordei* cum *Melle rosato*, vel ▽ *Onosa* detergendum est, & quod si in corruptionem vergat, *Unguenti Ægyptiaci* tantillum prædictis erit admiscendum. Instar omnium laudatur ▽ *Plantaginis cum lacte caprillo*, quæ fauces tàm præservat quàm curat. Optimus est *Syrupus de Juiubis*, è *succo Granatorum*, *vel Diamoron*, teste Foresto in multis locis. Si nimia adsit faucium & linguæ ariditas & inflammatio, Timæus commendat *mucilaginem seminis psillii* & *cydoniorum* cum ▽ *Rosarum* extractam. Vel præscribit *Rotulas Diatragacanth. frig.* vel ipsius supradictum gargarismum. Vel si pænes adsit magna raucedo, optimum est, inquit, *Lactis dulcis* ℔ß. ▽ *fontanæ* lbiß. Coque ad medietatem, semper bene agitando, & hoc se patiens gargarizet, sed cavendum nè aliquid deglutiat. Ad ulcus in faucibus genitum. Mucilago ad nimiam linguæ ariditatem ex Timæo. Ad ariditatem linguæ cum raucedine, ejusdem.

Ego in summa ariditate linguæ & faucium, ubi imminebat lethalis angina, nil melius inveni, quàm ore tenere subtilem particulam *Lardi recentis non saliti*, quod emollit, humectat, lenit, ariditatem corrigit, & omnia linguæ faucium & colli accidentia præcavet & tollit. Juxta nos ariditatis linguæ curatio.

Nota, sæpissimè evenire solet, ut infantes laborantes ex Variolis, præsertim si facies ab illis copiose inficiatur, in ore, & quidem circa finem mandibularum pustulas quasdam contrahant, quæ deinde, si illarum ratio non habeatur, ulcus corrosivum faciunt & genam perforant, hoc ulcus si statim in initio medicamentis gangrænæ medentibus non præservetur, tandem totam genam usque ad radicem nasi inferiorem absumit, comitante lentâ sed certissimâ morte pedisequa: huic malo sæpissimè profuit Andreas Cnöffelius *Ru* ⊖*is*, *Melle rosatô* ad sufficientiam aciditatis permixto, locô ulcerosô illitó, & licet ulcus quasi totam genam jam occupaverit, hoc juvit. Ulcera corrosiva ex pustulis circa mandibularum finem enata, quomodo maturè præcavenda & curanda. Curatio juxta Knöffelium.

 Grü-

Ad gulæ excoriationem ex Grülingio.

Grülingius ad gulæ excoriationem hoc commendat.

℞. *Folior. Myrtill.*
Rosar.
Chamomill.
Stæchados
*Meliloti aa M*j.

Bulliant in *f. q.* ▽ ad tertias,

℞. *Hujus Decocti* lbj.
Diamor, ℥ij.
Syr. de 5. *Radicibus* ℥j. Misce.

Pro *Gargarismo* si adultiores sunt, & decimun annum excedant, ad fortiora progrediendum.

Gargarismus pro adultioribus.

℞. *Summit. Stæchad.*
Melilot.
Thymi.
Hyssopi
*Salviæ aa M*j.

Bulliant in ▽ vel *Vino dulci.*

℞. *Hujus decocti* lbij.
Oxymellit. f. ℥ij.
squillit. ℥ß. M. pro Gargarismate.

Foresti proƀtaas in hoc affectu remedium.

Forestus, cuidam Variolas in gutture habenti mandavit, ut continuó cum *lacte caprino* & ▽ *Plantag.* simul mixtis tepidè gargarizet, quod miraculi instar profuit; præservat maximè ab angina & suffocatione, estque oris tùm gutturis præstantissimum remedium, cùm signa exanthematum se produnt: In eundem usum, inquit, servit, estque expertum remedium, deglutitus sæpius *Syrupus Granatorum.*

Dolæi discursus de ptyalismo.

De Ptyalismo seu salivatione ita loquitur Dolæus *nè in principio illicò sistatur, quin imò admittendum, ut continuet etiam ad plures dies, qui tamen si ad* 13 *vel* 14 *dies perstet, se-*

sedari potest remediis aptis; Promovetur verò salivatio *cerevisia tenui* affatim gargarizata (Authôr quidem habet haurienda, quod non approbo, propter periculum fermentationis, & aliorum inde emergentium symptomatum) sistitur verò debito tempore sequentibus: Ptyalismus quibus promoveatur.

℞. ∇æ *flor. Paralyseos* Quibus sistatur.
Lignor.
Syr. de Meconio aa ℥ß. Misce.

Vel ℞. ∇æ *flor. Trinitatis*
Paralyseos aa ℥iij.
Tinct. Anodyn. gut. iij. Misce.

Quod si in Variolis confluentibus (inquit præfactus Authôr) *salivatio eò usque excocta sit & viscida ob calorem præcedentem, ut tantum non suffocetur æger, prout die undecimâ fieri solet,* Gargarisma *in usum ducendum, quod per syringam in fauces sedulò iniiciendum.*

℞. ∇æ *Cerasor. nig.* Gragarisma Dolæi in salivatione nimis viscida.
Primul. Ver.
Expulsivæ Dolæi aa ℥iij.
Oxymel. squillit. ℥j. Misce.

Vel ℞. *Mel. Rosat.* ℥j. Aliud.
∇ *Hordei* ℥vj. Misce.

Sic & Vertici capitis imponuntur *Sacculi ex succin. Olibano, sem. Nigell. flor.* Rosar. cum *Oleo succini* irrorati. Vel *Cataplasma* suspensivum *ex fermento cum succino* paratum applicetur. In metu suffocationis, Sydenham emeticum exhiberi vult, quod uti violentum, ita abominandum duco. Sacculi vertici capitis imponendi. Cataplasma suspensivum.

Dolæus, ad colli & faucium defensionem commendat *Decoctum Aquilegiæ* ℥vj. *Diamoron* ℥iß. Misce. Decoctum Dolæi.

Diemer-

Concilium Dimerbroeckin metu Suffocationis.

Diemerbroeck, in casu desperato suffocationis svadet, ut spogia parva bacillo firmiter alligetur, eaque Syrupo convenienti intincta fortiter in fauces intrudatur, ut sic Variolæ vi rumpantur, & angustia colli solvatur. Plura de his affectibus videantur inferius de pulmonibus affectis.

Color dorsi & lumborum.

Dolor Dorsi & Lumborum.

Timæus, dorsum & Lumbos inungit *Oleo Amygdalarum dulcium*. Ego verò *Oleo Scorpionum simplici*, vel quod meliùs *Oleo Scorpionum Matthioli*.

Labia fissa & arida quibus curentur.

Labia fissa & arida.

Fissuram & ariditatem labiorum curat sequens: ℞. *Semin. Cydonior.* ℥j. Contunde crassiusculè, affundendo parum ▽ *Rosarum*, stent per tres horas, & fiet mucilago, quam per linteum transcola, & inunge labia, huic si vis adde aliquid *Syrup. Violarum*. Et hæc de partibus externis; quod autem attinet partes internas, primum ac præcipuum est Cordis ac viscerum aliorum naturalium habere rationem, unde

Confortantia Cor & alia viscera.

Partium internarum præservatio.

Ad palpitationem & anxietatē cordis faciencia.

Emulsio Perlarum.

Licèt de iis equidem actum sit superiùs, nihilominus tamen quædam specialiora hic pro casu necessitatis annectemus. Proinde ad cordis anxietatem & palpitationem (quæ oritur vel ex frigore admisso, vel ex recessu materiæ, vel diarrhæa) præscribitur ▽ *Elyphis Cervorum* cum *Magisterio Perlarum*, & granis aliquot *Lapid. Bezoar*, vel propinetur *Emulsio perlarum Cratonis* sequens & multum efficax:

℞.

℞. Sem. *Card. bened.* ʒj
Citri ℈j
▽ *Veronic.*
Card. bened. aa ℥iß
Fiat *Emulsio*, cui adde *Syr. Acetosit. Citri* ℥.
Margarit. ppt. ℈j.
C. C. usti. ℈ij. Misc pro dosi.

Cratonis ad cordis affectus.

Quod si ingens adest calor, & ex eo veniens prostratio virium, Timæus svadet sequens, sepius cochlearia duo vel tria pro differentia personarum calidè dandum, & non nisi urgente necessitate.

℞. ▽. *Cordial. frig. Saxon.* ℥iv.
Fragor. ℥iij.
Borrag.
Bugloss.
Cerasor. nig. aa ℥j.
Rub. *Idæi.*
Fragor. aa gutt. xv.
Rotul. *Manus Christ. perlat.* ʒiij.
Misce. His, si opus, pro majori efficacia, adde
Confect. Alcherm.
Margarit. ppt. ℈ij.
Lap. bezoar. gr. vj. viij. Misce.

Confortans Timæi in animi virium prostratione.

Electuarium confortans in Variolis & Morbillis Griilingii.

Electuarium Confortans Grülingii.

℞. *Conf. Rosar. antiq.* ℥iij.
R*ad. Borrag. condit.* ʒvj.
Specier. Diatrion santal.
Diamargarit. frig. aa ʒj.
Corall. rub. ppt. ʒß
Lap. 5. pretios. aa gr. x.
Folior. ☉*ri fin. No.* ij.

Vomitus & Nausea.

Vomitus & Nausea

QUæ in principio non sunt statim cohibenda, nisi laborem faciant, inquit Dolæus. Vomitiones laboriosas Timæus sedat *Vino granatorum acidorum*, & *Miva Cydoniorum* cochleatim aliquando assumptâ, vel si ventriculus jam est læsus, quod patet ex vehementi & continuô vomitu, & cibi omnimodo fastidio, ubi adhibet Mixturam ex *Syrupo Corallorum* cum *Vino Granatorum & Syrupo de Agresta*, extra verò ventriculo calide applicat *Emplastrum de Crusta panis*. Alii *panem calidum tostum*, vel simplicem, vel superinducta *Theriaca* ventriculo apponunt cum magno effectu. Sed cavendum, ne diu relinquatur, ut humectetur â sudore, quo in casu plus nocet, quàm prodest. Sequens etiam Mixtum valet in vomitu, & simul potenter expellit Grülingii.

Vomitus laboriosi cura ex Timæo. Ventriculi læsi signa. Externa pro curando vomitu. Mixtura Ventriculum roborans Grülingii.

℞. *Sem. Nasturt.* ℈iv.
Raphan.
Card. bened. aa ℈ij.

Contunde probè & infunde in ▽æ *Fumar.* ℥iv. per aliquot horas, Colaturæ adde.

♁ ♀ri. ℈j.
♀ri. ⊕lat. ℈ß. (hunc meo judicio satius omitterem)
♁ ⊖lis. gut. vj
flor. sambuc. ℈j
Syr. Acetositat. Citri de Limon. aa ℥j.

Misce & Divide in 2. partes, sumat manè & vesperi. Vel sequens ejusdem.

Alia.

℞. ♁ ♀ri. ℈j
⊖*lis Absinth.*
Perlar.
Corallor. aa gr. iv.

C. C. phil. ppt. gr. v.
▽æ Card. bened. ℥j.
Scabios.
Absint. va ℥ß.
Manus Chri perlat.
Syr. de Cort. Citri. aa ℥ß.
Misce pro dosi, sumat & sudet.

Cataplasma balsamicum Dolæi. Dolæus extollit suum *Cataplasma balsamicum*, quod fit ex *Succolada*, *Oleo Nucistæ*, *Balsamo Cinamomi* cum *Vino Hispanic.* Vel *Theriaca* cum *Pulvere Pannonico rubro* & *Nuce Moschata* mixta, regioni ventriculi applicetur.

Quid naribus obiiciendum. Naribus ad odorandum obiicere potest *Panem tostum vel aceto Vini* conspersum.

Pulmonum affectus.

Affectus Pulmonum, Respiratio gravis, Tussis, Raucedo &c.

Syrupus Pectoralis Timæi respirationem facilitans, tussin sedans &c. UT respiratio reddatur liberior, tussis sedetur, & pulmones non lædanrur, sæpius delibandus est hic *Syrupus Pectoralis* probatus *Timæi*:

℞. Capit. Papav. alb. cum semin. No. v.
Rad. Liquirit. ℥ß.
Jujubar.
Ficuum aa No. vii.
Fol. Tussilag. Mj.
Sem Cydonior. ʒj.
Incisa Coque in *s. q.* ▽æ *Tussilagin.* pro ℔j. *Decocti*, adde
Sacchar. Penidii
Candi aa ℥iß.

Coque denuò ad consistentiam *Syrupi*. Vel tussientibus maximè prodest ▽ *Fæniculi & scabiosæ sacchari Cando* edulcorata.

Vel

Vel *Claretum meum Pectorale*: Claretum nostrum pectorale.

℞. ▽æ *Card. bened.*
Scabios.
Veronic.
Tussilag. aa ℥j.
Sacchar. alb. cand. q. s.

Fiat Mixtura instar tenuioris Syrupi.

Pro parvulis etiam summe valet *Syrupus de Rosis siccus, de Papavere, de Tussilagine, de Jujubis, Violar.* &c. *Rotul. Diatragacant. frig.* Quod si vero jam præsens fluxio in pulmonem irruat, ac raucedinem & suffocationem inducat, non solum remediis prædictis cohibenda erit, sed etiam revellenda per cucurbitulas tùm siccas, tùm scarificatas: imò sæpe post Variolas & Morbillos ob varias causas pulmo ità labefactatur, ut etiam pus fundat: in hoc casu præter diætam frigidam, in usum trahenda sunt *antiphthisica.* Inter cætera sequenti destillato feliciter usus est Dolæus, in quo exhibuit simul *Balsamum* ♀*is Anisatum* ad guttas aliquot:

Syrupi pro parvulis. Quomodo fluxio in pulmonem irruens & suffocationem minitans cohibenda. Dolæi destillatum in pulmone affecto efficax.

℞. *Herb. Veronic.*
Hepat. nob.
Rutæ Murar.
Sanicul.
Flor. Scabios.
Papaver. Rhead.
Bellid. utriusque.
Hyperici.
Aquileg. aa Mj.
Rad. Tussilagin.
Fænicul.
Scorzoner. aa ℥j.

Concis: & Contus. Infunde in ▽ *Scabios: Papaver. Rhœad. Pimpinell. Beccabung.* & fac s. a. destillatum.

Riverius in metu suffocationis adhibet vesicatoria. Gargarismus ex Cerevisia calida cum butyro rec.

Riverius *Cent.* 2. *Obs.* 45. In metu suffocationis ex materia tenui, acri & copiosa applicuit *vesicatorium* cervici, & exhibuit *Laudan. Opiat. gr. ij.* & si opus fuit, hoc remedium reiteravit. Utile quoque erit ad derivationem faciendam, ut patientes sæpius gargarizent *cerevisiam calidam* cum modico *butyri insulsi* vel *lac tepidum* cum *sacchraro*, *Cremorem hordei* dilutiorem, vel potum ordinarium.

Morbi Renum.

Affectus Renum. Mictio cruenta.

Renes etiam sæpius afficiuntur & exulcerationem patiuntur, unde sanguinis mictus, seu mictio cruenta &c. oriuntur, pro qua dorsum & lumbos inungit Timæus *Ol. Amygdalar. dulcium*; Renes vero defendit & sanat, uti & mictum cruentum sistit sequens *Emulsio* Timæi.

Emulsio Dolæi in mictu cruento.

℞. *Sem.* 4. *frig. maj. excort. aa* ʒj.
▽*æ Plantag.*
Rosar. aa ℥iij.
F. Emulsio, adde
Succin. alb. ppt.
Trochis. Alkekeng. aa ℈j.
Manus Chrit. perlat. ʒij. Misce.

Trochisci ad mictionem cruentam in declinatione usurpandi. Urinæ suppressio unde? Et quomodo curanda.

Dolæus in mictione cruenta suadet *trochiscos Alkekengi, de Carabe*, sed nunquam in principio, sed in declinatione adhibendos, in vehiculis debitis. In suppressione, quæ dependet à magna confusione spirituum excretioni urinæ inservientium, ob sanguinem & humores in primo fervore agitatos exortâ serviunt *diuretica* levia, & juxta Sydenham ægrum ex lecto eximere, ne nimium & continuò sudet, juxta illud: *qui multum sudat, parum urinat.*

Mor-

Morbi Intestinorum

AD intestina defendenda nihil est melius, quàm *lentes* bis coctæ in ▽ *Plantaginis* vel *Tormentillæ*; Prima decoctio abiicitur, secunda adhibeatur pro potu, est excellens, teste Timæo. Item *Syrupus Cydonior. Myrtillorum, Rob Ribium, Semen Plantaginis.* Affectus intestinorum. Decoctum Lentium est præstans ad defendenda intestina.

Quod si alvus fiat laxior, quod ordinariè in Variolis confluentibus, ob materiæ copiam humiditatem & acrimoniam fieri solet, in quibus tamen non nimis citò sistenda, semper superiùs dictis remediis sudoriferis *adstringentia* admisceri poterunt, utpote *Corallia præparata, Bolus armena,* ▽ *Sigillata, Tormentilla, pannus scarlatus tostus, Confect. de Hyacintho.* Ego omnibus præfero *Pulverem Bezoarticum Sennerti*, per se vel cum aliis datum, *Semine* nempe *Plantaginis, Acetosæ*, & dosim sudoriferorum cum adstringentibus augeo, etiam in duplum; in omnibus jusculis & panatellis detur *Gelatina* C. C. ad cochlear j. vel. ij. Etiam fiunt panatellæ ex *Amylo*; quod tamen (NB) sine calce sit factum. Alvus laxa quibus sistenda. Nostra opinio. Amylum quale esse debeat pro panatellis.

Si autem vehementiùs urgeat fluxus alvi, in hoc morbo funestus, ad *Clysteres*, primo *abstergentes*, mox ad omninò *adstringentes* confugiendum est, e. gr. *Clyster abstergens* statim iniiciendus: Vehemens alvi fluxus ut curandus. Clyster abstergens.

℞. *Decoct. hordei.* ℥x.
Mell. Rosat. colat. ℥j. vel ℥ß. Misce.

Fiat clyster. Vel. Alius.

℞. *Brodii Carnis.* ℥x.
Sacchar. Thom. ℥ij.
Vitell. Ovor. No. ij. f. Clyster.

Vel

Vel si adsint tormina;

Clyster ubi adsunt tormina.

℞. *Malv.*
Violar.
Mercurial.
*Verbasc. aa M*ß.
Coque in *Aqua bordei.*
℞. *Decocti hujus.* ℥x.
Mell. Rosat. ℥j. *vel* ℥iß.
Vel loco hujus *Sacch. Thom.* ℥ij.
Vitell. Ovor. No. ij.
Fiat Clyster, quô rejectô succedat alius adstringens, v.gr.

Clyster adstringens.

℞. *Hordei* (in frixorio supra ignem) *tosti.* Mij.
Rad. Tormentill.
Bistort. aa ℥ß.
Rosar. Rubear. *p.* ij.

Decoque in ▽ *Fabrorum*, vel in ▽ in qua lateres vel silices igniti extincti fuerunt *ad* ℥v. *vel* ℥vij. In Colatura dissolve Syr. *de Ros.* ℥iß. 🜄 *Lemniæ*, *sang. Dracon. boli Armen. aa* ʒiß. Misce fiat *Clyster.*

Alius adstringens.

Vel ℞. *Lact. Vaccin.* cum *bordeo*, Rad. *Tormentill.* & *Oriza* decocti ℥viij. plus minus. Solve in hoc *sacchar. rub.* ℥i, vel ℥iv. *Vitell. Ovor No.* ij.

Vel *Clyster meus adstringens* in dysenteria expertissimus.

Noster Clyster adstringens expertissimus.

℞. ▽ *fontan.* in qua lateres igniti sæpius extincti fuerunt *q. s.* in hac Coque
Caput. Vervecis No. j.
Herb. Sanicul.
Plantag.
Poylgoni
*Burs. pastor. aa cum toto. M*ß.

Rad.

Rad. Serpentar.
Tormentill.
Bistort.
Consolid. maj. ana ℥ß.
Sem. Plantag.
Portulac.
Lini ana contus. ʒiij,
Flor. Verbasci
Balaustior.
Rosar. rub.
Hyperic.
Papaver. Errat. ana p. ij.
Cort. Granator. pulverisat.
Granor, Myrthi. contus. ana ʒij.

Factâ sufficienti coctione, servetur ad usum.

℞. *hujus decocti.* ℥v. *In hoc disolve*
Gelatin. C. C. ℥j.
Syr. de Rosis siccis. ʒvj
Boli armen.
Sang. dracon.
Gumm. Tragacant. ana ʒj. Misce

NB. *Clyster adstringens* semper debet esse in minori dosi, nè nimia quantitas & pondus stimulet ad excretionem, quô enim diutius restinentur, eò semper meliùs. Clysteres adstringentes debent dari in parva dosi.

Per os verò pro majori adstrictione adhiberi potest *Pulvis meus supradictus* ad Variolas & Morbillos, vel sequens:

Pulvis adstringens intrò sumendus.

℞. *Panni scarlati tosti*
Boli Armen.
Rad. Tormentill. ana ℈ß.
Lap. Bezoar. Orient. gr. iij.
Corall. rub. præp. gr. xv.

 F. Pul-

F. Pulvis pro duabus dosibus, propinetur cum *Aqua Tormentillæ* vel *Plantaginis*. Vel sequens quoque optimus erit:

Alius.

℞. *Rad. Bistort.* ʒij.
Magist. Perlar.
Corallor. ana ʒß.
Pulv. Viverar. ver. ʒij
Ocul. ♋ *præp.* ʒj.
Sacch. Candi. ℥j. Misce f. Pulvis,

Dosis ʒß. sumendus ut prior.

Alius ad idem.

Vel ℞. *Corall. utriusq. ppt.*
Margarit. ppt.
C. C. usti ana ʒi.
Sacchar. Rosat. ad pondus omnium.

M. f. Pulvis cum jusculis & panatellis sumendus.

Bolus adstringens.

Vel ℞. *Elect. Discord.* ʒj. *p. m.*
Confect. Alkerm. vel de Hyacinth. ʒß.
Bezoar. occidental. gr. xv. vel xx.
Corall. rub. præpt. ℈j.
C. C. ust. præpt. ʒß. Misce f. Bolus, detur cum *Gelat. C. C.* vel solvatur in ▽ *Tormentillæ*. Est efficax Muræi.

Præstat in diarrhæa sumere Pulveres in jusculo calido quàm aquis frigidis.

Multum etiam juvat in diarrhæa, si medicamenta dentur in calido jusculo loco aquarum, & si actualis calor juvat ad retentionem, faciliorem distributionem, & consequenter expulsionem.

Riverius *Observat. Cent.* 1. *observ.* 71. & *Cent.* 2. *Observ.* 2. plurimos Variolantes & Morbillantes hisce remediis in dysenteria & diarrhæa salvavit. In dysentericis Variolantibus & Morbillantibus præscripsit sequentem *Clysterem* bis vel sæpiùs de die injiciendum

Clyster in Variolantibus dysentericis Riverii.

℞. *Rosar. rubrar. p. j.*
Santal. rub. ʒß.
Liquirit. rasæ &
Passular. integr. ℥j.

Coque

Coque in *jusculo capitis vervecis.* In colatura ℥v. vel ℥vj dissolve *Confect. de hyacinth.* ʒiij.
Conserv. Rosar. per setaceum traject. ℥ ß.
Vitell. ovor. Num. 1. F. Clyster.

Hunc *Julepum* dedit bis in die.

Julapium ejusdem.

℞. ▽ *scabios.*
Card. bened. ana ℥iß.
Syr. de Rosis siccis. ℥j:
Corall. ppt.
Margarit. ptpt. ana ℈ß.
Lap. Bezoar. orient. gr. iij.
Confection. de Hyacinth. ʒß.
M. f. Julapium.

Potio ad diarrhæam & Variolas depressas.

Et simul inguina & axillas frequenter inunxit *Oleo Scorpionum Matthioli.* In Variolantibus & Morbillantibus cum diarrhæa, & ad Variolas depressas tumefaciendas sæpiùs mirè profuit hæc *Potio*:

℞. *Rad. Pentaphyll.*
Tormentill ana ℥j.
Fol. Scabios.
Pimpinell. ana Mj.
scordii. p. j.
Santal. Citrin. ʒij.

Coque ad ℥ ix. pro tribus dosibus, cuiq; dosi addendo *Confection. de hyacinth.* ʒß. *Trochisc. Viperin.* ℈ß. *Lap. bezoar. Orient. gr.* iv. F. Potio bis de die sumenda ab adultis, Lac verò sugentibus adhibeatur frequenter cochleatim.

Quod si magis stringendum foret, ego suaderem adhuc addendum esse *Pulv. Rad. Tormentillæ* ℈ ß. *p. m.*

Mixtura D. Grulling ad idem.

Vel Grülingii ℞. *Aq. Tormentill.* ℥ij.
Cinamom. cydoniat. ℥j.

Syr. Corallor. ℥ß.
Tinct. Papaver. Errat. ʒß.
Laudan. Opiat. gr. ij. Misce.

Pro dosi in adulto, in infantibus sæpius cochleatim.

Adstringentia extrinseca.

Adstringentia ventri quoque, sed calidè applicari poterunt, uti sunt *Unguentum Comitissæ*, vel *fomenta ex decocto Foliorum Plantaginis* cum *rubro vino* facta, calidèque applicata.

Vel quod tutiùs & expertum, ventri applicetur *panis calidus* & *tostus*, sed diù tamen non relinquatur, nè madefiat, potest etiam inungi ille panis modicâ *theriacâ*, sed penes vehementer insistendum *diaphoreticis*, ut motus iste ab aluo ad poros derivetur, & ideò, ut supra diximus, etiam dosis in duplo dari potest.

Potus in diarrhæa Variolantium.

Potus sit *Decoctum CC. Tormentill* & *Mastichis*, & si vires sint debiles, adde *Vinum rubrum*, vel dentur quandoq; aliquot cochlearia *Vini cydoniati* & acidi, non tamen austeri quod aluum stipat, & tamen Variolas & Morbillos propellit. Debet autem attemperari *Aqua Carduibenedicti* cum *Syrupo*, aliàs pectus ferit, & caput tentat, & consequenter difficilem respirationem & delirium causat. Ego satiùs adhibeo *Syrup. Cydoniat.* cochlear unum vel alterum, qui non tam facilè partes aggreditur, & tamen stipat & restaurat.

Alui fluxu in Variolantibus â lumbricis ortus ut dignosci possit & curari.

Advertendum hic benè est, alui fluxum non rarò in pueris Variolis laborantibus â lumbricis excitari eumq; toto fere morbi decursu perdurare, unde vitæ periculum imminet, quoque expulsio Variolarum impeditur aut imminuitur, idque facilè dignoscitur ex dejectione, crassitie & colore albicante, tunc enim *lumbricos enecantia* exhibenda sunt & *clysteres dulces* inii ciendi.

Pru-

Pruritus & Dolor ingens in toto Corpore à Variolis & Morbillis præsertim in plantis pedum & Volis manuum.

Dolor & pruritus in toto corpore à Variolis & Morbillis. Quare dolor ille præcipuè in volis manuum & plantis pedum urgeat? & quæ hujus causa?

MOrbô jam in statu existente, dolor ingens in toto corpore], præsertim in plantis pedum & volis manuum ægrotum torquet, quem & pruritus intolerabilis excipit, eò quod densior in iis partibus cutis, eruptionem prohibeat. Sed quæret quis quænam sit ejus causa? Antiqui respondent, esse humores acres, biliosos, serosos &c. Neoterici verò dicunt, esse acrimoniam, quam triplicem statuunt, salinam seu lixiviam, seu alcalinam seu austeram & mixtam. Ab acrimonia salina fit cutis mortificatio, uti contingit in Gangræna & maculis gangrænosis, quales in peste sunt frequentes, & nigræ sunt aut lividæ. Ab acrimonia acida corrumpitur quoq; pars, sed absque mortificatione tali, ut pars tunc corrupta non nigrescat sed albescat potiùs, postquam priùs rubuerit, ut fit in Variolis. Ab acrimonia mixta attolluntur primùm tubercula rubentia & ardentia, sed albam, aliquando lividam pustulam in medio habentia, saniem fœdam & lividam effundentia, & mixto modo partes corrumpentia, ùti fit in anthracibus. Meritò igitur censemus cum Doctissimo Sylvio, peccare in variolis acrimoniam acidam, & ab eadem pruritum & dolorem, ut jam dictum excitari. Dixi acidum intellige acidum obtusum, non acre, quod tàmdiu in corpore sine noxa latere non potest.

Acrimonia est triplex juxta Neotericos. Quid causetur ab acrimonia salina. Quid ab acida. Quid à mixta. Qualis acrimonia peccet in Variolis. Quale acidum sit illud.

Hisce malis occurritur sequentibus *fomentis emollientibus & anodynis*, v. gr. immittendo membra, scilicet manus & pedes in aquam calidam, quod pro secreto habet Forestus, faciem verò prurientem sequenti *Decocto* fovet Riverius:

Curatio dictorum malorum. Decoctum ad faciem prurientem Riverii.

℞. *Fol. Maluæ*
Parietariæ ana M ß.
Flor. Chamomill.
Meliloti ana p. j.

Decoq; in *Aqua Scabiosæ* ad ℔j. Colaturæ adde ▽æ *Caprifolii* ℥iij. Hâc colaturâ calidè foventur Variolæ, spongiâ vel gossypio intinctis.

Curatio juxta nos pruritûs & doloris in Variolis.

Ego pro maturandis, emolliendis, prurientibus, & simul dolentibus Variolis sedandis, expertum habeo sequens: Accipitur bona portio *Lardi recentis*, sed *non salsi*, coquitur] bene & tectim in *aqua* ut ferveat, postmodum ablato ollæ operculo, vapor calidus emittitur in faciem, manus, pedes & ubi Variolæ dolent, quod etiam si opus fuerit, cum moderatione tamen reiterari potest. Hoc remedium etiam singulariter]servit in casu illo, quando à quibusdam Variolæ ante tempus acu aperiuntur, quò fit ut dolor enormis, febris & delirium excitetur, cui obviam iri potest facilè mox dictô remedio.

Aliorum curationes.

Alij accipiunt *Lardum vetus non salitum*, sæpiùs in ▽ *Rosarum*, vel ▽ *Plantaginis* lotum, & in terreo vel vitreo mortario benè contusum, quo toto morbi tempore ad maturandas, emolliendas, & nè dolorem inferant, Variolas, partes inungunt cum summo effectu, & continuant usq; ad morbi finem. Idem præstat *vapor ex aqua calida*. Alii in hoc passu adhibent *cerevisiam calidam* cum *butyro recenti*, quâ calidâ faciem fovent, & est expertum. Alii idipsum *jusculo carnis pingui vervecino non salito*. Alii *decocto Raparum* cum *butyro*. Alii *pinguedine porci* liquefactâ hoc ipsum præstant & optatum effectum consequuntur.

Grülingius, Riverius, Biningerus, in ingenti faciei pruritu sæpiùs sequenti *Decocto calido* suadent ut Variolæ pruri-

prurientes & dolentes cum bombace aut tenui linteo madefiant;

℞. *Fol. Parietar.* M j.
Flor. Chamomill.
Melilot. ana p. j.

Decoctum ad faciei pruritum.

Coque in *f. q. Aquæ scabiosæ ad* ℔ j. Colaturæ adde *aquæ Caprifolii* ℥iv. Misce quô facies, plantæ & volæ manuum calidè foveantur.

Pyens *de febribus pag.* 228. si pruritus maximus sit, illinit sequenti *Mixtura*:

℞. *Ol. Amygdal. dulc.* ℥ß.
Lilior. alb. ℨij.
Nucum
Ovorum, ana ℨj.
Scorpion. Matthiol. ℈ij.
Sacchar. Saturni gr. xiij. Misce.

Mixtura Piens ad pruritum.

Si valdè excruciarint, præsertim dum incipiunt arescere, inspergatur lectulo *farina lupinorum, Pisorum, Lentium, Cicerum*, dum verò inarecere nolunt, & tamen non amplius efflorescunt, & si suâ humiditate varia incommoda inferunt, tunc locus ille suffumigandus erit *Masticbe & Thure*.

Varia alia remedia ad idem.

Alii ad hoc ipsum utuntur *Unguento albo, pinguedine Gallinæ* & pauco *ceræ* intermixtæ. Alii in mitigando dolore & ardore utuntur *lacte muliebri* ex lactantis uberibus in facim patientis infuso.

Ettmüllerus, post eruptionem ut promptè maturescant, extrà spongiam cum *Sale* ♀ *ri* imprægnatam suadet ut blandè tangantur pustulæ, sic etiam mortificatur acidum, & sollitur erosio.

Ettmulleri consilium ad præcavendum pruritum.

Sed omnium optimum in maturandis, emolliendis & dolentibus Variolis est, continuare in bona dosi *expellentium*, & si tunc prorumpat sudor tantò meliùs, humores enim

Optimus modus procedendi.

Quæ culpa fit quòd quandoq; sudor non debitè succedat. Ægrotum culpâ. Adstantium.

enim aeres faciliùs cuti adhærent. Si sudor autem non benè succedat, id fit vel ægrorum, vel adstantium, vel Medicorum culpâ, cùm nimirum patientes fiunt impatientes & tegumenta sudori promovendo sufficientia ferre, aut sudorifera sumere nolunt. Adstantes pariter peccant, quando non satis attendunt, & durante febre non rarò delirantes, atque sudore prorumpente corpus denudantes ægros non satis tegunt, aut disuadent ex innata & præsumptuosa inscitia, nè remediis à Medicis præscriptis utantur, quô fit, ut farinæ hujus hominibus ægri magis obedientes esse soleant quâm ipsis Medicis. Medicorum itidem accidit culpa, quoties ipsi parum in arte periti, negliunt necessariò præscribenda.

Medicorum culpâ.

Scroti affectus.

Scroti affectus &c.

SCrotum in masculis quandoque copiosiùs inuaditur, & quidem non sine magno gangrænæ in parte exsangui facilè succedentis periculo, ut legere est casum apud Thiermair ex Ignatio Satlero *lib. 1. cap. 9. fol. 106.*

Quomodo scrotum à Variolis præmuniendum. Respondetur primò.

Quæritur autem, an, & quomodo Scrotum sit â Variolis præmuniendum? *Resp. Primò*, Fieri id potest, ut præmuniatur, si ità videbitur, sed moderat is, nè scilicet impensè refrigerantibus ad partes illas admotis, sanguinis in toto corpore ebullitionem, fermentationem, ad Variolas expellendas necessariam, confestim sistamus & figamus, ut videre contingit in periculosis narium hæmorrhagiis, à sanguinis fervore & ebultitione procedentibus, in quibus vix alio medio, quàm appositis ad genitalia intensè refrigerantibus; fervorem & effusionem sanguinis tàm promptè compesci experimur. *Resp. Secundò.* Quod si verò scrotum occupantibus copiosè Variolis suppuratis exulceratum, ex ulcere negligentiùs attentô gangræna in sphacelum degenerante

Respondetur secundò.

nerante correptum; & metus sit ne testiculi quoque deperdantur, si sphacelus ulterius serperet, hoc præcavere omni studio, oportet, factâ partium sphacelatarum citâ separatione, ope præcipitati rubri cum digestivo Rosato mixti; quod ubi factum fuerit, ut deciduis partibus sphacelatis, nudos tunica vaginali repositos testiculos videre contingat, sine scroti operculo, tùm ejus regenerationem, post ulceris canonicam curatioem, per sarcotica & epulotica procurare oportebit.

Faciei Morbi.

Morbi faciei.

MAxima inter cætera solicitudo & præsertim apud procaces suæ formæ fæminas, non tantùm dictas modo corporis partes, ab omnibus Variolarum damnis ac injuriis vindicare, quantum omnibus viribus adlaborare, faciem â cicatricum deformitate tueri, iis enim profectò graviùs nihil unquam accidere potest, quàm deformes haberi, nihilque illas citiùs ad vindictam provocare advertitur, quam propriæ deformitatis obtrectationem & subsannationem cujus rei duplex posset statui ratio & causa, una divina, altera naturalis. Divina, quia DEUS mortalium superbientium & suis credentium coloribus, pænam in facie exstare voluit, ut formosus homo vitaret infamiam, deformis verò ut sciret rudimentum esse virtutibus, quidquid deesset corpori, prout rectè monet Seneca *Lib.* 1. *Naturalium quæst. Cap.* 17. Naturalis causa, quam assignat Thomas Bartholinus *in sua cista Medica Loculo* 58. *Quæst.* 3. est, quod Variolarum maligna qualitas, faciei præ aliis sit infesta ex singulari proprietate, sicut Narcotica cerebro, Lepus marinus pulmonibus, Cantharides vesicæ &c.

Duplex assignatur Variolarum faciem potissimum deturpantium causa, Divina & Naturalis.

Varii varia pro tuenda præsertim fœminarum facie excogitarunt curiosiores. Tota facies ex Timæo custodietur, si statim ab initio *cucurbitulæ* scapulis & femoribus applicatæ, facies omni die *Aquâ Rosarum tepidâ* in qua

Præservatio & custodia faciei juxta Timæum.

modicum *Croci* solutum sit bis vel ter lavetur. Vel sequens adhibeatur ejusdem:

℞. *Sumach grosso modo conquassat.* ℥ij.
Aq. Plantag.
Rosar. ana. ℥iij.

Ebulliant bis aut ter, postea colentur & adde
Camphor. ℈j.
Croci gr. iv. Misce pro usu.

Inunctio ad emollitionem & maturationem Variolarum in facie & quando adhibenda.

Pro maturandis & emolliendis quæ duræ sunt in facie Variolis, sufficit ex Sorbait Foresto & Timæo inunctio ex *Oleo recenti amygdalar. dulc.* si, cum Variolæ jam maturuerunt, & in medio albicantes eminent (quod circa nonum, in quibusdam verò vix ante decimum quartum morbi diem solet fieri) dicto oleo cum penna illinantur bis in die usq; ad crustarum casum, hoc enim remedio temperatur acrimonia ac maturatio acceleratur, & crustarum casus promovetur id quod fidâ experientiâ commendat. Forestus *Lib. 6. Obs.* 57. & Grülingius *Obs. Cent.* 4. *Curat.* 46. *Hoc remedio* inquit *nihil est præstantiùs, sedat dolorem, maturat, ardori confert, asperitates tollit, & excoriationem mirè sanat.*

Quid ægro cavendum ut evitet foveas in facie.

Vel pro præcavendis foveis in facie, proque maturandis Variolis, ante omnia prævidendum nè æger manibus prurientem locum scalpat & excoriet, factæ enim cicatrices, ut mox dicetur adimi non possunt, quidquid Recentiorum industria hactenus excogitârit, sufficit si aliquantulum emendentur.

Alii adhibent ad evitandas foveas aurum. Quid circa hoc notandum.

Alii ad evitandas foveas & maculas adhibent *folia auri*, ubi tamen bene notandum, si aurum purum hoc est illa folia quæ non sunt imposita rubris libellis (qui libelli Bolo sunt imbuti) accipiunt, tum bene fit: si verò aurum adhibent, quod in similibus libellis detinetur, pessimè faciunt,

ciunt, quia bolus refrigerat, repellit, conſtringit & augmentum Variolarum impedit: hinc dolores, febres & alia varia ſymptomata, quæ mihi apud quoſdam patientes, dum me inſcio ſimilia folia auri impoſuiſſent, non ſine periculo acciderunt. Digbæus in hoc caſu hoc modo procedit: quamprimùm Variolæ erumpunt, tota facies *Oleo Amygdalar. dulc.* largiter inungitur, hinc *folia auri* faciei & oculis applicantur, intra decem vel duodecim dies cadent cruſtæ, nullâ foveâ relictâ, eſt expertiſſimum. Alii pro medendis maculis & cicatricibus adhibent ſequens *Unguentum* probatum:

Digbæi modus ad evitandas foveas faciei.

Unguentum ad medendas maculas.

℞. *Ol. Amygdal. dulc.*
Lilior. albor. ana ℥j.
Pinguedin. Capon. ℥iij.
Rad. Pæon.
Ireos florent.
Litbargyrii
Sacchari ana ʒj.

Miſce in mortario calido, & per linteum extrahe, factum *Unguentum* ablue cum *Aqua florum omnium*, vel ea quæ â pedibus vituli deſtillata fuit, eſt probatum. Alii ad delenda veſtigia & concavitates utuntur *axungiâ ſuillâ*, vel *axungia piſci Aſchi*, cum *Camphora* non nihil alterata, quæ valde excellit in explendis foveis Variolarum. Grülingius ſequens *Unguentum* pro veſtigiis poſt Variolas in facie & manibus inunguendis expertiſſimum recommendat;

Aliud experimentum ad diem.

Unguentum Grulingii ad explendas foveas.

℞. *Ol. Amygdal. dulc. rec. expreſs.* ℥iß.
Lilior. alb. ℥j
Axung. Gallin. ℥ß.
Sarcocoll.
Gum. Tragacthan.
Arabici ana ʒiiß.

Litharg. Auri ℥ij.
Farin. Lupinor.
Cicerum
Oryzæ ana ℥iß.
Pulv. Rad. Pæon. ℥ß.
Sacchar. ℥j.

Liniment-
tum Paræi
ad fædas
cicatrices
compla-
nandas.

Conterantur conterenda subtilissimè & misce in mortario, superaffundendo *Aquæ Rosarum*, *Lilior. albor. Fabar. q. s.* ut fiat *Linimentum* molle. Paræus ad fædas faciei cicatrices complanandas & bonum colorem recuperandum, commendat sequens *Linimentum*:

℞. *Amyli triticei sine calce ppt.*
Amygdalar. excortic. ana ℥iij.
Gum. Tragacthan. ℥j.
Sem. Melon.
Fabar. exorticat.
Farin. Hordei ana ℥vj.

In pulverem redigantur omnia subtiliter, deinde incorporentur *Aquâ Rosar.* & fiat *Linimentum* ad faciei litum vesperi ex penna, manè verò id abstergatur facie lotâ, aquâ furfurum frumenti.

Aliorum
opiniones
de delen-
dis foveis.

Alii ad delendas omnes foveas & ad acquirendam nitidam faciei pellem *Oleum Olivarum* optimum fundunt ad orbem stanneum & in illud per modum sæpe diu inspiciunt, credentes pulcherrimam exinde nasci cutis speciem

Alii quamprimum Variolæ erumpere incipiunt, infantis pedes lacti bubulo calido immergunt, atque hâc methodo Variolarum majorem quantitatem in pedibus erumpere faciunt, emollitur enim cutis & pori dilatantur, ut feracissimè propullulent. Alii locô lactis calidi utuntur *vapore* ex *Decocto Herbarum emollientium* quò aliquoties pedes fovent.

Alii

Alii erumpentibus jam Variolis totam faciem fovent cum *Decocto* in quo *pisa* ad summam emollitiem excocta sunt. Alii faciem plumâ bis de die illinunt cum *Oleo Raparum* egregio successu. Alii *Oleum Nucum* recommendant. Alii *Lardum* in camino fumatum & in forcipe ignito seu ab igne candente assatum seu tostum & liquatum *Aquâ Rosacea* exceptum instar mollis Unguenti, feliter illinire solent. Alii *porci masculi* recens mactati *omentum* in veru ad ignem assant, & destillantem pinguedinem suppositâ *aqua Rosarum* excipiunt, eâque totam faciem obliniunt, mox tegunt ejusdem porci lardo recenti in tenues laminas conciso, bis de die renovando usque ad perfectam Variolarum maturationem & decidentiam, est secretum Magnatum. Aliorum plura consilia.

Diemerbröeck suis ægris suadet, ut in principio molli spongia foveant totam faciem cum *jure carnis vervecinæ* ad summam mollitiem coctæ, ablatâ tamen pinguedine (pinguedo enim cutem nonnihil denigrat) idque aliquoties de die repetunt usque ad Variolarum maturationem, reliquum naturæ committunt. Dimerbroeck consilium.

Alii cum successu inungunt *Oleo Tartari* cum *Saccharo Saturni* mixto. Alii sequentem *Pulverem* proponunt: Oleum ad faciem ungendam. Pulvis ad idem.

℞. *Farin. Lentium.*
Fabar.
Orobi ana ℥ß.
Litbargyrij
Ceruss. lot.
Tutiæ pp.
Nibil alb. ana ʒij.
Concbar. Marinar. ppt.
Rad. Arundinis
Croci Metallor. ana ʒj.

Misce F. *Pulvis*, cujus usus est, postquam maturæ pu-

ſtulæ & per acum vel forcipem apertæ ſunt, pulverem hunc inſperge partibus, & in lectum quoque infantis eundem inſperge,

Cnöffelii remedium contra Variolas faciei.

Andreas Cnöffelius autem præſentiſſimum remedium contra Variolas faciei, nè tam fortiter vel confluant, vel faciem dehoneſtent, proponit ſequens: In initio prorumpentium Variolarum ſtatim debet facies illiniri *ſpiritu Vini myrrhiſato* ad 2. dies, repetitis vicibus: prælerlapſis diebus *ſaccharum Saturni Aqua Roſarum* mixtum linteaminibus intinctis faciei calidè applicetur, idq; reiterando ſæpiùs, quod ſi patientes linteamina renuant, poteſt tota facies levi pennâ hâc mixturâ ſaturatâ illiniri, quod ſæpiùs cum maximo emolumento applicatum eſſe obſervatum eſt ab eodem Authore, qui aſſerit, quod etſi Variolæ copioſæ fuerint, relictas tamen poſthac cicatrices vix apparuiſſe, & non incongruam faciei formam effigurâſſe.

Aliud experimentum, ad idem.

Sequens mihi â quodam magnæ praxeos Viro pro expertiſſimo concreditum eſt, nimirum uberem Variolarum proventum in facie inhiberi, ſi mox primo invaſionis tempore, pedes vaporibus ex *Decocto herbarum emollientium* ſurgentibus aliquoties foveantur: & ratio datur; quia ſanguinis fermentantis ad inferiores partes hoc modo fit revulſio; pedes enim & crura â vaporibus non tantum incaleſcunt, ſed & emolliuntur & reſerantur eorum vaſa & externæ partes carnoſæ: hinc quia copiſiùs ſanguis in iis colligitur, ſanguinis ebullientis in partibus ſuperioribus fit revulſio.

Hoc experimentum confirmat ſimile præſervativum quod habet Franciſcus Le boe Sylvius, *praxi Medic. Lib. 4. Tract. 1. Cap. 9. §. 76. Habent*, inquit, *aliqui in more poſitum, quod faciem à multitudine Variolarum liberent, illasq; ad pedes derivent, ut in lac bubulum calens infantum pedes immergant, & quidem cùm primum emergere incipiunt Variolæ*

Variolæ, quod successu non caret, quamvis non sine notabili pedum detrimento, qui dum Variolis replentur, à quibus dolores ibidem excitantur gravissimi, succedente diuturna pedum debilitate, consulitur tamen sic formæ.

Beckerus & ex eo plures firmiter credunt Variolas è capite ad manus averti posse, si *succini* armillas manibus quis portaverit. Clarissimus Mateis Archiater Bavaricus refert ad faciem â Variolis præservandam Viennæ dorso seu scapulis apponi *vesicatoria*, de quibus tanquam maximo in Variolis remedio scripsit Valentinus de Phe *pag.* 161. Hieronymus Velschius *Episagmate* 88. narrat Elisabetham Angliæ Reginam contractas Variolarum suppuratione maculas in se ipsa delevisse *emulsione* lacteâ ex *semine canabino*, separatis corticibus cum *aqua Rosarum* parata, & cum gossypio admota. Alii ad hoc *aquam Fabarum* extollunt. Sequens *Linimentum* teste Sorbait est instar omnium. ℞. *Lardi quantumvis*, id liquefac & cola, colatum *aqua Rosarum* benè ad albedinem lava, deinde adde *Ol. amygdalar. dulcium* recenter & sine igne expressum, & *amyli* parum. Fiat *Linimentum* molle, quod inungi potest ipsi faciei usq; ad decidentiam Variolarum, imò etiam post eam.

Varia alia variorum præservativa ad defendendam â Variolis faciem.

Linimentum ex Sorbait.

Grülingius commendat *linimentum* ex *ovo recenti* in *butyro* frixo, & *aquâ frigida* condensatum cum *aqua Rosarum* loto, de quo mox supra in accidentibus oculorum ad palpebras connatas diximus. Arabes ad Variolarum exsiccationem, laudabant salitionem, sed non est utendum solo sale, faciem enim totam inflammat, & dolorem infert ob acrimoniam, ideò etiam hujus sæculi remedium non est. Plerique Authores in ea sunt sententia & opinione, ut, si Variolæ repletæ sunt pure, argenteâ vel aureâ acu aperiantur, aut stylo, eò quod (teste Gesnero) non tantum ad expulsionem Variolarum conferant, sed quod glutinandi roborandiq; vi polleat, ægrosq; delectet, ut pus subjectum

Quidam Authores judicant Variolas acu aureâ aut argenteâ aperiendas.

carnem

carnem non erodat, & foveas faciat, pus postmodum puro linteo abstergatur & exsiccetur. Sed è contra saniores Medici id saniùs, ac potiùs naturæ relinquunt, maximè si pus album & coctum sit, cùm tale nullâ amplius acredine dotatum sit, ergò superflua est apertio, quia sub talibus nova caro facilè succrescit, ut testatur Mercurialis *Lib.* 1. *de Morbis puerorum Cap.* 2. Experientia enim testatur, Variolas quæ spontè rumpuntur & siccantur minores post se relinquere foveas, quàm illas quæ arte apertæ sunt; hoc quidem inpraxi observavi, si illæ quæ jam per se ruperunt, vel denuo repletæ, ve non totaliter evacuatæ sint, transfodantur, mediis convenientibus illinantur, rem bene successisse, sic etiam si sanies exanthematum livida, aquosa & indigesta appareat, eáque ex aëris contagione pullulârit, tum ab acredinem & virulentiam humorum nè exedant, tum ut virus exhalet, aperire oportet, exili tamen foramine, nè amplô factô, âeri extraneo locus detur. Hinc etiam per consequens nec consultum est ipsas crustas nisi optimè jam arefactæ sint, ante tempus tollere, nè immaturè abreptæ, novum post se ulcus relinquant, quod si tamen præter spem contingar, inungatur *Unguento de Litbargyrio Montagnanæ*, quod probatum est in hoc casu, teste Timæo, cujus hæc est descriptio & quidem correcta

Quid de hac apertione sentiendum.

In quo casu possint tales apertiones adhiberi.

Unguentum Montagnanæ ad faciem, dum crustæ immaturæ abripiuntur.

℞. *Litbargyrii* ℥ij.
Cerufs. ʒß.
Aceti ℥j.
Ol. Rosar. ℥iiß.

F. Unguentum in mortario plumbeo optimè agitatum.

Quod si ulcera exedentia sint orta, unde ingens faciei turpitudo eventura esset, ungenda illa est *Unguento* albo *Rhasis campborato*, *Oleo Ovorum*, *sevo vervecino albo facto*, vel *pinguedine Infantis* recens editi circa ejus dorsum reperta.

Linimenta ad ulcera exedentia faciei.

Timæ-

Timæus sequens recommendat: Linimentum Timæi ad ulcera faciei.

℞. *Axung. Hirci & Caponis aa* ℥ß.
Ol. Amygdal. dulc. rec express. ℥iß.
Lilior. alb. ℥j.
Gum. sarcocoll. ʒß.
Farin. Oryzæ
Lupinor. aa ʒj.
Marcasit. ʒß.
Rad. Ireos. ℈ij.
Bryon. ℈j.
Sacchari. ʒj.

Contunde omnia in mortario affundendo *Aq. Rosarum & Lilior. albor. aa q. s.* Contunde denuò & agita continuò, postmodum coletur & exprimatur per linteum manibus, & fiat *Unguentum* molle. Sequens etiam â multis laudatur.

℞. *Litbargyrii* Unguent ã ad idem.
Cerussæ
Cadmiæ lotæ
Pulv. Cannar. ustar.
Croci aa ℈ß.
Ol. Lilior. alb. ℥ij.
Ceræ ʒvj.
Misce fiat Unguentum

Ad hanc etiam rem conducunt multa Unguenta & Emplastra in officinis extantia ut *Unguentum de plumbo, de Tutia, de Litbargyrio, de Pompholige, Diachalciteos de Nicotiana, Tetrapharmacum, Emplastrum Stiticum Crollii, Unguentum Apostolorum, de Minio, Empl. album coctum &c.* Varia Unguenta & Emplastra eidem usui inservientia.

Ulcera harum fovearum si impura sint, prius elui possunt (ut prædicta remedia effectum meliorem sortiri possint)

 cum

Aquæ pro eluitione dictorum faciei ulcerum.

cum ▽ *Aristolochiæ*, *Card. bened.* Mellis, *Plantaginis*, *Rosarum*, *Saniculæ*, *Gentianæ*, *Gratia DEI*, *Hypericonis* &c.

Sed in hisce persæpe frustra desudatum est, cum cutis, utpote pars spermatica, si profundè exesa & consumpta sit, nullâ arte per medium homogeneum regenerari possit, sed per medium heterogeneum, scilicet turpes cicatrices. Quapropter consilio Foresti, aliorumque quamplurimorum, nil remedii potius admovendum esse, maximè quod pinguia & olea (excepto Amygdalarum dulcium oleô) concernit; quia facilè inflammantur, eaque vetat Galenus in Erysipelate. Idem dicendum videtur de *Narcoticis* & *Emplastris*, atque etiam *suppurantibus*, quia prima repellunt humorem ad interiora, Emplastra humoris diflationem prohibent. Suppurantia putredinem & corruptionem fovent, ut quotidiana docet experientia, sine maturatione spontè sæpissimè exsiccari.

Quid de his pinguibus & oleosis juxta Forestum sentiendû. Quid de Narcoticis Emplastris & suppurantibus.

Cavendum â repellentibus circa partes nobiles.

Svadent & alii ut Medici & Patientes præsertim fæminæ, indiscretæ formarum suarum amatrices caveant â repellentibus circa partes nobiles: nam hisce mediis sæpe factum est, ut reliquiis morbi intus repulsis, spe evitandarum fovearum, mortem sibi acceleraverunt: ut testatur Borellus *Cent.* 1. *Obs.* 64. Claudius ad foveas Variolarum pellendas summopere hoc *Linimentum* commendat:

Claudii linimentum.

℞. *Ol. Olivar.* ℥iß.
Succi Limon. ℥v.
Litharg. lot.
Cinerum Testudin. combust. aa ℥ß.
Pingued. Gallin. ℥ß. Misce.

Post hoc Linimentum facies abluatur *Decocto Lupinorum.*

Aliud Cosmeticum ad idem.

Dolæus ad rubedinem & maculas tollendas laudat *Pulv. Specificum* Mynsichti. Vel potiùs sequens *Cosmeticum.*

℞.

℞. ▽ *Spermat. Ranar.*
Sigill. Salomon.
Lilior. albor.
Flor. Fabar. *ãa* ℥j.
Fæcul. Aronis. ʒj.
Camphor. ℈ß.
Cosmetic. Clauii. ℈j. Misce.

Interim tamen absolutè non nego, quædam maturantia postulare, sed ad id *fotus*, ut dixi, sufficiunt emollientes; aut denique, hisce non obstantibus ad promovendam & accelerandam crustarum ex Variolis decidentiam, pro colore naturali recuperando, tollendaque rubedine quæ solet perdurare, in gratiam Virginum & Mulierecularum tanquam Medicorum fautricum, quæ pulchritudinis conservandæ studiosissimæ sunt, usus sum hactenus in praxi sequenti expertissimo & ab omnibus laudatissimo, atque ab honorandissimo meo quondam Professore Nicolao à Franchimond mihi communicato.

℞. *Ol. Ovor.*
Amygdal. dul. rec express.
Nucum Iugland. *aa* ℥ß.
Sevi Cervin. ʒiij.
M. Sig. Blatter Salben vor das Angesicht.

Nostrum linimentum ad tollendam post Variolas relictam faciei rubedinem expertissimū.

Mercurialis ad fœdum cutis colorem in Variolis laudat, ut singulis manè & vesperi facies & manus abluantur hoc *Cremore*:

℞. *Lupinor.*
Fabar.
Hordei aa piij.

Remedium Mercurialis ad tollendum fœdum cutis colorem.

Contunde grosso modo, & in *s. q. Aquæ* bulliant, donec aqua crassa maneat instar pultis, & sicuti in se est, eâdem facies abluatur, cui mirificum colorem reddit. Idem Author

Aliud ejusdem. thor extollit *aquam* ex duobus pedibus vituli, duobus pomis citri & duobus pugillis Serpentariæ destillatam. Alii utuntur solo *sevo vervecino recenti*, liquatô & pennâ inunctô. Alii *Aquam Florum omnium*, id est ex stercore vaccino mense Majo destillatam quæ est cosmeticum universale. Alii *Aquam Fabarum, Lapat. acut. Sigill. Salomon. Lilior alb. Aq. Mellis*, *Linariæ*. Alii *succum Aurantior. Citri*, *Limonum* cum jam dictis Aquis mixtum.

Plura si quis desideraverit hujus farinæ remedia, in Foresto, Quainero, Valesio de Taranta, Marcello Donato, Sennerto & aliis, abundè inveniet.

Quidnam sit optimũ tutissimum ad omnes scopos in Variolis obtinendos. Pro fine hujus mox dicti puncti bene notandum, meô judiciô in Variolis & Morbillis nullum melius nullum tutius nullum certius remedium, tàm ad defendendas partes externas & internas, quàm etiam præcavandas foveas & vestigia ullâ ratione & experientiâ commendari posse, quam diligentem, proportionatum & continuatum *expellentium* usum, quem ego hactenus usque ad 14. & si malignitas adfuerit in 18. & 20. diem impari tamen dosi & tempore, ut supra dictum, cum felicissimo effectu solitus sum continuare: Nam hisce diaphoreticis, ichor ille acris & erodens infringitur, & ad exhalationem seu transpirationem insensibilem disponitur, unde exsiccatæ Variolæ sponte decidunt, nullis aut exiguis post se relictis vestigiis.

Morbi Capillorum.

Morbi capillorum.

Remedia eosdem renasci facientia. CApillos post Variolas & Morbillos deperditos, renasci facit *cinis Allii* cum *Melle* mixtus: *Decoctum* Abrotani, *Capill.* ♀ *ris, Rutæ Murar. Politrich. Ceterach*, *Marrubii*, *flor. Rorismarin. Nymphææ*, *sem. Nasturtii*, *Erucæ*, *Staphisagriæ*. Plura vide in Sebitzio *part. 6. Cap. 30. pag.* 1819. Et sistem. Gisweinii suo loco.

Fe-

Febris post Variolas.

Diligenter attendum est, an non accedat febris continua post eruptionem factam Variolarum & Morbillorum, quæ patet ex ariditate linguæ circa decimam vel undecimam morbi diem apparente ex jactatione totius corporis, calore & siti &c. Hoc in casu, plerumque desperato, etsi omnes Variolæ exstent, contra vulgi opinionem, si corpus undique sit plethoricum, ob indicans febrile seu calorem præternaturaliter urgentem, phlebotomia, vel vicaria ejus scarificatio in parvulis celebrari jure meritò potest. Itâ tamen, ut immediatè post venæsectionem *diaphoretica* vehementiora porrigantur, ut supra dictum est, quin imò & interdum *modicè refrigerantia*, habito ad febrem respectu, exhiberi possunt, præsertim ea, quæ supra, de phretitide diximus.

Febris post Variolas erumpentes. Unde cognoscatur. Quid tunc agendum.

Quid post sectam Venam.

Convulsio, seu Motus convulsivi.

Convulsivi motus,

De remediis hujus accidentis, diximus superius inter Pulveres expellentes: Extra autem laudatur sequens *Unguentum*, cui eximiæ adscribuntur virtutes contra omnem epilepsiam præsertim Variolis, Morbillis, & febribus malignis supervenientem.

℞. *Cinnabar. nativ. rectif.* ℥ß.
Lapid. *Ophitis* ℥iß.
Magnet. ʒij.
Ol. destil. Macis.
Nuc. Moschat.
Quajaci
Lign. Corylini, aa gut. iij.
Confect. Alcherm. ʒi.
Ung. Alabastrin. q. s.

Unguentum contra Epilepsiam in Variolis fronti applicandum

 M.

Oleum ad idem.

M. f. *Uuguentum* ad frontem &c. Huic non impar est *Oleum Scorpionum magnum Matthioli* ut supra diximus, etiam dictis partibus inunctum.

Tumor post aures.

Tumor post Aures.

QUi quandoque Parotides mentitur, curatur sequenti *Fumo*, quô lintea suffumigentur & applicentur:

Suffumigium ad eundem curandum.

℞. *Spic. Ind.*
Oliban. aa ℥ß.
Succin. alb. ℥iß.
Myrrh. rub.
Storac. Calam. aa ʒij.
Flor. Rosar. rub. ℥iß.
Lavendul. ʒx.
Cheiri
Menth. sylu.
Antirrhin.
Origani
Primul. Veris. aa p. ij.

M. f. Pulvis grossus, in omnibus tumoribus & etiam doloribus magnis expertus.

Tumor pedum quibus curandus.

Tumor Pedum.

CUratur eodem *Suffumigio*, addendo *Flor. Sambuci*, & *Exspoliorum serpentum.* Vel adhibeatur *pediluvium* ex herbis emollientibus ac discutientibus, *Malva, Verbasco, Lauro, Flor. Sambuci*, *Chamomill.* in lacte vel Aqua factum.

Su-

Sudor nimius & colliquativus.

Sudor nimius & colliquativus. Remedia varia eundem curantia.

IN hoc prosunt *Flor. Papaver. Errat. Grana Chermes, Radices Acetos. sylvest. Tormentill. Bol. Armen. Corallia, Crystall. montan. Conserv. Acetosell. Syrupi & Succi Granator. Corallorum, Acetosell. Emulsio Amygdalar. Margarit. ppt. Spec. de Gemmis frig.* &c. ex quibus variæ remediorum formulæ præscribi possunt.

Alia & quidem plura symptomata & morbos Variolas & Morbillos antecedere, comitari & subsequi testatur Fehr. *de Scorzonera pag.* 79. Jonstonus *Lib.* 7. *pag.* 321. quæ quia nimis multa sunt & rarò inveniuntur, atque etiam ab Authoribus propriis & dilucidis capitibus abundè tractantur, quò lectorem mittimus, ideò solum eorum meminimus, quæ vel semper, vel utplurimum obvenire solent.

Fungorum in corpore post variolas enatorum curatio, juxta Forestū

Fungos plurimos post Variolas in corpore enatos & curatos, refert Borellus *Cent.* 1. *Obs.* 34. cum *Decocto Scorzoneræ, Tormentillæ, Carduibenedicti, Angelicæ, Scabiosæ* & aliorum Cardiacorum & sudoriferorum, quorum frequenti usu æger curatus est.

Consonum duxi utilitati publicæ, huic opusculo annectere observationes quasdem rariores, in casibus extraordinariis & quandoque quasi desperatis, feliciter peractas.

OBSERVATIO. I.

Observatio I.

De Puerpera variolante, cum immoderato Lochiorum fluxu.

ERat quædam Mulier, quæ parturiit eo tempore, quò in eadem domo illius proles Variolis detinerentur, quibus & ipsa per quoddam quasi contagium affici inceperat,

nam

nam ſecunda à partu die, cum incaleſcentia febrili & dolore in lumbis, puſtulæ erumpere cæperunt, quæ quidem per triduum lochiis moderatè fluentibus mollefieri & ritè aſſurgere videbantur, tametſi autem purgatio uterina eô tempôre copioſa obtigiſſet, Variolas tamen in toto corpore confitiſſimas habuit, æquè non tantùm in cutis ſuperficie, verùm etiam in oris & uteri cavitate loca impleûere, adeò ut vix loqui aut deglutire potuerit. Die puerperii ſexto lochia immoderatè fluebant, unde ſtatim cum Variolis flacceſcentibus, ſyncope, convulſiones crebræ, aliàque mali moris ſymptomata Ægram acceſſerunt, quæ mortem brevi minabantur. Accerſitus Medicus, præſcripſit *Pulveris ſequentis* ʒß. è cochleari *Julapii* ſubſequentis, trium horarum intervallis conſtanter aſſumendum:

Pulvis ad immoderatum fluxum lochiorum cohibendum. Julapium pro Pulvere.

℞. *Pulv. rad. Tormentill.* ʒij.
Boli armen. ppt. ʒj.
Spec. de Hyacinth. ʒß.
Miſce f. Pulvis.

℞. ▽ *Scord. Comp.*
Tracont.
Ulmar. aa ℥iij.
Acet. Theriacal. ℥j.
Syr. Corallor. ℥ii.
C. C. uſti. ʒß. Miſce F. Julapium.

Inſuper juſculis, ſicut & potulentis quibuſuis *Radices Tormentillæ* incoqui præceperat. His remediis purgatio uterina mox in totum ſiſtebatur, & Variolæ ſine graviori ſymptomate ſenſim maturatæ decidebant. Durus revera hic eſt caſus, & ideò cum magno diſcrimine abſolutus, nam & lochia, & Variolas intus cohibere, periculoſum erat, & tamen alterutrius plenior eruptio, alterius motum impediebat, quamdiu utræque inordinatè procedebant, res naturæ per

miſſa

missa moderatè se habuit, cum verò alterâ invalescente, artis opera requirebatur, lochijs fræna, Variolis autem stimulos adhibere oportuit, ut vita salvaretur.

Nota: Miror, hunc observationis Authorem frictiones in habitu corporis non adhibuisse, quæ motum humorum ad habitum prolicere, & Variolas feliciùs elicere solent. Frictiones in dicto casu fuissent proficuæ.

OBSERVATIO II.

Observatio II.

De Puero 3. annorum Variolante.

PUerulus trium annorum boni habitûs & plenus, cœpit febricitare cum capitis dolore & rubedine faciei, cum tussi quadam sicca & pruritu narium, dolor dorsi aderat, febris magna, calor intensus, pulsus magnus, celer, frequens, validus, lachrymæ involuntariæ, punctiones & pruritus per cutem vagabatur, eratque eô tempore, autumno scilicet, quo febris in puerulis cum Variolis ac Morbillis vagabatur. Casus.

Affectus est *febris Synocha putrida acuta*, quic quid alii susurrent, de genere earum, quæ mediæ sunt inter malignas & non malignas, quæ tertio vel quarto die transmittet exanthemata ad cutim. Est autem de genere Synocharum, quæ dicuntur ὁμότονοι, id est, quæ statim â principio vigorem habent, in eòque perseuerant ferè usque ad finem, & ex illis morbis est, qui epidemii dicuntur, quia vagantur in pueros, licèt non negem, quòd aliquando sporadici sint. Resolutio.

Causa antecedens, est *abundantia sanguinis* in toto corpore, qui fervorem concepit & ebullitionem, non solùm ob plenitudinem factâ obstructione, sed ob malam qualitatem ipsius fermentum excitans. Causa antecedens.

Causa procatarctica, fuit præcedens *austrina constitutio*, quæ humores ad putredinem concitare poterat: Nec tamen credendum est, malam qualitatem sanguinis menstrui ab Causa procatarctica.

Sanguis menstruus non est semper Variolarum causa. Probatur.

utero in partibus relictam semper esse causam hujus mali, nam hoc concesso, fuisset semper hic morbus â principio mundi, sed nullus Antiquorum hujus mentionem fecit, nisi rarissimè, ut, Hippocrates *6. Epid.* in Simone, ubi Variolarum meminit, nec earum Galenus unquam mentionem fecit; secùs esset, si adeò frequentes fuissent, sicuti nostris temporibus. Præterea si ab utero penderet morbus, in omnibus regionibus & mundi partibus semper fuissent, sed constat, apud Indos occidentales nunquam visas Variolas, nisi proximis temporibus, quibus ab Europa ad eas partes per contagium Æthiopum affectorum apparuère, unde magna strages illorum hominum facta est: Quo argumento constat, uteri affectionem non esse causam necessariam hujus mali, sed potius ortum habuisse ex mala constitutione aëris epidemici, deinde continuasse sicut de petechiis & maculis malignarum febrium contingit, ità ut Variolæ & exanthemata dicendi sint potius morbi novi, licèt aliquando earum vestigia apud antiquos visa sint.

Prognosis.

Quoad eventum & *Prognosin*, morbus judicabitur intra septem dies, est enim *satis acutus*, & in puero, ubi adest magna copia sanguinis; utrum verò ad bonum vel ad malum, non possumus primâ die distinctè prædicere, nam periculosus & gravis est affectus, & magna habet symptomata: quia tamen statim â principio mali vocati sumus, bene sperare licet. Modus solutionis erit per crisin, non per evacuationem, sed per metastasin, transmittente naturâ materiam ad ipsam cutim, excitando Variolas, ità ut si viscera relicta fuerint munda, quod cognoscetur ex mediocri Variolarum copia, ex bono illarum colore, quod sint albæ vel rubræ, nec retrocedant, spes salutis est, at si magnâ copiâ exciterint, & adsint non solùm Variolæ, sed etiam Morbilli & maculæ nigræ, violaceæ, virides; si retrocedant, concidant, aut viscera inficiant, periculosus vel lethalis erit morbus. In magno etiam periculo versantur, quando post Variolarum apparitionem febris declinat, & postea redit & intenditur.

Modus futuræ solutionis morbi. Signa boni eventus. Signa mali.

Ad

Ad *curationem* venientes, intentiones erunt *Primo*, Corpus evacuare. 2*dò*, Naturæ motum adjuvare. 3*tiò*, Corrigere malignitatem humorum. 4*tò* Membra defendere, in quæ solet fieri decubitus. Quoad evacuationem, illa vel maximè convenit, quæ fit per sanguinis missionem, quæ plenitudinem & simul fervorem minuit, sed quoniam obstat ætas trium annorum, præsertim in hac patria, ideò nullâ interpositâ morâ cucurbitulas apposuimus, cruribus & natibus cum scarificatione, & extractus sanguis ad ℥iij. manè. Vesperi autem duas hirudines ad venas brachiorum internas affiximus, quibus sanguis eductus est ad ℥iß. Nam si major fuisset puerulus, & adstantium inepta resistentia non vetuisset, sanguinem ex vena educere oportebat: atque hoc remedium nullâ interpositâ morâ, in quacunque diei vel febris hora fieri debet statim â principio, nec speranda est declinatio, quia febris uniformis est.

Indicationes.

Prima intentio, quibus perficienda.

Sanguinis missio è vena non convenit ob ætatem, idcirco cucurbitulæ cum scarificatione substitutæ fuerunt.

De *Purgatione*, hoc malo præsente non est cogitandum, nè humores commoti ad ventrem educerentur, & dysenterias lethales efficerent. Secundâ die Puer in eodem statu perseveravit, febris ingens, difficultas respirandi. Tertia die jam per cutim apparebant maculæ quædam admodum rubræ, quæ cum pruritu elevabantur, & continuò augebantur, adeò ut quarta die jam per totum corpus & faciem pustulæ latiores conspicerentur, coloris albi & subrubri, cum facili tolerantia: nec hucusque medicamentum laxans dedimus, nec clysterem adhibuimus, licèt alvus semper sicca exstiterit, quia materia transferebatur ad cutem, sed quintâ tantum die clysterem applicuimus, ex jusculo pulli, Oleo Violaceo & saccharo.

Secunda intentio erat, motum naturæ adjuvare ad cutim, & præcavere, nè materia ad viscera repat, sed tamen cautè hoc opus faciendum est: jam factâ sanguinis missione, statim â prima die speculandus est naturæ motus, ubi enim

Secunda intentio. Quibus ab-lotivi debeat, & quo modo.

natura rectè judicat, finere oportet, nec irritare, nec movere, teste Hippocrate 1. *Aphor.* 20. Contra autem fieri solet ab imperitis Medicis, qui indifferenter semper motum hunc adjuvare conantur; id tamen procurandum est, ut statim in principio Puer degat in äere tepido, in thalamo clausis fenestris, & operiatur levibus cooperimentis, nè calor febrilis augeatur, qui magnus est, & cavendum, nè frigiditas aëris eum percutiat. Errant etiam, qui puerulis Variolis correptis statim vinum exhibent, ignemque igni addunt cum magna eorum pernicie.

Potus. *Potus* potiùs sit *Aqua Fœniculi* cum *Rasur. C. C.* Vinum etiam non exhibendum, usque ad integram morbi solutionem. In casu nostro cùm natura bene judicare morbum videatur, nutriendus puer est *jure pulli* per se, vel alterato *Radicibus scorzoneræ*, vel panatellæ in jure dicto cocta exhibendæ. Et quia etiam primis diebus siti magna afficiebatur, & non bene se habebat ad oblata, *destillatum pulli* cum *Aqua bordei* lymphatum dabatur per intervalla.

Cibus.

Quid primis statim diebus actum.

Quinto die jam totum corpus pustulis scatebat latioribus, & septimum diem febris imminuta est, & pustulæ partim maturæ, partim etiam jam exsiccabantur. Toto hoc morbi tempore, hoc est â prima statim die semper miscebamus cibis & potibus cardiaca v. gr. *Lapidem Bezoar, Pulverem Perlarum & Corallorum* in *aqua Scorzoneræ*, ut malignitas infringeretur. Tertia quoque die *levem clysterem* exhibebamus, & hâc ratione tractatus, decimâ die immunis â febre fuit, siccabantur reliquæ Variolæ, & resolvebantur absque ullâ manus operâ. Illud tamen maximè procuravimus â principio & per totum morbi cursum, ut membra â malignitate humorum defenderentur; nam Variolæ interdum in partibus internis non minus quàm externis fieri solent.

Quid maxime procurandum.

In gutture, unde raucedo, tussis, aphonia, strangulatio &c. In *Ventriculo, Intestinis, Thorace*, intra *Os, Nares, Oculos,*

culos, ità ut aliquando cæcitatem afferant. Igitur ad defensionem oculorum utebamur *Aquâ Rosaceâ* mixta cum *ovi albumine* & parum *Croci*. Ad defensionem faucium gargarizabat *Decoctum Hordei* cum *Diamoro*. Nares ungebantur *Oleo Cotoneorum* & *Rosaceo*, & aperiebantur *butyro* solido & coagulato: ad gingivas tuendas colluebat os *Aquâ Plantaginis* cum *succo Granatorum*: nè ventriculus læderetur, dabatur per intervalla *Syrupus Granatorum in Decocto Lentium*. Intestina verò ut non paterentur, defendimus *clysteribus attemperantibus*; Solet enim dysenteria aliquando succedere huic malo, ex pustulis intus ruptis, ex malignis fluxionibus, quod ubi accidit, est periculosum, ideò evitamus omnia medicamenta acria, nè causam occasionalem huic malo procuremus. Ultimò procurandum erat, nè cicatrices pustularum in facie remanerent, quod fæminis alias propriè faciendum est, id quod solent facere aliqui inungendo notas relictas *Oleo de Vitellis Ovorum* cum *alumine*, sed melius est, uti *Oleo ♀ri per deliquium facto*, id est, in loco frigido sub terra posito, pulverisato ♀ro in panno lineo sub terra suspenso, & vitreo vase supposito & cum eo inungendo maculas. Sed nihil præstantiùs est *Oleo Talci*, si haberi poterit, inungendo cicatrices, & parum eas fricando.

Oculos defendentia. Fauces, Nares. Gingivas. Ventriculum. Intestina. Maculæ faciei quibus præcavendæ.

OBSERVATIO III.

De Juvene 20. Annorum Variolante.

Observatio & Consultatio III.

JUvenis quidam 20. Annorum, temperamenti calidi & humidi, nullo unquam morborum genere conflictatus, autumnali tempore grassantibus Variolis epidemicis, subitò circa vesperam sentire cæpit virium debilitatem & inquietudinem, calor per totum corpus erat dispersus, pulsus magnus, respiratio frequens & celer, cordis quandoque palpitatio, insolitus

Casus.

tus corporis sudor, gravis capitis sensatio & dolor. Noctu svasu cujusdam amici exhibitâ dosi Aquæ sambui cum pulvere quodam cordiali, exacerbabantur omnia. Altero manè maculæ morsibus pulicem similes seu petechiales, undique apparebant. Secabatur igitur illicò dextra brachii vena, & mox Variolarum tubercula prorumpunt. In consilium vocatis Medicis, ab iisdem inquisitum fuit, quid revera affectus sit? quid ex eo sperandum, an & quomodo, quibusuè remediis

Resolutio. curandus? *Affectus*, quô æger affligitur, sunt *Variolæ*, ad morborum acutorum intemperiem, febriumque continuarum & malignarum classem referendæ, varia, eaque multiplicia symptomata secum ferentes, quas â Morbillis & aliis similibus exanthematibus distinctas, Germani speciali nomine vocant die Kinder Blattern. Adesse autem revera Variolas, signa infallibilia in casu proposito adducta demonstrant, eaque petuntur *Primò* ab essentialiter inhærentibus exanthematibus per totum corpus & essentiam consequentibus symptomatibus, qualia sunt: Virium debilitas, inquietudo, calor totius corporis, ac sudor copiosus, pulsus magnus, respiratio crebra, & cordis palpitatio, quæ Epygenemata Silenum illum apud Hipp. *Epid. Lib.* 1. *Ægroto.* 1. affligebant, ex quo pariter patet, hoc genus morbi non esse novum, cùm Diuo Seni Hippocrati olim notum fuerit, ut testatur allegata authoritas: & ratio quoque convincit, siquidem eædem causæ & causarum circumstantiæ, quæ de factò assignantur, antiquitùs quoque fuisse, nemo negabit, nec contrarium evincet.

Signa ex quibus noscitur & confirmatur hunc affectum esse Variolas, I.

II. *Secundò*, causæ prægressæ tantarum fuerunt virium, ut ad

III. hunc morbum efficiendum sufficere facilè potuerint. *Tertiò* similitudo rei veritatem demonstrat, quamplurimos eô tempore eodem quasi modo affectos, observatos esse, quos Variolis laborare, ratio firma & effectus confirmavit.

Subjectum Variolarum primarium. *Subjectum* Variolarum primarium sunt externæ partes *cutis totius corporis*, vel potiùs cuticula, *faciei potissimum*, quæ

præ

præ cæteris his tuberculis infeſtatur, idque ob cutis in facie teneritudinem, vel humorum ferventium verſus ſuperiora aſcenſum, ſunt tamen, qui experientiâ edocti, non externam ſolùm ſuperficiem, ſed viſcera quoque interiora fere omnia puſtulas has occupare teſtantur. Patiuntur autem ab calorem præternaturalem & conſequentem palpitationem non ſolum cor, ſed reliquæ etiam partes plurimæ, mali fiunt participes: Pulmones quidem ob reſpirationem auctam, Cerebrum ob cephalalgiam & vigilias, Ventriculus ob ſymptomata in omnibus malignis febribus eidem communia: Totum denique afficitur corpus, quatenus ebulliens & malignus ſanguis efferveſcentiam ac qualitatem ſuam venenoſam ſingulis microcoſmi partibus beneficio circulationis communicat.

Cur faciem potiſſimũ occupent.

Quomodo etiam interna viſcera afficiantur.

Quomodo cor.

Pulmones

Cerebrum

Ventriculus.

Et quomodo reliquum corpus.

Cauſa immediata & continens eſt *materia maligna*, â peculiari *maſſæ ſanguineæ* & liquorum circulantium corruptione & efferveſcentia proveniens. *Cauſa* antecedens ſeu *mediata* eſt partim *ſanguis* in toto corpore contentus, partim *liquores* in & extra ſanguinem contenti, qui ſanguini, muſti inſtar, fermentum & inde efferveſcentiam ſubminiſtrant.

Cauſa immediata & continens.

Cauſ. antecedens.

Cauſa remota naturalis eſt *primò* temperamentum calidum & humidum, putredinis mater & morborum calidorum author. *2dò* Ætas juvenilis. *3tiò* Quòd æger nullo hâctenus morbo laboraverit, unde materia impura diu collecta & occultata, tandem Naturâ robur ſuum exerente, â bono ſeparari & expelli debuit. *4tò* Connata denique impuri ſanguinis materni impuritas, quæ fœtui jam in utero communicata, per totam ſe ſubſtantiam occultè diffuderat, ſi Veterum veſtigiis inſiſtere licet, ſecus verò ſi Neotericis, uti fuſius in Tractatu dictum eſt.

Cauſa remota naturalis. I.

II.

III.

IV.

Cauſa remota non naturalis, ut multas reticeam, primaria meritò videtur eſſe *aer corruptus*, atque â peculiari quadam malignitatis ſpecie contaminatus: Accedit *tempus Autumnale*, quod acutiſſimos morbos & maximè exitiales gi-

Cauſæ remotæ non naturales. eſt Aer corruptus Tempus ...

gunt

gnit, unde etiam hâc lue epidemia per totum grassante, facilè huic malo fomes existere potuit: *Victus pravus* ex cibis varii generis, fructibus præsertim inordinatè assumptis & ingestis: *Motus* & agitatio *corporis* continua, propensio denique ad *iram*, in puero calidioris temperamenti, sanguinis fervorem excitare, fermentum quasi eidem addere, atque ad externas partes propellere valuerunt.

Victûs ratio.

Motus.

Animi Pathemata.

Causa remota præternaturalis nulla hic locum habet, cùm, ut dictum, noster patiens nullo hactenus morbo laboraverit.

Causa remota præternaturalis.

Ex dictis ergò caussis sensim generatus affectus, subitò in actum erumpens, mirum non est, quòd prædicta, quæ signorum locô fuere enarrata, habuerit symptomata: Quorum singulorum hæc ratio dari potest.

Rationes symptomatum in hoc casu allatorum.

Virium in ægro nostro adest debilitas, partim ob laborantem partem principem, nempe ipsum cor, cui præsertim malignitas hæc est infesta, partim ob calorem vires resolventem, & spiritus vitales dissipantem, partim ob materiæ molem & copiam, quæ â venis in musculos exonerata, & imbecillitatem illam caussavit.

Unde virium debilitas.

Inquietudo excitatur â calore insolito, tenuiorumque vaporum acrimonnia corpus undique lacessente. Calor totum corpus quasi adurit ob nimiam sanguinis ebullitionem & fervorem ab humoribus biliosis & acribus accensum, ac per totum corpus latè diffusum. Pulsus est magnus ob virtutem fortem arterias dilatantem, usum itidem & calorem auctum, qui id, quod noxium, extrusurus, naturam ad magnam dilatationem cogit. Respiratio adest frequens & celer, vel quod ipsam pulmonum substantiam Variolæ occupant, vel ignea in Corde & Pulmone accenditur caliditas, quæ cum usum augeat, respirationis celeritatem excitat: quia verò celeritas usui satisfacere non potest, exigit frequentiam. Cor per intervalla palpitat, ob malignam materiam, quæ cor irri-

Unde inquietudo.

Unde Calor.

Unde pulsus magnus.

Quæ causa frequentis & celeris respirationis.

Quæ palpitationis cordis.

irritat, unde laborat, illud palpitatione expellere, quod sibi noxium est. Sudor copiosus erumpit, ob humiditatis excrementitiæ copiam & humiditatem, calorem præsertim auctum & virtutis expultricis robur, quod dum superfluum illud simul & confertim excernere nititur, multos sudores facit. Dolorem capitis producunt tùm halitus calidi & acres ad caput ascendentes, tùm humores biliosi & serosi per arterias ad menynges delati, easque velut aculeis pungentes. Aucta sub noctem sunt omnia, quia pulvis ille cum Aqua Sambuci propinatus robur interdum auxit, atque ad hostem expellendum quasi armavit, unde majori mox cum impetu bellum aggressæ vires ad exteriora morbum propulsarunt, maculæ ergò mox in toto apparuerunt corpore, dum natura â medicamine adjuta, vel â copia irritata materiam â parte nobili ad ignobilem à centro ad circumferentiam, pellit: Inde maculæ parvæ quasi petechiales existunt, mox verò natura per venæsectionem levata in expellendis maculis exsuscitatur & fortior exsurgit, & Variolas protrudit.

Quæ sudoris copiosi

Quæ causa doloris capitis.

Cur sub noctem omnia sint aucta.

Prognostica salutis & mortis nulla quidem hic certa dantur *signa*, cùm verum sit illud Hippocrat. 2. *Aphor.* 19. ***Morborum acutorum non omninò esse certas mortis aut salutis prædictiones***, si tamen ex morbi magnitudine, & viribus ægri collatis judicium facere licet, non omninò hic desperandum, cum naturæ robur adhuc se sufficiens vincendo morbo exhibeat. Quò verò vires fortiores, & symptomata mitiora sunt, eò melior morbi eventus sperandus. Brevem fore morbum hunc colligi potest, vel solùm ex eo, quòd acutus sit, qui dicente Galeno 2. *Aphor.* 59. & 23. velociter atque cum impetu ad statum movetur, præterea facultatis robur adhuc præsens, ætas juvenilis, sudor, imò totus morbus calidus & reliqua signa simul sumpta brevitatem prænunciant.

Prognosticis.

Brevitas morbi unde colligitur.

Modus eventus.

Modus eventûs etiam considerandus, non lentâ, sed subitâ mutatione, nempe crisi ægrum sanitatem recuperaturum, colligere licet ex morbi & motûs ejus vehementia; bonam verò fidem & perfectam crisin denunciant materiæ ad partem aliam & quidem ignobilem ac distantem translatio, quæ quia in totam fit corporis substantiam & circumferentiam materiæ totalis ejectio, atque sanitas mox illam subsequetur.

Curatio.

Curatio citissimè est aggredienda, cum periculum sit in mora, nè plura mox propullulent symptomata, quibus postmodum penitùs eradicandis neque natura, neque ars sufficiant: Nititur autem curatio suis indicationibus, quæ triplicis sunt differentiæ, *Curatoria*, quæ morbum ejusque causam immediatam tollere jubet. *Præservatoria*, quæ causarum antecedentium & symptomatum etiam oblationem postulat. *Vitalis*, quæ virium adhuc præsentium aut amissarum aut debilitatarum restaurationem attendit. Triplici huic indicationi ut satisfiat, materia præsidiorum ex ternario fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico erit haurienda.

Indicatio est triplex. Quid curatoria. *Præservatoria* Quid Vitalis.

Materia remediorum ex triplici fonte desumitur. Qualis ex Chirurgico & ob quas causas.

Chirurgico, recta ratio venam secare jussit, cum febris adsit continua & maligna, sanguis calore præternaturali accensus ferveat, æger sit plethoricus, & viribus adhuc valens, ætas sit item juvenilis, nec alia symptomata obstiterint: Hæc venæ missio naturam ab onere, quô opprimebatur, liberavit, ut, quod molestum est, faciliùs vincere ac expellere licuerit; quamvis verò inter initia exanthemata hæc parva apparuerint, attamen consuetum erat, venam incidere, cùm morbus adhuc fuit in principio & laboranti naturæ, quæ imperfectè maculas protrusit, spiritibusque suppressis, fuit succurrendum.

Qualem materiam præbeat pharmaceuticus fons.

Pharmaceuticus fons exhibet *Evacuantia* & ebullitionem mitigantia, *Diaphoretica*, quæ naturam pellendo

do adiuvent: *Alterantia & Confortantia*, quæ noxium à Corde propulsent, *Partes reliquas defendentia*, & tandem ipsa exanthemata penitùs auferentia: *Laxantia*, quæ cacochymiæ copiam imminuant, hîc non sint validiora, sed talia, quæ leniter tantùm aluum subducant, nè humorum vehemens fiat commotio, aut ad interiora attractio, in quem scopum usus clysterum & suppositoriorum sufficiet, attamen tantum lenientium; declinante autem morbo, ubi Variolarum nullum amplius supersit vestigium, earumque crustæ à corpore deciderint, ad expurgandas reliquias (nè recidivas faciant, vel pejus malum procurent) per os exhiberi possunt Infusum Rhabarbari cum agarico trochiscato in aqua Fumariæ, vel Infuso Folior. sennæ in Cerevisia: vel pruna vel Passulæ laxativæ. Diaphoretica ac expellentia, quæ noxios humores versùs exteriora protrudant, præscribi possunt sequentia:

Qualia conveniant ex laxantibus in princip io.

Qualia in declinatione.

Diaphoretica.

℞. ⊕ *Card. bened.*
C.C. phil ppt.
Terr. sigil. ana ℈ß. Misce F. *Pulvis*, pro Dosi in *aq. Card. ben.* dandus.

Aliud.

Vel ℞. *Aq. Cordial. Saxon. seu camphorat.*
Flor. Borrag.
Card. bened. ana ℥j.
Syr. acetosit. Citri ʒvj.
Confect. Alcherm. ℈j.
Tinct. Bezoartic. ana ℈j.
Pul. Viperar. gr. xij.
Misce F. *Potio*, dividatur in duas doses.

Aliud.

Vel ℞. *Elect. Diascord.* ʒj.
Aq. Cordial. Saxon. ℥iv.
Syr. Card. ben. ℥j.
Tinct. Bezoar.
Misce F. *Mixtura*, *Dosis* Cochlear unum sæpius exhibendum.

 Sudor

Sudor diligenter abstergatur, & linteamina mutentur, calefactis priùs aliis indusiis.

Decocto Lentium ab antiquitate commendato sæpè favet experientia & signatura, expulsionem enim juvat. Intuitus pannorum chermesinorum ob similitudinem colorum juvare ad expulsionem, à Mulieribus censetur.

Præcipitantia. Præcipitantibus, ut *C. C. usto*, *Coralliis ppt. Ocul.* ♋ &c multum tribuitur à nonnullis: sed cavendum, nè dum figitur materia, separatio, quæ fit vi fermenti à naturali mistionis modo recedens, turbam majorem excitet. Alterantia & Confortantia usurpari possunt internè sequentia:

Alterantia & Confortantia.

℞. *C. C. phil. ppt.*
Unicornu ver. ana ℈ß.
Terr. Sigill.
spec. de Gem. frig. ana gr. xij.

Misce F: *Pulvis Dosis* ℈j. in *Aq. Cordial. frig. Saxoniæ.*

Externa cur cavenda. Ab externis ob metum expulsionis abstinendum. His igitur ritè sic administratis, ipsa quoque symptomata facilè cessabunt, utpote quæ pleraque cum morbo curationem indicant. Reliquas corporis partes ab ulcusculis his defendimus, oculos circumcirca ☉ optimo confricando, vel *Aq. Plantaginis* & *Euphrasiæ* cum pauxillo *Croci* illinendo, vel denique clausos *calido lacte* vel *Decocto Hordei* fovendo. Nares nodulô ex *Camphora* cum *aceto Rosarum* immisso præservando, vel occlusas *Oleô amygdalarum dulcium* illinendo. Guttur *decocto hordei* cum *Melle Rosar.* eluatur, vel etiam *Cremore hordei* dilutiore, aut alio tali *gargarismate* v. gr. ℞. *Aq. hordei* ℔ß. *Aq. Plantag.* ℥ij. *Syr. Myrtin. Diamor. ana* ℥j. Misce. Ad totalem eradicationem Variolarum pertinet, ut ad maturationem perfectam deveniant, quæ promovetur inunctione crebrâ *Olei Amygdalarum dulcium*, *lactis muliebris*, cui parum *Croci* sit permixtum:

Oculos defendentia. Nares. Guttur. Quomodo totalis eradicatio Variolarum peragenda, & quidem inunctione.

tum. Probatum etiam præsidium multi extollunt, frustum *lardi recentis*, fronti & hinc inde partibus faciei applicatum. Maturis pustulis, si materia contenta sponte suâ prorumpere nolit, nò diuturnâ morâ ulceris profunditatem inducat, aut subjectis etiam partibus noceat, acus argenteas vel aureas applicare jubent multi, sed satiùs est intactas relinquere, dolor enim quandoque major excitatur. Variolarum apertione.

Diæteticus fons in sex rerum non naturalium legitimo usu consistit. Primò in *naturali*; cibus eligatur tenuis, boni succi, facilisq; concoctionis, ùt sunt juscula pullorum, gallinarum, caponum, hordei, &c. Vitentur è contra cibi pravos succos generantes. Secundò in *Vitali*: Aër eligatur ad caliditatem & siccitatem vergens, quô & natura meliùs expellere malignitatem possit. Vitetur frigiditas externa omnimodè, utpote quæ maculas omnes mox facit disparere, atque hæc sola sæpe mortis præsentaneum inducit periculum. Animi pathemata cane pejus & angue fugiant ægri; iram præsertim, timorem & mæstitiam, utpote quæ ad cor revocare malignitatem, & ingens periculum afferre solent. Tertiò in *Animali*, somnus & vigilia moderatis se excipiant vicissitudinibus, quietus æger jaceat, nè vires prosternantur, aluus semper teneatur in officio prona, non tamen nimis præcipitetur decoctis expulsivis, nè noxia sequatur Diarrhæa. Diæta. Primò in Naturali Cibus qualis eligendus. Qui vitandus. Secundò in Vitali. Aër. Animi pathemata. Tertiò in animali. Somnus & Vigilia. Excreta.

OBSERVATIO IV.

Observatio 4ta.

Herulæ 14. propè Annorum.

NOnâ Martii Herula Illustrissima plethorica, Austriacâ natione cæpit conqueri de lumborum gravitate & tussiculâ eam molestante, quam horror [& calor reciprocè concomitabatur, idq; non procul à menstruatione, Casus.

Curatio quibus peracta. Ei præmisso *Clystere*, hâc ipsa die misi sanguinem ex brachio ad minuendam plethoram, altera die ex pede, simulque præscripsi sequens Apozema pro potu ordinario:

Apozema.

℞. *Rad. Fœnicul.*
Acetos:
Scorzoner. ana ℥j,
Rasur. C.C. ℥ß.
Fol. Scabios.
Scordii. ana Mj.
Ficuum ping. par. iij.
Sem. Napi.
Card. bened. ana ʒij.
Lentium excorticat. ℥ß.
Gum. Tragacant. ʒiß.

Concis. Misce s.q; *Species Ectymatic.*

℞. *harum Specierum ℥j.*

Coque in *s. q. Aq. ad lib. IV.* signetur *DecoctumEctymaticum*, de quo pro potu ordinario, continuò bibendum loco Vini & Cerevisiæ.

℞. *harum specierum ℥j.*

Coque in *aq. q. s. ad* ℔ij. Signetur *Decoctum Ectymaticum fortius.*

Potio sudorifera.

℞. *Decocti bujus fortioris Ectymatici. ℥ij.*
Syr. de succ. Citri. ℥j.
Pulv. Rub. Pannon. correct. ℈ij. Misce pro dosi.

Detur in triplo in tribus vasculis diversis, singulis octo horis unum sumendo, v. gr. manè hora octavâ, vesperi horâ quartâ, & de media nocte: duabus horis post porrigendo alimenta convenientia.

Aqua Confortativa.

℞. *Aq. Cordial. frig. Hercul. Saxon. ℥iij.*

Signetur *Aqua Confortativa* cochleatim sæpiùs sumenda.

10. Mar-

10. Martii ordinata sunt sequentia : ℞. *Ol. Scorpion magn. Mathiol.* ℥ß. Sig. *Oleum* pro inungenda spina dorsi, axillis & inguinibus. Oleum.

℞. *Magist. Perlar.*
Corallor.
Ebor. ppt.
C. C. phil. ppt.
Bezoart. mineral. ana ℈j. Pulvis.

Misce f. *Pulvis* dividendus in 4. doses æquales, quarum quævis singulis jusculis imponetur.

℞. *Decoct. Ectymat. fortior.* ℥iij.
Pul. Pannon. rub. correct. ℈ij.
Bezoar. Oriental. gr. iv. Potio.

Misce pro dosi. Detur in triplo in tribus vasis diversis, sumendo ut ant.

11. Martii ℞. *Decoct. Ectimat. fort.* ℥iij.
spec. de Hyacint. ʒß.
Bezoar. Orient. gr. vj. Alia potio.

Misce pro dosi, in triplo, in tribus vasis diversis (hic fluxerunt menses)

12. Martii. Repetatur *Pulvis Cordialis* pro jusculis, Repetantur *apozemata* ultima Num. 3.

℞. *Sacch. cand. alb.*
Tutiæ ppt. ana ʒß.
Sumach. ʒj. Nodulus pro aqua ophtalmica.

Include in Nodulo, infunde in *aqua Rosar.* ℥iß. Sæpe instilletur gutta in oculum.

13. Martii. Repetantur *Apozemata* Num. 3.

℞. *Julap. Violar.*
Syr. Jujubin. ana ℥ß. sumat cum *baculo liquiritiæ.* Julapium.

14. Martii. Repetantur *Apozemat.* Num. 3.

Repetantur *Pulveres Cordiales* pro Jusculis.

℞. *Aq.*

Gargarismus.

℞. *Aq. Plantag. Malvæ ana* ℔ß.
Julap. Violat. Mellis Rosat. ana ℥ij.
Misce pro *Gargarismate*.

15. Martii. Repetantur *Apozemat.* Num. 3.

16. Martii. ℞. *Decoct. Ectymatici fort.* ℥iij.
Pul. rub. Pannon. ℈ij.
Misce pro dosi, detur in triplo in tribus vasis diversis.

Ad impedienda Variolarum vestigia deformia, ubi jam Variolæ inciperent maturescere & albescere, hoc linimentum præscripsi, quod, modò Variolæ non attingantur digitis, nunquam me fefellit: eô ter vel quater per diem plumaceolo gallinæ nigræ subtili inungendo Variolas in facie usque ad casum.

Linimentum Ectymaticum ad delenda deformia Variolarum vestigia.

℞. *Ol. Ovor express.*
Nucum Jugland.
Amygdal. dulc. ana ℥ij.
Sevi Cervin. ℥j.

Liquefiant simul, & serviat pro inunctione Variolarum incipientium maturescere & dealbari.

17. Martii. Repetantur *Apozemat.* Num. 3.

18. Martii. Repetant. *Apozemat.* Num. 3.

19. Martii. Repetantur *Apozemat.* Num. 3.

20. Martii. Toto tempore usa est pro potu ordinario *Decocto Ectymatico tenui*, uti sub die nonâ Martii descriptam. Nota bene, si segniùs prorupissent, loco *Pulveris Cordialis* admiscuissem singulo jusculo *Bezoard. mineral.* ℈j. Sub hac Cura cautè processi, quia tum temporis febres malignæ petechiales grassabantur, ac ideo verebar, ne quid maligni admisceretur.

Unguentum aliud Ectymaticum.

Grana Chermes sola sunt sufficientia ad foras pellendum *à* ℈ß *ad* ʒß. *Unguentum aliud Ectymaticum*, ne Variolæ destruant faciem, sic concinnari potest: ℞. *partem posteriorem Vervecis*, assetur ad medietatem, ei cultrum infige & exprime

exprime ſuccum ad 8. cochlearia, quibus adde *Cremoris Lactis cochlearia iv. Vitell: unius ovi, ſanguinem unius Columbæ junioris*, Miſce omnia ſimul & plumaceolo gallinæ ei intincto, ungevariolas, quando incipiunt maturari, eſt probatum. Vel: Aliud.
℞. *Crem: lactis & Olei lini ana* Miſce & plumaceolo intincto inunge.

Emuſione Ectymaticâ ſi opus fuiſſet, ſequens multùm profuiſſet Emulſio Ectimatica.

℞. *Sem. Napi. Aquileg. aa.* ʒj.
Citri, Card. bened. aa. ʒß.
Aq. Card. bened. ſcorzoner. aa. ℥v.

F. l. a. *Emulſio.* Colaturæ per linteum expreſſæ adde
♁nii *Diaphoret: ritè & recenter ppt.* ℈j.
C. C. ſine igne ppt. ʒj.

Miſce Sig. *Emulſio* expellens cochleatim pro libitu ſumenda. Si eam gratiorem reddere deſideras, adde ſacchari perlat. q. ſ. ad gratiam.

Pro Gregariis.

Decoctum pro Gregariis.

℞. *Lentium* ℥jv.
ficuum No. xvj

Ficus ſecentur per medium, & fiat decoct. in *Aq.* ℔. *xij.* ad tertiæ partis conſumptionem, bibat ad libitum. Signetur **Ordinari Tranck:**

℞. *Hujus Decocti Ordinarii* ℥ij. iij. *vel. v.*
ſtercor. recent. Vervec: **oder Hamels-Koth.**

Miſce cum Decocto & percola per linteum, de hoc exhibe ſingulis octo horis, vel bis per diem, & deſuper ſudet.

Nè autem Variolæ lædant vel deturpent faciem, ſubitò in principio aſſiſtens fœmina accipiat medium cochleare *Cremati* ad os, ex quo emittat halitum in faciem Variolantis. Ad præcautionem nè faciem deturpent Variolæ Aliud.

Quando sunt fastigiatæ & matu. ari incipiunt, accipe *Lardum recens insulsum*, in tenues lamellas conscissum, quas applica faciei. Vel tale Lardum coquatur in Aqua sine sale, supernatantem pinguedinem Aquæ collige, & eâ inunge faciem Variolatam.

Der weisse Ruben = Saamen ist auch sehr gut zum Austreiben/ wann man ihm mit gesottenen Linsen=Wasser eingiebt.

Vide plura Euporista apud Adrianum Nasser, *Pag.* 651.

Aliud ad depellendas cycatrices.

Variolarum cicatrices nè remaneant: ℞. *Lardum vetus albissimum*, conscinde in partes longas ad crassitiem parvi digiti, quas involve chartâ albâ, has unam post alteram accende ex una extremitate, & quod guttatim decidit excipe Aquâ munda, quâ etiam aliquoties lavandum. Ea Variolas maturescere incipientes obline, est secretum Doct. Monnier Medici Monspeliensis Galli; si addideris aliquid *Olei Ovorum* efficacius reddetur.

Linimentum Ecthymaticum.

Linimentum aliud *Ecthymaticum*: ℞. *Ol. express. Nuc: Jugland. Ovor. aa.* ℥j. *sacchar.* ♄ni. ʒß. Misce exactè & fiat *Linimentum*, quod plumaceolo perdicis Variolis in vigore jam positis cum cutis inflammatione conjunctis, quæ à salibus corrosivis & acribus dependet, sæpe inungatur. Hæc non repellendo, sed mitigando ac edulcorando compescit, prout sæpe expertus est Frid. Hoffman etiam in Illustrissimis Ducalibus subjectis, quibus etiam cum *Emplastro de Spermate Ranarum* non veretur applicare. Vid. Frid. Hoffman. *Notar. in Schröder. Pag.* 249.



APO-

APODIXIS MEDICA

De


Infantum bona & legitima educatione,

eorumque vera & sincera, benè vel malè conconstit urorum providentia, atque solerti, tuta, ac jucunda imminentium & accidentium Morborum curatione.

Tradita ingenuæ & avidæ Juventuti Facultatis Medicæ Pragensis

Ab

EODEM AUTHORE.



PROŒMIUM,

Seu
Compendiosa Introductio in universum hoc Opusculum.



FRagilem humanæ vitæ vanitatem, & vanam fragilitatem, ac miserrimam ejus conditionem, ab ortu ad occasum, variis calamitatibus, assiduis laboribus, & millenis ærumnis continuò agitari, nostri olim abundè contestati sunt Veteres, & nos hodiernùs ferreo ac spinoso accatenati sæculo, infortunati Adæ filii ultrà experimur, cùm vivere nostrum nihil aliud sit, quam pati, gemere, & tandem mori; dum crescimus, vita decrescit, & diem quem vivimus, cum morte dividimus. Id quod multis abhinc sæculis *Cous* noster *Hipp. epist. ad Tamageth: totum hominem ab ipso ortu morbum esse*, asseruit, quem imitatus *Poëta* sequenti modulamine confirmat:

Cor nisi cura, nihil, caro nil nisi triste cadaver,
Nasci ægrotare est, vivere sæpe mori.

& D. Augustinus *ægrotare* inquit, *incipimus, mox ubi nascimur.*

Non ineptè profectò vitæ nostræ, ejusque fortunæ instabilem statum ac fugax imperium, in rota pinxêre Veteres, quâ ostenderent, quàm illa, quæ alto nunc monstrat apice coruscantia

tia, duræ vicissitudinis inexorabili ratione calamitiosè cadant revoluta, & cuncta tristem subeant mutationem: nihil proinde æternum, nihil immutabile, quàm DEUS; nil durabile, nil stabile, nisi Mundus, & in Mundo nihil; minimè omnium ipse Homo, de quo Justissimus ille Legifer Solon, *putredo in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte*: Sophorum Princeps Aristoteles: *Homo imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, trutina calamitatis, speculum corruptionis*; Disertissimus Plautus: *Homo mancipium mortis, viator transiens, pila quâ ludit Deus*: Divinum Os Sapient. 5. *Homo hospes unius diei.* Singulæ profectò horæ, imò singula instantium momenta, notabilem exiguæ vitæ nostræ portionem deprædantur, dum verba facimus, vitam terminamus: apprimè sanè curiosorum quispiam vitæ nostræ typum cum candido Ligustri flore comparavit, qui surgente sole floret, occidente marcescit: talem fatetur Job. 14. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. qui quasi flos egreditur, & conteritur & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri super terram, & numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? cui *Poëta* accinit:

Ut rosa manè viget, tamen & mox vespere languet
Sic modò qui fuimus, cras levis umbra sumus.

Inde alius:

Unde superbit homo? cujus conceptio, culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori.

& tandem illud Parnassi Decus Ovidius 4. *de Ponto*:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuêre, ruunt.

Plinius quidem perfectissimum & absolutissimum DEI opus; *Mercurius*, miraculum magnum ac simillimum DEO; *Tullius*, animal plenum rationis & consilii, mundi epitome, & delicias naturæ; Sapientissimi *Ægyptii* adorandum & admirandum animal; *Pythagoras* omnium rerum mensuram & exemplar Hominem appellavit. Sed revera, qui genuinam hominis appellationem, dignissimâ consideratione ex Hebraico genuinè eruerit idiomate, per Hebræos Eoschæos, hominem miserum mortalem, variisque ac gravibus morbis, imò libitinæ & immaturæ morti (sic jubente Divino Numine *Genes.* 2. *cap.* 3.) addictum, ejusque vitam in terris non aliud, quàm morbum perpetuum, miseriam inextricabilem, & cursum indesinentem ad mortem & sepulchrum pronuntiavit. Fatetur hoc universum mundi chaos, confitetur humana mortalitas, & omnis in ea natans & transitoria ætas, omnium maximè labilissimæ Infantiæ teneritudo contestatur: de qua Ovidius *in metamorph.*

Editus in lucem jacuit sine viribus Infans.

& Lucretius:

Tum porrò Puer ut sævis projectus ab undis
Navigat, nudus humi jacet Infans, indigus omni
Vitali auxilio, cùm primùm in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit.

Homerus *in Iliade*:

Non quidem certè est aliquid miserius homine,
Omnium verò qui spirant & serpunt.

Difficile enim inquit Idem, *omnium Hominum servari genus & proles.* Quamobrem si quis alius, certè mellifera illa Medicorum apis, & Neo-Artis Apollineæ Divinum ac plebeium Oraculum

culum *ab Helmont*, de tenera Infantum valetudine est sollicitus, dum enutritionem eorum, non solùm ad vitam sanam, sed & ad vitam longam instituendam docet: motus sanè plurimis ac urgentissimis rationibus & motivis; nam etsi mutabilis ista & instabilis vitæ nostræ conditio, utut communis omnibus hominibus, præprimis tamen Infantibus magis propria ac execrabilis esse solet, quatenus sub tenera eorum constitutione, minusque validâ viscerum structurâ, & fermentorum (speciatim istius, quæ primæ ceu fundamentali inservit digestioni) nondum sufficienter exaltatô vigore, quoscunque tàm animi quàm corporis, à parentum semine contractos morbos & defectus, juxta tritum:

Qui viret in foliis venit à radicibus humor,
Sic Patrum in Natos abeunt cum semine morbi.

Sed & sub nutritione, vitiô lactis & alimentorum commissos errores, graviter luunt, indeque fœcunda miseriarum ac calamitatum semina suscipiunt, quæ per totum subinde vitæ cursum perniciosos fructus progreminare solent. Talis enim ac tanta malorum strages imminet pueris, ut meritò cum *Plinio* dicendum sit; *à suppliciis, vitam auspicari hominem, unam tantùm ob culpam, quia natus est*: ità revera cùm ipse inevitabilis vitæ terminus, Divinitus pariter ac naturaliter præfixus videatur, qui ex radicali vitæ, seminalique ut diximus primordio, secundùm causarum naturalium inviolabilem legem quibusdam brevius imminet, ab aliis longiùs abest, quousque primordiales in semine radicatæ potestates vitales se extendunt: quem terminum amplificare, mediis hactenus quidem cognitis & usitatis impossibile attingere, legitimô tamen causarum effectuumq; regimine, prævenire & anticipare ex inverso earundem usu facile possumus. Ac proinde si ad vitam longam pertingere, non æquè -eat quibusvis, saltem sanam hanc ipsam pro viribus conser-

vare

vare annitamur, quo annutu, minimis inserviendo, à Magno Cœli Archiatro majora speremus & expectemus.

Curam igitur Puerorum suscipientes, tantò diligentiores in eorum morbis nos præstemus, quantò minus certos & difficiles, de suarum affectionum idea reddere nos solent: imò cum Pueris tanquàm mutis ægris (si clamores & lacrymas eorum exceperis) nos rem habere existimemus, ut quoniam ex relatione, quæ tamen in dignoscendis morbis plurimi facienda est, nihil certi, nihilq; pensi habemus, aliis conjecturis, signis & symptomatum observationibus nitamur, alioquin Puerorum salus valde periclitatur: huic difficultati accederet altera, si nimirum Medicorum quispiam absq; nominis atque ætatis, nec non morborum ratione, computu, ac diversitate in eorum curas incideret, quæ tamen ut à Medico in praxi magni ponderis evitetur difficultas, & tenerorum patientum avertatur periculum, ac indè emergens utrinque præcaveatur labes ac dedecus, operæ pretium duximus (si quidem laudabilis hactenus consuetudo obtinuit, & dicendi & docendi ratio semper exegit, ut in cujuscunq; operis ingressu, quædam generalia præmittantur, quæ veluti lucem sequenti materiæ præbeant) præprimis nominis, mox ætatis, & tandem ipsorum morborum discrimen proponere.

Non hic audienda est vana illorum opinio, qui Puerorum curam naturæ tantùm & mulierculis committendam volunt, asserentes: naturam esse morborum medicatricem teste *Hipp.* & pueriles morbos per crisin solvi; imò quod plus est, Medicus in curando tria exigere solet, confidentiam, patientiam, & obedientiam; & hæc omnia in Pueris desunt. Verùm enim verò Dux Ratio, & Comes Experientia, aliud dictant & ostendunt, necessariam omninò esse Artem Medicam in curandis affectibus Puerorum: concedimus quidem, naturam esse morborum curatricem, juvari tamen à Medico: accedit, quod non omnes morbi per crisin solvantur, addit enim ipse *Hipp.* magna ex parte: Reliqua quia levia sunt, non

non nos tangunt nec angunt. Ut verò hæc omnia tantò utiliora & clariora evadant, necesse erit dilucidare prius, quid per pueros intelligamus.

Notandum ergò, D. Hipp. *Sect.* 3. *aph.* 24. 25. 26. 27. per ly Pueros, non fœtus adhuc in utero existentes intelligere, sed eos hoc ipsissimo nomine indigitare, qui jam sunt in lucem editi, eosque in *quatuor* classes distinguit: in Prima collocat parvos & recenter natos, *Sect.* 3. *aph.* 24. & hi propriè Infantes dici merentur, in Secunda reponit eos, qui ad dentitionis tempus accesserunt, *Sect.* 3. *aph.* 25. & hi etiam proprius Infantes dici possunt, quia fari nondum sciunt; in Tertia comprehendit qui jam facti grandiusculi *Sect.* 3. *aph.* 26. in Quarta iis sedem assignat, qui jam grandiores facti & ad pubertatem aspirant. *Sect.* 3. *aph.* 27. *Galenus*, fidissimus Hippocratis Interpres, has memoratas Puerorum classes, majores intelligentiæ causâ, certis annorum limitibus circumscribit: *Primamq;* incipit à die nativitatis, eamque ad Septimum usque mensem extendit. *Secundam* à tempore dentitionis inchoat, & illam ad annum usque quartum protrahit. *Tertiæ* initium facit ab anno quarto eique finem imponit annô duodecimô. *Quartam* numerare incipit ab anno duodecimo, & eandem decimo-quarto finit, quo anno ætas Secunda, quæ pubertatis nomine venit, initium capit; liquet ergò per Pueros palàm inaudiri eos, qui duobus primis annorum septenariis, id est in Prima ætate constituti sunt, quæ die natali orditur, & anno ætatis decimo quarto terminatur.

Nota 2dò. Morbos, eorumque causas, quibus Pueri afficiuntur; idem Hipp. *lib. de octimest. part.* exponit, duplicesque facit; qui vel in utero, vel extra uterum afficiunt: hi rursum ratione sitûs sunt duplices: interni qui foris non sunt conspicui, externi qui in corporis superficie cernuntur. Ratione subjecti, sunt universales, qui totum corpus, vel maximam ejus partem

occupant; & particulares qui unam duntaxat partem obsident: ratione ætatis, qui recens natos, vel ad dentitionis tempus progressos, vel grandiusculos, vel grandiores, seu pubertati vicinos infestant.

Universales externi sunt, variolæ, morbilli, scabies, pruritus, impetigo, macies, maculæ volaticæ. Universales interni sunt febres. Particulares externi, in omnibus propè corporis partibus externis observantur. In Capite: hydrocephalus, syriasis, tinea, crusta lactea, achores, fabi, tyriasis. In Oculis: ophtalmia, strabismus &c. In Auribus: otalgia, inflammatio, fluxus, intertrigo, vermes, parotis &c. In Labiis: fissuræ, labia leporina &c. In Naribus: ozœnæ, hæmorrhagiæ, humiditas &c. In Scroto: hernia intestinalis seu enterocele, hernia carnosa, seu sarcocele, vel hernia flatulenta seu bubonocele, vel hernia aquosa seu hydrocele &c. In Ano: prolapsus, pruritus, clausura &c. In Artubus: paralysis, convulsio, verrucæ &c.

Particulares interni etiam secundùm partes affectas distribuuntur: In Capite: catarrhus, coryza, vigiliæ, epilepsia, sternutatio. In Ore: aphtæ, ulcera, uvulæ relaxatio, dentitio, ranula sub lingua, odontalgia, balbuties &c. In Collo: strumæ, scrophulæ, tonsillarum tumor, angina, phlegmone &c. In Corde: terror seu pavor, tremor, palpitatio; In Thorace: tussis, asthma, phthisis, pleuritis, peripnevmonia &c. In Abdomine: vomitus, nausea, singultus, tormina, diarrhæa, dysenteria, tenesmus, constipatio, inflatio, vermes, calculus, dysuria, ischuria, urinæ incontinentia &c.

Ex his alii rursum sunt verè & simpliciter pueriles, ut dentitio; Alii, qui licèt non sint simpliciter & solùm pueriles, quia tamen frequentius Pueros quàm alios exercent, ideò à potiori pueriles dicuntur, & sunt lumbrici, variolæ, morbilli.

Hos

Hos igitur & plurimos alios Pueros affligentes affectus eâ, quâ licet brevitate dilucidabimus, & præfixâ prius illorum ideâ & idenditate, causarum efficientium & præcipuè procatharcticarum, eruitione, curam eorundum non tantùm methodicè, sed etiam mechanicè, nè à nasutarum muliercularum (quarum præsentiam in curandis Pueris raró evitant veri Medici) consueta norma recedere videamur, ad nutum proponemus.

CAPUT I.

De providentia, custodia & cura, aliisque necessariis circumstantiis observandis, Infantis recenter in lucem editi.

EGressô fætu, obstetrix secundinam educere mox debet, eâ, quâ potest dexteritate, diutius enim inibi relicta, tanto difficiliorem parit & permittit exitum, eâ verò eductâ, Infans expediendus est, & ante omnia ab impuro aëre & à ventis arcendus: duplici igitur filo, quod crassitudine aliqua donatum sit (nè à fili teneritudine præsecetur) vinciendus est pollicis, alii trium vel quatuor digitorum, ab abdomine latitudine umbilicus; vinculum arctius non sit, neque ultra ipsum umbilici pars est, citius quàm par est excidat, nec laxius, ne funestâ hæmorrhagiâ sanguis per vasa umbilicalia diffluat, & aër frigidus intrò in Puerum subeat, nam sæpe contingit, etiamsi prima vice benè ligetur, nihilominus postmodùm si umbilicus flaccescat, ligatura relaxatur, adeò ut si non debitè attendatur, sanguis copiosè effluat, non raró in perditionem Infantis. Nexu, ut decet peractô, resecandus umbilicus novaculâ vel forcipe peracutâ, duobus infra nexum digitis; sectioni imponendus pannus lineus duplex in *oleo rosar.* aut *amygd. dulc. rec.* & *sine △ express.* maceratus, ad doloris sedationem & accidentium

imminentium præcautionem: alii verò resectô umbilicô cruentô, subtilissimum *Pulverem cretæ*, vel *boli armen.* vel *croci ♂is adstring.* inspergunt & postmodum *butyrum recens*, salem & aqnam non expertum, vel prædicta olea imponunt: Alii *pulv. myrrhæ* & *sarcocoll* eidem aspergunt.

Obstetrix Gallica, singularis virtutis esse asserit *farinam arboris nucis jugland. verminosæ* (alii cujuscunque arboris farinam similem recipiunt) quæ aspergatur umbilico Infantis, sic enim egregiè siccatur, & facit usus talium rerum, ut justo tempore, paucis nimirum diebus post, quod infra nexum est, unà cum vinculo decidat, constrictâ nempe venâ & arteriâ, nutritionis & vitæ beneficio destitutum: postquàm verò decidet, denuò aspergantur prædicta media, & inde firmior reddetur. Sed nota: hanc decidentiam (quæ ordinariè septimâ vel octavâ die fieri assolet) nullatenus vel ullâ re esse accelerandam, nè ante perfectam consolidationem hæmorrhagia, vel ulcus ægrè sanabile oboriatur. Hoc opus obstetrices vulgò nudo fætûs abdomini Incumbere faciunt, sed malè, nam inde dolorifica tormina infanti accedunt propter frigiditatem ejus actualem, utpote quod calore vitali destitutum sensim emoritur; melius igitur est ipsum linoxilo involvere, donec gangrænâ corruptum, deciderit.

Prognosis obstetricem de umbilico Infantum hæc statuitur: Si ea ejus pars quæ ventrem proximè respicit, rugosa vel nodosa conspiciatur, quamlibet rugam vel nodulum, matri portendere Infantem adhuc ex ea pernascendum; nimirum tot Pueros, quot rugæ rubentes; tot Puellas quot rugæ albescentes adsint: quoties verò absque rugis apparet, toties matrem sterilem futuram.

His peractis, *Ol. rosaceo* extergendus à sordibus fæculentis Infans, quæ cuti tenacius adhærent: sic enim prætereà cutis spiracula coarctantur, & corpusculi habitus magis roboratur; notum

notum enim eſt inſenſibilem tranſpirationem impeditam, fontem eſſe etiam morborum infantilium, ut infra de cauſis morborum in genere, abundè dicetur: hoc verò tranſpirationis impeditæ vitium, ut emendetur, ſolent noſtrates mulierculæ recens natos Infantes immergere *balneo aq. dulc. tepido* (non verò prout aſperrimus, & ſanæ rationi pariter ac conſtitutioni ſaniori reluctans, teſte Sennerto, Veterum Germanorum mos fuit, aquæ frigidæ, aut flumini) ut hujus medio abluantur ſordes viſcoſæ, lanuginis inſtar inveſtientes teneram epidermidem ſive cuticulam, & accedente blandâ frictione ità aperiantur, & magis patuli reddantur conniventes aliàs cutis pori ac tubuli; Non ineptum eſt, quod in more & conſuetudine vulgari poſitum, ut *ſaponis* adjumento removeatur hæc ſordium coadcervatio, & hujus alkalina lixiviali acrimoniâ promptius detergantur hæc caſeoſa quaſi concrementa extracutanea, ſicque ſimul hujus alkalini ſalis beneficio, præcaveantur maturè cutaneæ Infantum efflorescentiæ.

Nota 1. has efflorescentias ſeu caſeoſa concrementa, quædam credulæ mulieres arbitrantur oborta eſſe, quòd gravidæ mulieres caſei uſui nimis indulſerint; quæ mulierum opinio etiamſi explodi tanquàm anilis debeat, illi tamen anſam præbuit Ariſtot. *lib. 7. cap. 4. hiſt. animal.* ubi inquit: *fœtum ſæpe naſci obductum alimentis, quæ in gravitate mater uſurpavit; incruſtatumq; naſci muco quodam mucido, ſi octavo menſe coitu mulier uſa ſit.* Verum enim verò, etiam tyronibus certum & notum eſt, alimenta Matris ad utrum non pervenire, & membranas fætum involventes obſtaculo eſſe, etiamſi uterus hiaret (id quod nunquàm octavo menſe accidere Authorum docent exempla) nè ſemen virile & fœmineum ad fœtus usque corpus deferantur, atque exinde ejuſmodi ſordes prodeant; Soli igitur aquarum limo (intrà quas natat fœtus) has efflorescentias adſcribendas judico.

Nota 2. non rarum esse, flavedine quodammodo croceâ, adeoque icteritiâ decoloratione tinctos in lucem prodire Infantes, quæ extraordinaria tinctura vix melius quàm dictis balneis penitus detergi & deleri poterit. Huic ab aliis etiam succurri solet *croci gr. j.* optimè triti in *lacte Nutricis*, vel alio conveniente liquore vel vehiculo exhibiti, & bis vel ter in die propinati, quô dicta cutis defædatio promptis extingui potest. Gallicæ mulieres *aquâ calidâ* & *vinô adstringente* Infantes abluunt, deinde commemoratô *oleô* oblinunt; alii non simplici *vino* abluunt, sed in eo *rosas*, *folia myrthi*, addito pauco *sale* incoquunt, & inde lotione per quinque vel sex dies repetitâ, non modò sordes eluunt, sed si quid in tenello Infantis corpusculo contusum à duro enixu collisumque est, digerunt, & carnibus robur addunt. Nostræ matresfamiliàs *aquâ simplici* pro ablutione utuntur: ditiores alteram partem *lactis* affundunt, & simili aqua dulci tepida per se, vel lacti mixtâ, quotidie abluunt & moderatè fricant, quæ frictiones, coctiones juvant, & locô exercitii Infantibus sunt; à balneo Infans fasciis linteis involvendus, nè manus & pedes liberè movere, & ossa quæ adhuc fluxibilia sunt, distorquere possit. Post menses quatuor, manus & brachia solvi & fasciis liberari possunt: thorax autem & venter seu abdomen etiam ultra annum involvendus, ad illum firmandum & tuendum: aliàs quoties expergiscitur Infans, à sordibus excrementorum alvi & urinæ mundandus, nè inde pruritus vel excoriatio contrahatur.

Nota: nec desunt quædam mulieres, quæ prima vice Infantem, ut deinceps ab omni epilepsiæ insultu tutus sit, tali *Decoctione* abluunt. ℞. *Herb. beton: Mj. rad. pœon.* ℥ß. *castor.* ʒij. coq. in mensura *j. vini*, colatura addatur *aquæ lavacro dicatæ*, quæ balneatio omni die, quousque virium permittat ratio & mundus videatur, idque primâ septimanâ quotidie, ùt dixi, reliquis, secundâ vel tertia die, reiteranda. A balneatione Infans

fans lactatur. Interea finguli manûs pedumque digiti tractandi & leniter explicandi, crurum & brachiorum articuli modestè extendendi & contrahendi, pluribus diebus pluries, ut, quod humoris excrementitii in articulis & membris, id est, capite, palpebris, auribus, naribus, inguinibus, podice, vulvâ, scroto, pene & aliis meatibus & orificiis, ore, faucibus, lingua oculis, (qui NB. linteo ficco folummodò abstergendi funt, nequaquam aquâ & vino mixta, nè ab acrimonia dolor excitetur) refidet, id motu concalefactum & agitatum refolvatur.

His omnibus factis, constitutio Infantis inquirenda: unde 1*mò*. Si mater & pater probatæ fanitatis fint, de Infante bene sperandum. 2*dò*. Si color Infantis neo-nati est fubruber per totum corpus, qui postmodum fensim in floridum mutatur, optimum est fignum: fecus qui vix editus est Infans floridus & albidus, ii exiguo temperamento & vivacitate funt prædìti: 3*tiò*. Bonum est, fi Infans vagitum edat clamofum & clarum, robur denotat & partium debitam conformationem: è contrà, fi fubmifsè plorat. 4*tò*. Bonum est, fi omnium partium constitutio, magnitudo, numerus, figura, meatus, fitus, connexio, fe bene habeat: è contrà malum, fi hæc non ità fint, unde in hoc cafu obstetrix hæc vitia examinet, & vel ipfa dexteritate juvet, vel peritum Medicum in auxilium vocet. 5*tò*. Bonum est, fi omnes Infantis partes, nullâ luxatione vel rupturâ laborent, nafus ritè fit formatus, frenum linguæ liberum, tumor in capite ex contufione partûs non adfit, cranii offa fint bene compofita, via urinæ & alvi pateat.

Statim, ac ab obstetrice elotus fuerit Infans, & obfervatæ cunctæ illius partes fuerint, ùt fuprà monuimus, tunc (ut rem adhuc clariùs tyronibus Medicinæ, ac juvenculis fœminis, hoc in cafu minimè adhuc practicis, magis fundatè proponam) fafciis & linteis ipfum fequenti modo ac ordine involvere debet, initiô ductô à capite, cui levis ex linteo calantica imponi debet, fuper

superimpositô pileô lineô admotô prius fontanellæ, linteô molli triplicatô, vel quadruplicatô, quatuor digistos latô, quod nè hinc indè declinet, per aciculam calanticæ adnecti debet, ab externa parte affixam, nè Infantem compungat; usui est illud linteolum, tàm in præservando à frigore, quàm ab aliis injuriis Infantis cerebrum, quod hoc in loco, osse nondum contectum est. Aurium ambitum muniet linteolis, absorbendarum sordium causâ ibi congeri solitarum, quô factô iterum aliis linteis pectus muniet, admovendo præterea alia axillis & inguinibus mollia & calida, antequàm fascias superinducat. Et quamvis involutionis hujus modus afferendus non foret, omnibus quippe notissima mulierculis, id solùm tamen in genere pro neo-practicis & primiparis fæminis monendum: non nimis arctè linteis stringendum esse Infantem, præsertim ad regionem pectoris & ventriculi, tùm ut respiratio ipsi sit facilis, tùm ad præcavendum, nè præ nimia compressione impellatur ad vomitum lactis exsucti, impeditâ nimirum liberâ ventriculi dilatatione ad id concipiendum, unde nonnunquam malum in habitum transit temporis decursu, non levi Infantis damno, quæ cautio non levis est momenti.

Brachia & crura obvolvi debent linteis substratis directè posita, quæ demum obvolvenda, ut in illo situ contineantur; brachia videlicet juxta corporis truncum, femora autem sibi proxima, particulâ lintei interpositâ, nè à contactu & attritu mutuo, incalescant. His peractis caput firmandum erit, nè mutet imposito linteo, quod vulgò vocant capitellum, quod hinc inde linteis obvolventibus adnecti debet, superadditis velaminibus ad calorem conciliandum. Prædictâ ergò hac ratione debet involvi fasciis, ut corpusculo figura erecta & decora concilietur homini omnium convenientissima; ut & sensim inducatur consuetudo pedibus insistendi, aliàs futurum fortè ut quadrupedum more incessurus esset.

Siqui-

Siquidem verò cæterorum animalium corpora expedita sunt, nullis involucris præpedita, facilè excrementa deponunt, à quibus neqve inquinantur neqve oblæduntur, qvæ statim ac alvo ejecta sunt, Mater extra nidum vel cubile projicit, (si id ex se juvenenes neqveant) aut certo in loco congerit, ubi nocere neqveant. Verùm Infantum eadem non est ratio, qui fasciis & linteis involuti & constricti (ad conciliandam rectam ùt diximus figuram) excrementa ejicere nequeunt, quin universum corpus illis inquinetur, quibus immersi sæpe latent (quod evacuari & deprehendi nequeant propter involucra) donec fædus odor nares Nutricis feriat, vel advertat ex Infantis ejulatibus tali proluvie & acrimoniâ lacessiri: propterea fasciæ solvendæ sunt, bis aut ter saltèm de die; imò etiam noctu si res exigat, munda lintea sordidis permutando, quæ tamen sint bene lota etiam lixivio, cùm simplici elotioni sæpe vix talis impuritas cedat, & postmodum corpusculum tenerum magìs inficit. Tempus ergò maximè idoneum solutioni fasciarum & linteaminum toties erit, quoties alvi & vesicæ onus deponitur, dummodò non dormiat, idq; tamen mox ac expergiscitur, præstandum: hæ autem exsolutiones & involutiones fiant juxta ignem vel fornacem linteaminibus calefactis & siccis, nè frigus vel humiditas gravia accidentia producant.

Tenellos Infantes sub formatione & nutritione in utero excrementum colligere, vulgò mœconium dictum, nemo dubitat, idque in tenellis intestinis reconditum habere; hoc originem ducit à nutritione imprimis per os, quam ultimis accipit diebus, & cum diutius quam par est, detineatur, magis acescit, & nigrum, & ex viridi nigrescens efficitur, hinc existit author plurium atrocium malorum, unde Etmüllerus dicit; *Mœconium nihil aliud est, quàm crudior caseus à reliqua nutritiva substantia sequestratus, qui postmodum bili in intestinis junctus, ex nigro viridescentem colorem acquirit*, hinc Solon *inquit*, homo

 est

est putredo in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte; ob quam causam Medici ministri naturæ, antequàm pulticula, vel lac præbeatur Infantulo deglutiendum, aut ejus ori ubera nutricis admoveantur, optimum & utilissimum judicant, cochleare unum *ol. amygd. dulc. rec. & sine △ expressi* degludiendum propinare, non modò ad alvum lubricandam, & impuritates quasdam, ipsumque mœconium deturbandum, sed quoque ad faucium & tracheæ arteriæ gulæque asperitates leniendas, diluendamque viscositatem & materiam quasi piceam, quæ epilepsiam, tussim, imò & dyspnœam & alia molesta accidentia Infantibus plerumque inferre solent; utut verò sit, hoc tàm mulierculis quàm Medicis familiare remedium, meo tamen judicio soli huic oleo non semper esse fidendum, cùm vel rancescendo facillimè Infanti propinatum non leve incommodum in primis viis inferat, vel licèt non rancidum, vix tamen omnia tam exactè eliminet, quin subinde aliquid sordium nocivarum remaneat.

Hinc alii faciliori sanè successu in usu habent, *mel rosatum simpl.* vel *solutivum* (quod melius) tantillum propinando. Doctissimus Etmüllerus felici usu compertum habuit sequens: si *pulpa passularum min.* cum æquali parte *Syr. de cichor. cum rhab.* mixt. addito pauxillo *pulv. corall. rubr. ppt.* & *ocul. 69. aa.* horum ℈j. vel ʒß. ad illorum ℥ß. addendo, cum parvo cochleari leniter infundatur; & sic optatè rejiciuntur omnia excrementa tàm per inferiora, quàm interdum per superiora, & vitiosa mœconii aliarumque sordium acescentia, futuro lactis suctui perquàm nociva, optimè simul & rejiciuntur & coërcentur. Doctissimus Heurnius in *meth. ad prax.* usu comperi, *inquit*, à seminis anisi ℈j. crassè comminuto jam recens natos puerulos commodissimè à viridi materia seu mœconio purgari, cùm pultem saccharatam sumunt, primo cochleari inditur, ac illis exhibetur, clamosos quoque ventris dolores sedat. Alii optima

ratione

ratione ducti, *ol. amygd. rec.* ad præcavendam rancescentiam *pulverem sacchari Penidii*, ea quantitate jungunt, quâ pulticulam æmulantur, de qua cùm digito Infantulis semicochleare indunt; quia verò & saccharum absconditum in se continet acidum, non omni ex parte & tempore tutum hoc videtur esse remedium. In Galliis & Italia, os puerulorum interius *melle*; addito momentulo *theriacæ* leniter fricari, & itá agi, ut inde aliquid deglutiant; sic enim multa ab ore prolicitur viscosa & excrementitia humiditas, cui si aliàs lac suctum admisceatur, facile corrumpitur, à quibus simul corruptis, elati ad cerebrum vapores perniciosa pueris inferunt symptomata.

Nonnulli ad torminum materias (sive mœconium sive cujuscunque generis sint) maturè evacuandas, non tantùm jam dicta exhibent sed & *ol. amygd. dulc.* cum *manna* mixt. vel idem *ol.* cum *cassia*. Alii *Syr. laxat. è rosis pallid*, vel *Syr. flor. persic.* vel *Syr. d. cichor. cum rhab.* qui summè laudatur; vel *Syr. de spina, Cerv:* cum *melle* mixtum, additis *ocul. cancr.* quod remedium etiam acorem & congrumescentiam futuro lacti tenello nocivam impedit, de quo remedio Etmüllerus *inquit*: vix unquam fallere, & esse laxans Infantum convenientissimum. Alii *pulv. March.* cum *Specif. Cephal. Michaël*: pro acido absorbendo & præcipitando porrigunt. Burgeois seu obstetrix Gallica, recens natis propinat unum parvum cochleare *vini*, nam spiritus Infantis recreat, & reficit, pituitam in faucibus discutit, facitque ut postea non facilè inebrietur, & ab epilepsia præservat. Grülingius, *stercus de vacca nigra* (est Principis cujusdam secretum) adhuc calidum indatur ollæ & calcinetur, datur ℈ß. vel ℈j. ad ʒß. Infanti recens nato, sic tandem evomet pituitæ copiam in utero collectam quæ est causa multorum malorum. Kunrad, primis duodecim septimanis quotidie Infantis totum corpus, *succô absynthii expresso* illinatur, & fricetur, & præservabitur per totam vitam ab omni frigore, calore, lepra, scabie, furfu-

ribus & pediculis. Hæc & similia plura toties & tam diù danda, quousque Infans à prædicto mœconio sufficienter repurgatus videatur, quod in quibusdam una, in aliis duabus, quandoque etiam tribus diebus fieri solet.

His itaque ritè observatis, tutò deinceps Infans mammis admoveri poterit, cui optimè consules, si lac illi sæpius è papilla in os exprimas, ut sic sensim assvescant lacti fibræ ventriculi attrahendo. Optandum quidem esset ut lac etiam proprium seu maternum exhiberetur post elapsum omnimodè peccantis materiæ & concrementorum tempus, quod sapientiores Medici primo octiduo integro à partu exhibendum suadent (imò si securitati studeremus, amplius intervallum requireretur, trium nempe aut quatuor septimanarum) ut sedatâ omnium humorum in matris corpore agitatione à partu inductâ, nec non omnibus impuritatibus eductis beneficio lochiorum, lac eò purius evadat; accedit, quòd papillarum foramina nondum sufficienter reserata sint, mammæ pariter primis diebus Infanti sugenti vix cedant, imò opus sæpe sit permittere depleri mammas ab aliquo valide sugente puello, vel fæminâ, vel in defectu horum ipsa mater instrumento vitreo, vulgò, Vitro suctorio, Germ. Saug = Glaß / ad id concinnato id ipsum præstet, quousque lac fluidius factum & effectum, & absque ullo impedimento exsugi possit: & licèt quidem (ùt multi doctiores existimant Medici) lac noviter fætæ magis congruum esse, quàm si purius foret, ac conferre lùbricando ventri, & expurgando intestinorum mœconio, verùm enim verò credo ego tormina ventris inducta ab ejusmodi fæculento lacte majoris esse ponderis, quàm utilitas emergens ab illius potu, quare satius existimo abstinere Infantem à tali lacte (dummodo fieri possit) quousque correctum & aliqualiter saltèm in melius dispositum sit, quod intra paucas dies, ùt diximus fieri potest.

Hic

Hic obiter notandum : quòd ſi Infans vel ob ignaviam , ùt mox diximus, vel debilitatem , vel aliam cauſam ubera ſugere recuſet, impellendus eſt , ſi nimirum nutrix lac in os Infantis inſtillaverit, quo labia ejus dulcedine afficiantur, poſtea ſtillantem adhuc mamillam præbeat , quam manu tantillum comprimat, poſteaquàm papilla ori indita fuerit, quo fiet, ut lac facilius influat, & Infans adhuc debilis facilius quoq; trahat & ſugat, donec ſugere ſufficienter aſſveſcat.

Poſtquàm Infans lac ſufficienter hauſerit, quieti & ſomno ſe tradat nutrix , non tamen in eodem cubili ſeu lecto, nè per inadvertentiam (ùt ſæpius in praxi lamentabiliter obſervavi) inter dormiendum Infantem ſuffocet, illi ſuperincumbendo , ſed in cunis deponet lecto proximis, quibus imponendus arculus velamento quopiam aperiendus, tùm ad impediendum nè quid ſordium in faciem incidat, tùm ad præpediendum nimium luminis appulſum. Dorſo incumbere debet Infans, ità tamen ut caput ſit paulò elatius ſubſtrato pulvinari. Ad ſomni autem provocationem faciliorem cunas leviter agitabit nutrix, motuque æquali, evitatà vehementiori agitatione, nè impedietur lactis in ventriculo concoctio, inductâ illius fluctuatione, & ſic quoque concitato vomitu. Sed nè nimis etiam aſſveſcat Infans, cavendum nè cunæ nimis crebrò moveantur, & ut ſomnus ſpontè obrepat, citra illud adminiculum procuretur : nullum quoque determinatum tempus eſſe debet ad quietem , nam è re eſt , ut dormiat quavis diei vel noctis horâ, quoties in ſomnum propendebit, ac ùtplurimum quò probrior illi eſt valetudo, eò magis ſomno indulget: ſi tamen ſomnus mediocritatis leges excedere videatur, tantiſper moderandus erit, quapropter nutrix ulnis arreptũ ad lucem deferat, canendo & voce amœna exhilarando, oculis quidpiam lucidi objiciendo, quod oculos oblectet, & ſic ſomnum excutiat: à nimio enim ſomno calor na-

turalis ad interiora adeò vergit, ut quasi sepultus jaceat, quo fit ut totum corpus, ac præsertim cerebrum inundetur, sensus hebescant, functiones langueant, & non ritè perficiantur.

Præterea benè observandum, ut Infans in cunas positus, eô modô jaceat, ut è directo oppositum habeat ignem aut candelam, vel lumen cubiculum subiens: à lateribus enim si sæpius adveniat, strabismus facilè accidit, quare optimum est si cunarum arculus superinjectum habeat velamen lumini objectum: hoc enim pacto visus, neque hac neque illàc deerrans, validior futurus est.

Puello lac è mamma præbetur primis post partum mensibus, omnibus quasi bihoriis, post tres vel quatuor menses sexies, postmodùm bis vel ter de die. Hoc lactis potu alitus per anni unius curriculum, vel ultra (uti quidam biennio, imô triennio) ultimis diebus assuefieri debet potui usitato, donec à lactis usu removetur, & sic ablactatur. Tempore lactationis quoque pultes ex farina ùtplurimùm triticea ex lacte vel aqua parata, quam salivâ humectatam, bis terve in die nutrices exhibent, nutriuntur, de quibus autem omnibus plura infrà suô locô.

Hic tamen obiter & benè nota, quod si ipsa Mater sit nutrix, tunc tot & tantis remediis pro mœconio expurgando opus non est, sed solùm colostrum matris propinatum, pro hac intentione omnia alia antecedit; est enim alimentum (teste Spigelio & multis Recentioribus) medicamentosum, quod natura eum in finem generavit, ut modicè nutriendo leviter pro Infantis imbecillitate purget per aliquot dies: Nota 2dò tenello neo-edito Infantulo, etiamsi sanissima mater sit, ipsius lac probè excoctum, crassius, spissius, adeoque uberioris nutrimenti, non æquè primo statim haustu convenire, idque ex eo fit manifestissimum, quod in utero materno adhuc conclusus

fætus

fætus nutrimentum lacteum (ùt dictum) per os hauriat admodum subtile, perque duplicem chorii & amnii membranam probe filtratum & depuratum, quò teneriora facilius perluat abdominis viscera: ob id provida mater natura, post partum in salutem editi fætûs, non statim lac perfectum, pinguius & spissius subministrat, sed præmittit colostrum, hoc est serosiorem, tenuioremque in mammas chylum, ut hic ipse minus stomacho facessat negotii, quin potius serositate salina, abstergat blandè stomachi mucum, intestinorumque suggestatione collecta excrementa repurget, ac virtute diuretica, organa urinaria probè eluat, ut ità supervenienti successivè magis alimentoso lacti, faciliterur digestio, & impediatur facillima ejus corruptio, cùm reverà, ùt mox diximus, tale colostrum sit alimentum medicamentosum: hinc istud quod prima die scaturit ad mammas, potentius purgat, quod secundà & tertiâ minus, donec succedat vi purgatrici vis nutrix: quod si verò per prædictum colostrum non succedat debita expurgatio, studiosè ergo incumbendum erit, ut mœconium & cæteræ sordes, suprà dictis fusius remediis evacuentur.

CAPUT II.

De Lacte & potu Infantis, ejusque vitiis & cura, Nutritisque electione, & ejus dieta.

PAlàm & in confesso est, inter omnia lac ad alendum Infantem esse saluberrimum, & ejus naturæ accomodatissimum, præsertim maternum, utpote ad quod in utero ipso jam dudum est assvefactus. Suppono enim *Primò* fætum in utero materno, non solùm nutriri per umbilicum, sed etiam per os, ùt fusius

fusius Courvee & Harvæus. Suppono *Secundò* nutrimentum utrobique non esse sanguinem, sed lac, seu lacteum chylum cum sanguine per arterias (aliæ enim adhuc non sunt repertæ viæ, factâ in vaccis anatomica inquisitione) ad uterum delatum. Suppono *Tertiò* lac mammarum & ipsum, revera esse chylum in mammarum glandulis secretum, & ductibus particularibus exinde ad papillam delatum. Suppono *Quartò* unicuique mulieri suum proprium esse lac, seu specialis lactis proprietas, & ideò syncrasia (imò lac diversum in una mamma quàm sit in altera observatum est) oriunda ex speciali fermenti digestivi stomachalis differentia, secundùm quod, sicut in unoquoque individuo tàm naturaliter quàm præter naturam constituto, distinctus est appetitus, ità etiam distincta est digestionis ratio, licet eorundem assumptorum. Diversum ergò lac mammarium nutricis, à lacte uterino matris in stomacho infantuli, ipsi aliàs non assveti, non potest non subire corruptionem, & lædere insigniter primam digestionem, mox distributionem, & tandem nutritionem. Manet ergò firmum in cursu ordinario, lac maternum seu Matris sanæ esse optimum: sicut enim plantæ in eo solo, in quo natæ sunt, facilius crescunt, ita etiam proles à matre nutrice facilius evadunt: si verò matri lac deficiat, aut corrumpatur, aut ægra sit, aut malis moribus dotata existat, necessitate urgente nutrix eligenda est.

Primis aliquot mensibus si copia adsit, satius est si solo lacte contenderetur, idque de die & nocte toties, quoties postulat, modò non vomitu, vel alvi fluxu laboret, & ventriculus inde patiatur: præsertim primis diebus ubi nondum assuetus est. In lactando Infante hoc observetur, ut ei nunc una nunc altera mamma præbeatur, præsertim si Infans manus liberas habeat, nè uni assvefactus mancus fiat, & ut alterutrius mammæ corruptio lactis impediatur. Vinum & saccharata, quia acidum in sinu gerunt, nulli conducunt Infanti pro ordinario potu.

Quòd

Quòd autem non cunctis Infantibus lac conveniat, matrum, & diſpoſitionis lactis culpa eſt, quod ſæpe corruptum, aceſcens, & conſequenter nocivum obſervatur.

Nota: quòd licèt varia inſtituantur lactis examina, ejusque bonitatis ſcrutinia, fallunt tamen Practici, quòd præcisè ex conſiſtentia, colore, ſapore, odore, pinguedine &c. lac judicare velint; cùm inſenſilia ùtplurimùm ſint vitia, quæ lactis miſcelam corrumpunt, id quod patet dum non tantùm ſemina morboſa per lac transplantentur, ſed enim in ſpecie vitia moralia per lac ipſum inſenſibiliter communicentur, adeò ut revera lactis conditiones, & vires, potius metiendæ ſint ex ſanitate Nutricis, vita, ejusque cibis. Hinc neque etiam lac nimis excoctum, craſſius & pinguius ſemper eſt optimum, teſte Hoffmanno: ſed illud lac (ſaltèm quoad ſenſum, rationem & experientiam, communique Medicorum conſenſu) eſt optimum, quod *cos* ſicut vinum habet, id eſt; colore candidiſſimum, ſapore dulciſſimum, odore ſuave & jucundum, conſiſtentiâ mediocre. Contrà verò vitioſum æſtimandum eſt, ſi degeneret in aciditatem & grumoſitates, colore flavum, vel lividum, ſubnigrum, cæruleum, tenue, acre, ſalſum, amareſcens & aceſcens, tale enim ventriculum tenellis fibris munitum facilè lædit, & multos morbos inducit. Ut autem cognoſcas lac eſſe bonæ conſiſtentiæ, illud patinæ, ungui, vel ſpeculo inſtilla; ſi ſubſiſtat & nec ſtatim defluat, nec reclinatum in motum hæreat, eſt bonum: vel pilus lacti immergatur, ſi æqualiter pilo adhæret eſt bonum, ſi planè defluit eſt tenue. Quomodo autem lac vitioſum corrigi poſſit dicetur proprio Capite. Infantem per annum, ad ſummum per biennium lactaſſe vulgò ſufficit.

Nutricibus vel Matribus non adhibendi ſunt Infantes, ſi mater vel nutrix denuò concepit, ſed ablactandi potius & ad ſolidiora alimenta aſſveſaciendi. Si mater Infantem nutrire nequit, eligenda eſt nutrix, ſi verò mater perfecta vel mediocri

Mm ſani-

ſanitate fruitur, melius eſt, Matrem ipſam proprium Infantem lactare & nutrire. Nam *conſueta longo tempore, etſi deteriora, inſuetis, minus moleſta eſſe ſolent.* Hipp. 2. *aph.* 50. tacendo rationes partim jam dictas, partim adhuc dicendas. Nutrix autem debet eſſe habitûs inculpati, & ſana, ætatis mediocris, id eſt ab Anno 20. ad 30. floridi coloris, qui color optimi temperamenti ſignum eſt, moribus honeſta, & ab omni voracitate & ebrietate aliena: cùm enim Nutrices aſcititiæ, ſint ùtplurimùm pauperculæ, & quibuscunque eduliis latranti ſtomacho reſpondeant, vix fieri poteſt, quin & cacochyliâ, & inde oriundâ cacochymiâ laborent, quæ morboſæ proprietates poſtmodum Infanti per lac communicantur. Nutrix ad minimum bis pepererit, & potiùs filios quàm filias, eosque feliciter educaverit; nullosque ſit paſſa abortus, cum Matris propriæ conſtitutione corporis conveniat, niſi forſitan Mater & Infans non ſint bonæ conſtitutionis, ut eam corrigere & meliorem eligere oporteat: prætereà non ſit luſca, nè Infans eidem vitio aſſveſcat, ſitque bonô animô, pacifica, non iracunda, non melancholica, nón ſalax, ſicuti enim morboſæ diſpoſitiones, (ùt mox diximus) per lac communicantur, itá etiam non minus vitia moralia; de quibus conqueritur Helmont. *fol.* 523. & Gal. *mores* (inquit) *ſequuntur temperamentum corporis.* Sic obſervantur Infantes bibuli, iracundi, à Nutrice bibula, cholerica, enutriti. Lac non habeat nimis recens, id eſt, infra duos menſes, nec nimis vetus, id eſt, non ultrà decimum menſem à partu abſit. Mammas habeat mediocres, benè formatas, non laxas, non pendulas, papillas elegantes, & quas Infans in ſugendo benè apprehendere poſſit, & licèt etiam ſaniſſima ſit Mater, vel Nutrix, tamen tenello Infantulo ipſum lac vetus, nimis excoctum, craſſius, ſpiſſius, adeoque uberioris etiam nutrimenti (præſertim ſtatim pro hauſtu ùt ſuprà diximus) non convenire, & hoc ipſum præter dicta eò manifeſtius ſit, quòd in utero materno adhuc

adhuc conclusus fœtus, nutrimentum lacteum per os hauriat; admodum subtile, perque duplicem amnii & chorii membranam probè filtratum & depuratum, quò teneriora facilius perfluat abdominis viscera: ob id provida mater Natura, post partum in salutem editi fœtûs, non statim lac perfectum, pinguius & spissius subministrat, sed præmittit colostrum, id est, serosiorem & tenuiorem chylum, ut is ipse minus stomacho facessat negotium, quin potius serositate salina abstergat blandè stomachi mucum, & sub gestatione collecta recrementa intestinorum expurget, ac virtute diuretica, organa urinaria probè eluat, ut ità supervenienti successivè alimentoso magis lacti, facilitetur digestio, & impediatur facillima ejus corruptio; cùm reverà tale colostrum sit alimentum medicamentosum. Hinc illud, quod die primo decurrit ad mammas, potentius purgat, quod secundo & tertio die minus, donec purgatrici, vix nutrix succedat. Quàm malè ergò suis consulunt Natis, qui robustis, aut obesis, aut qui jam diutius lactârunt, Nutricibus, mox Tenellos tradunt, à quarum lacte butyroso & caseoso, nimis gravatur tenellus stomachus, & digestionis opus inde insigniter retardatur, & acidæ cruditati lactisque coagulo promptissima occasio subministratur. Cujus rei exempla, insultus epileptici frequentes & lethales contestantur.

Quod si ergò Matres nutriri intendant suos Fœtus, quo quæso consilio corrigunt naturæ prudentissimos conatus, & tàm studiosè emulgent salutare hoc colostrum, quasi nocere possit Infanti, quod instar Divinæ Medicinæ ipsi propinatum foret? de hoc vide Vesling. in *observ. & epist.* 28. *pag.* 123. & Spigel. *de formatione fœtûs cap.* 13. *pag.* 16. Sed tolerabile adhuc, quia facile corrigibile, esset hoc erratum, nisi aliud longè gravius, licèt familiarissimum se offerret, nempe superflua & inordinata, & utinam! non coacta lactis infusio, qua Matres, Pueros suos nimis alendo, sæpe necant, & dum lactant, mactant, teste Gertring.

tring. *Spicilegio Anat. observ.* 40. dum nimirum ad quemlibet ex quacunque causa excitatum Infantis ejulatum, ipsi, renuenti licèt, subinde de papillis in os trudunt, & lac sugere cogunt, priori licèt crudo adhuc, subacido & nondum concocto in stomacho hærente, unde novi superingesti necessaria congrumescentia, caseatio, ac utriusque in pastam acidam & viscidam corruptio succedit; unde pylorus indignatus, vel se pertinaciter stringit, qui aliàs de se ipso in Pueris arcto munitur sigillo, & planè non, vel difficulter saltèm talia caseata & grumosa transmittit, ut ulteriori mora in loco isto tepido in deterius, ac ex cruditate acida in corruptelam putredinosam labantur, inque liquamina putrida, flavescentia, viridescentia, nitrosa &c. tandem degenerent; vel graviori furore percitus idem pylorus, salutari licèt effectu, per gulam seu vomitum omnia ista vitiata remittit.

Præstat sanè hìc peccare in defectu, quàm in excessu, cùm *repletiones ad extremum perductæ, graves esse solent.* Teste Hip. 1. *aph.* 4. & sicut omnis repletio, in specie panis in adultis, ità sanè lactis in tenellis est pessima, hinc consequenter *impura corpora, quò plus nutrieris, plus læseris.* Hip. 2. *aph.* 10. hoc ipsum periculosum fatum misellos lactantes urget, ex perversa & sæpissimè inordinata lactantium diæta, alimentorum nimirum promiscua ingluvie, affectuum neglecta refrænatione, & excernendorum pariter ac retentorum peccato: quæ omnia *cap. de caus. morb. Infant. in genere*, clarè & abundè deduximus, ibidemque legi & relegi possunt. Redeamus hìc iterum ad propositum de constitutione Nutricis, nimirum quod mammas concernit, eas habeat mediocres, bene formatas, non laxas, non pendulas, papillas elegantes, & quas Infans in sugendo bene apprehendere possit.

Maturè ergò, fætus in hanc lucem editus, tradatur tali Nutrici; videmus etenim, quòd plurimæ Matres cacochymicæ & scorbuticæ, citra vitæ periculum suos Infantes lactare non possint

sint, unde si illos conservare velint, Nutrici tradere debent, & si hoc negligunt, vel ob sumptus impendendos, vel ob mariti severitatem, tunc Infantes plorando, supervenientibus torminibus ac epilepticis insultibus ad Patres abeunt.

Hinc si Mater vel Nutrix calculosa, lue venerea, epilepsia &c. affecta est, tales & similes affectus per lac communicari facilè Infantibus, quis dubitat, adeat & consulat Authorum volumina, & inibi observationes exstantes, sed proh dolor deplorandas. Illico ergò Fœtus à mammis Matris & Nutricis valetudinariæ abigatur, & alii tradatur, quo temporato lacte opprimuntur facile omnia morbosa semina (quæ aliàs in lacte & ad coagulum apto, vel sale scorbutico impraegnato reperiuntur) & corriguntur sanguinis dyscrasiæ, & constans & firma sanitas oritur,

Quas parvuli etiam sæpius pœnas luunt, à Nutricum & Matrum mala diæta, quam nec in quantitate, nec qualitate, neq; in modo, more & tempore observant, tristia docent exempla; caveant ergò Nutrices & Matres à purgantibus & acidis, quæ Infantum tenellas fibras stomachi, valde vellicant, & convellunt, & multa mala inferunt: nocent quoq; iis aromata, vinum & alia spirituosa potulenta, in se enim habent acidum occultum, authorem multorùm malorum: vitent porrò omnem aërem inclementem, nimias vigilias, otium, & somnum longiorem: studeant munditiei, & sordes in corpore & vestibus præcaveant: si somnus nocturnus non fit quietus & sufficiens, illum de die suppleant, & quidem matutino tempore, nec desistant à laboribus mediocribus; à venere, toto lactationis tempore angue pejus abstineant, cùm coitus lac corrumpat, & malas qualitates imprimat; imò si concipiat, Infanti, qui alitur, multum obest, partim ob lactis & alimenti defectum, partim etiam ob dictam pravam qualitatem; accedit etiam quòd coitus menstrua provocet, & lac per consequens imminuat. Cibi sint euchymi & eupepti, id est, boni succi & facilis digestionis, bonæ & substantiosæ carnes, hædinæ, vitulinæ, pulli, capones &c. Si Nutrices sint rusticæ & plebeæ,

cibi non ſint delicatiores, aliàs ipſis ſunt pejores, & in earum ſtomacho corrumpuntur, quia non ſunt aſſvetæ ejusmodi deliciis, hinc in cibi faſtidium & febres ac in ſimilia accidentia incidunt: caſeum non comedant ex quo lac grumeſcit in mammis; nimis ſalſa, legumina & piſces &c. evitent, in quibus faber latet epilepſiæ; abſtineant à cerevişia non probè cocta & fermentata, quæ fermentum ventriculi inficit, & mala procurat; omnia quoq; graviora animi pathemata fugiant, quæ ſpiritus animales, genus nervoſum, & his mediantibus maſſam ſanguineam, & reliqua corporis contenta liquida commovendo, maximè alterant, hacque ratione lac corrumpunt: imprimis verò terrorem & iram, ideò à domeſticis nulla detur occaſio: terror enim ex ſpirituum animalium impetu, lactis coagulum producit, ùt patet in exemplo Etmülleri, cùm caſu graviter terrefierit puerpera, & repentè ad ſe rediiſſet animus, catellum mammas exſugere permittit, nè alteratum lac Fœtui noceret, quô factô, catellus, brevi pôſt epilepſiâ correptus, qui adhibitâ theriacâ convaluit. Sic etiam ira nocet, quæ ideò parva epilepſia dici meretur; terror enim & ira turbant digeſtionis primum opus, & iræ furor facit ſanguinem ebullire, & excitat effervefcentiam febrilem cum bilis orgaſmo. Quoad excreta & retenta, omnia legitimo modo ſe habeant, id eſt, alvus nec laxa ſit, nec adſtricta. Si verò propter victum liberaliorem, voracitatem, aut alia de cauſa, materia peccans in Nutrice collecta ſit, levi aliquo pharmaco nutrix evacuanda, quæ eo die, aut maxima diei parte, à lactatione abſtineat, niſi eâdem operâ forſan Infans purgandus ſit.

Menſes in lactantibus ac gravidis ſint ſuppreſſi, quoties enim menſium contingit excretio, toties advertitur in tenellis alteratio, quâ languidi, lacrymabundi & debiles fiunt, donec ſedato hoc fluxu dicti languores remittant. Inſignis etiam lacti imprimitur alteratio, ùt ſuprà dictum, per fæcundum coitũ, inde lac corruptum generatur, & horridam acquirit impreſſionem, quod

ab

ab Infante posteâ suctum, degenerat in ejus ventriculo in vitiosum casei coagulum, Tenello funestum, adeò ut exinde eidem stigma per totam vitam imprimatur, inde casei aversionem, tam multis solennem deducit Etmüllerus & Alii.

Notandum pro coronide: cùm hactenùs de lacte tanquàm potu & alimento homogeneo Infantis abundè egerimus, restat nunc occasione hujus exucleandus nodus Gordius; *an acceptanda & approbanda sit illorum sententia, qui consideratione facta facilis corruptionis lactis in Infantibus, indeque natorum variorum malorum, aliô potius nutrimentô quàm lacte tenellos cibare & educare malunt?* Resp. Hanc sententiam & opinionem ex hactenus deductis & adhuc deducendis, à veritate, ratione, & autopsia alienam: licèt enim hordeata vel crepatura hordei, additô vitellô ovi, vel jusculа avenacea, vel amygdalata, vel nutrimentum Helmontii, ex pane modico cum tenui cerevisia bullito cum melle, & similia substituantur; his non obstantibus dico, nec frustra, nec sine prægnanti ratione, mammæ mulieribus, & in iis mox post partum lac, non secus ac reliquis brutis sylvestribus & terrestribus, uti & quibusdam aquatilibus concessum fuit à natura, quin hæc ipsa potius intentô quasi digitô hanc fœtuum nutritionem monstraverit, hinc aves mammis carentes earum defectu grana deglutita, & in ingluvie aliquali morâ macerata, ac ita ad fundendum citiùs lacteum suum nutrimentum prædisposita, evomunt denuò pro meliori pullorum sustentatione; tenerior autem certè est Infantum stomachus, minusque exaltatum fermentum eorum digestivum; unde quæcunque ferè ingesta laboriosam, si non & defectuosam penitus redderent digestionem, quæ facillima & summè nutritiva erit, dum lac seu chylus in Nutrice jam antè elaboratus ipsi suggeritur. Talis scilicet succus ex quo & primitus machina eorum corporea constructa fuit, & ipse Fœtus jam in utero matris sustentatus, & quem

& quem tanquàm jam aſſvetum facillimè digerere & concoquere poteſt ; quod ſi tamen quædam ex lactis alteratione in Infantibus metuenda forent pericula, ea ſanè in ſe ſunt facilè corrigibilia, modò maturè & legitimè iisdem occurratur: accedit quòd rariſſima eorum obſervata fuerint exempla, qui defectu Nutricum feliciter adoleverint.

CAPUT III.

De Pulticula & cibis Infantum, eorumque vitiis & cura.

NOſtræ mulierculæ ſtatim primis menſibus, imò diebus, parant pulmentum ex *farina*, *lacte*, & adjecto quandoque *ſaccharo*, inſerunt ori Infantis, quod pulmentum gluten viſcoſum & bibliopegis pro glutinandis chartis magis aptum, quàm Infantis nutrimentum appello, loco enim hujus nutrimenti tenellorum ſtomachus aggravatur, pappâ tenaci, crudâ ac viſcidâ, unde non poteſt non fieri, quin prima digeſtio vitietur, & conſequenter etiam ſecunda & tertia. Inde periculoſiſſimam pylor à tali pappa notat obſtructionem Hildanus, & plures cachexias & obſtructiones; panis non ritè fermentati & cocti eſu, tali pappæ non multum diſſimili in adultis obſervamus : aſt robuſtus eſt adultorum ex ſpirituoſiori & acriori fermento ſtomachus, debilis è contrà infantilis : ingere tale pulmentum glutinoſum & viſcidum, & ſuperaffunde lac, butyro & caſeo pingui turgidum, quid putas futurum indè in ſtomacho infantili ? tenax nempe vitioſoque tinctus intenſo acore, emerget mucus, mille malorum parens : experientia enim docet, ſponte & facilè quamlibet farinam liquore ſubactam, & in loco tepido ſervatam inſigniter aceſcere, fermentari & turgeſcere, etiam citra fermenti additionem : id quod ſi fiat in Infantis ſtomacho ex pultis

pultis ingesti acore, corrumpitur superingestum lac, & in grumos abit digestionemque depravat.

Hæc pulmenta (si tamen præter rationem, & Medicorum rationabilium suasum) muliercularum ineptus abusus concedat, hoc saltèm caveant obstinatæ medicatrices, nè ante horam post assumptum pulmentum ipsis mammæ ad sugendum præbeantur, nè lac cum pulte diutius detentum corrumpatur. Prætereà caveant etiam mulierculæ, talem pulticulam non nisi correctam adhibere, ejus autem correctio in hoc consistit, ut omissâ farinâ, loco ejus *panis triticeus*, vel ùt vocant, *similagineus* non nihil exsiccatus, vel induratus, minutim tritus, cum *lacte bono* vel *aqua* in pultis mollèm consistentiam coquatur, addito tantillo *seminis anisi pulverisat:* experientia (inquit Etmüller) me hactenus docuit, optimè conducere tenellis tale pulmentum, ubertimque eos nutrire. Fermentatus enim panis adeoque facilè resolubilis, promptiusque in stomacho digestibilis, quidni farinaceæ pastæ præferendus erit? pauciores flatus indè elevabuntur, & liquidior mucus post ejus usum restabit, faciliusque longè qui abstergi queat, quàm è communi pulte fieri solet. Quibus ritè observatis, nullum dubium est, quin Infantes vitam sanam diutius sint conservaturi.

Mauriceau verò pulticulam ut coctioni aptior fiat, sic conficiendam svadet: farina prius in furno leviter excoqui sive exsiccari debet, vasi fictili imposita, postquàm panis expositus est aliquoties eam versando & movendo, ad æqualem exsiccationem, & sic puls ex hac confectum citius excoquitur, & vulgari præstantius, non ità viscidum, & ventriculo coquenti aptius est, præsertim si lac recens emulctum ad id coquendum (uti necessarium est) accipiatur, suadetque prædictus Author, ut tale pulmentum semel aut bis aut summum de die, & ab initio seu primis diebus, pauxillum tantùm detur.

 Non

Non paucæ sunt Mulieres, quæ Infantibus recens natis, etiam primis diebus pultem porrigunt, id quod Nutrices Infantibus infestissimæ factitare solent, ejulatûs à fame prodeuntis compescendi gratiâ; verùm hæc solum interficiendis Infantibus satis est, à subsequente cruditate & obstructionibus indè natis, id enim alimentum consistentiâ, crassius & viscidum vix permeat ventriculum, & intestina muco repleta meconico, parum firma, & nec adhuc sufficienter expansa, unde obnoxii fiunt Infantes primô nativitatis momentô, gravibus obstructionibus, dyspnææ, torminibus, doloribus, & inflationibus ventris, morte sæpè subsequâ. Quare melius facerent primis præsertim duobus, tribus, vel quatuor mensibus, à tali pulmento arcere teneros Infantes, & eos solummodò lacte materno (quod commodissimum Infantis est alimentum, utpote quod ex eodem sanguine generatur, & quô in utero formatus jam enutritus est) vel in defectu materni, lacte Nutricis contentare, postea verò iisdem omnivaria juscula præberi possunt, ex *pane triticeo* cum *jure carnis* debitè cocta, vulgo *panatella* dicta, & sic res melius succedet.

Malè pariter consulunt Infantibus Matres vel Nutrices, quando pulmentum in ore tenent, & salivæ commixtione ipsi fluiditionem conciliant, cùm autem salivæ, peculiaris sit vis fermentativa, quæ si debitè & ab exactè sana muliere institueretur, hæc cum pulte salivæ miscela proficua esse posset, non diffiteor, quia tamen communiter & frequentius observatum est, ex hac fermentativa commixtione & ingestione, plurima morbosa contagia misellis communicari, adeò, ut per hanc salivam Infantibus morbi nutricum innocenter (innumera testantur Authorum exempla) infusi fuerint, ideò eam conscientiâ & experientiâ ductus, magis reprobo, quam approbo.

Curatio.

Curatio.

CUm ergo ex acido & viſcido pulmenti, tot affectus Infantibus propullulent, quod aliàs Galenici *pituitam* craſſàm ac acidam, Paracelſiſtæ *Sal acidum*, ſive *Tartarum*, nos cum recentioribus ſimpliciter *acidum viſcidum* vocamus; hinc omnia medicamenta hoc corrigentia, Infantum morbis ſunt proficua, uti ſunt omnia *alcalia*, tàm *volatilia*, quàm *fixa*, *aromatica*, *ſalina volatilia*, & etiam *oleoſa*, imprimis *volatilia oleoſa*. *Spiritus Salis* ✱*ci. aromatizat.* vel *aniſat.* vel *ſaſſafraſatus*, vel quocunque convenienti aromate rectificatus. *Liquor C. C. ſuccinat.* &c. quæ tàm Nutrici quàm Infanti in vehiculo conveniente, v. g. ▽. *menth. fænicul. lacte materno*, *à gutt. j. ad iij. vel iv.* dari poſſunt. Idem acidum mirè deſtruitur per *ſalia acria aromatica volatilia*, ùt ſunt: *Semen aniſi, fænicul. caſtor.* quod elegans temperans eſt acidum auſterum: Sic & *myrrha*, & *ſuccinum, Cinnabar. nativ.* eundem abſorbent acorem.

Ex *fixis* & paulò *terreſtrioribus* ſunt. *Ocul.* 69. *corall. margarit. Bezoar. ebur, unicornu verum & foſſile.* *Pulv. polychreſt. Ettmüller. pulv. abſorbens Wedelii.* Sequens *Pulv.* ad imitationem Etmülleri in corrigendo acido & flatibus, raro fallens eſt Dolæi.

℞. *Ocul.* 69. ʒß.
CC. philicè ppt. ℈j.
Corall. rubr. ppt. ℈ß.
Myrrhæ rubr.
Caſtor. aa. gr. v.
Theriac. Cæleſt. gr. iv.
M. f. Pulvis. *Doſis* ℈ß. *ad* ℈j.

Nn 2 Quod

Quod si ex torminibus vel alia ex causa acidi, metus sit Epilepsiæ, detur sequens.

℞. *Aq. flor. tiliæ.*
fænicul. aa. ℥j.
Spir. sal. armon anisat. ʒß.
Oculor. cancr. ppt. ℈j.
Cinnabar. nativ. ℈ß.
Theriac. Cælest. gr. iij.
Syrup. d. menth. ℥ß.
Misce detur cochleatim.

CAPUT IV.

De Lactis vitiis emendandis.

Lactis & lactationis vitiosa errata ut quis debitè & facilè corrigat, in genere semper habeatur respectus, ut omnis ejus vitiosa acescentia, & exindè grumosa coagulatio, tanquàm familiarissima vitia, quantum possibile præcaveantur. Commendatissimus ob id Nutrici sit, *anisi*, & hinc *fæniculi* usus, sive *semina* eorum, post singulos pastus commendantur, vel saltèm posterioris radix & herba, quacunque ratione usurpetur: hæc enim & similia, præterquàm quod lac augeant, etiam saluberrimam vim ipsi lacti simul conciliant suâ aromaticâ, volatili, oleosâ naturâ, & acescentiam ejus præmaturam & coagulationem optimè prohibent, imò & tormina & flatus Infantis feliciter tollunt. Caveat simul sedulò Nutrix nè aquæ frigidæ diutiùs aut crebrius manus immergat, & statim ab hoc lac Infanti præbeat, nec enim

enim tantùm Infans sed & ipsa Nutrix ventris torminibus ex tali occasione observatur corripi. Quòd si inopinato terrore concutiatur Nutrix, vel irâ corripiatur, & inde lactis graviorem alterationem metuat, postquàm lac prius ex uberibus emulserit, assumpta *Spermat. Ceti. rec.* à ℥ß. *ad* ℥j. cum ♁io *diaphoret. rec. & rit. ppt.* à *gr. xv. ad* ℈j. in haustu cerevisiæ calidæ, vel jusculo, aut alio vehiculo, ad blandum sudorem se componat, quo sic omnis lactis coruptela emendetur. Vel si tumor, dolor & durities superveniat, & simul inflammationis metus sit: accipiat *C.C. phlice ppt.* ℈j. ♁. *diaph. rec. & rit. ppt.* ℈ß. *Sal. volat. C.C.* (vel quod melius *Sal. volat. viper.*) *gr. viij.* Misce vel

℞. *C.C. phlicè ppt.* ℥ß.
Sal. Card. bened. ℈ß. *vel gr. xv.*

In *aqua flor. sambuci* pro sudorifero assumat. Vel horum locô. *Spirit. Salis.* ✱*ci aromatizat.* à ℥ß. *ad* ℥j. in *aq. card. bened.* hauriat, & sudorem plus minus largum expectet: imponendo simul mammæ in leviori quodam affectu *emplast. de Sperm. Cet. Mynf.* vel *meum Emplast. ad mammas.* In graviori verò affectu inducatur mammæ *Empl. de Galban. crocat. Mynf.* cum *aa. gumm. ammon. in acet. solut.* invicem liquefactis & linteo denso inductis confectum, quàm calidè perferre potest. Utrobique in casu desuper sacculum interpassatum ex oryza confect. & probè calefact. imponat, ut per sudorifera ista alcalina dissolutum lac horum adjumento promoveatur in motum, & stagnatio ejus acgrumescentia ità maturè corrigitur.

In specie autem quomodo lac corrigi possit ac debeat; ex sequentibus patebit. *Lac tenue & aquosum* debet incrassari. Nutrix ergò utatur pane bene cocto, aniso fænicul. aromatizat. oryzâ, amygd. carnibus assis potius quàm elixis; vitentur

pisces, olera, fructus, neque multa juscula sumat, se bene exerceat, potus sit bona & defæcata cerevisia, non multum lupulata: & si hæc non sufficiant, lenis purgatio instituatur, ex Mechoacanna & rhab. tandem quoque sudores & Laconicum proderunt, mammæ sint bene custoditæ.

Lac crassum. Emendetur cibis boni succi & facilis coctionis, quales sunt carnes pullor. vitulina, hædina &c. abstineant verò à bubula porcina, à caseo: utatur fæniculo, & si opus est levem purgationem adhibeat: diætè vivat, exercitium amet.

Lactis, acrimonia, sapor, odor, & color vitiosus. Emendatur si chyli & sanguinis vitium, ex quibus generatur, corrigatur; victu boni succi & facilis digestionis ùt antè dictum. Vitet acria & salsa: abstineat ab ira & venere; & tandem alterantia adhibeat, & si nec hæc sufficiant, etiam lenientia usurpentur, mammæ verò illo die purgationis Infanti non præbeantur, donec purgatio absoluta sit, nisi forsitan unâ operâ ipsum Infantem purgari oporteat.

Pulvis pro corrigendo lacte Nutricis, omni tempore, præcipuè autem imminente vel præsente fluxu menstruo.

℞. *Pulv. Crystall. mont. ppt.* ℥ij.
fæcal. pœon.
Ungul. alcis ppt. aa. ℈ij.
Smaragd. ppt. ℈j.
Corall. rubr. ppt. ʒj.
Rasur. ebor. ℈iv.
M. F. Pulvis.

Dosis.

Dosis. 2. cuspides cultri, manè & vesperi si placet, in quocunque vehiculo, idque potissimum octo diebus ante eruptionem menstrui, & continuando quousque cesset.

Pulvis pro corrigendo lacte in Infantibus, omni tempore maximè verò imminente vel durante fluxu menstruo.

℞. *Pulv. March.*
Epilept. nigr. aa. ℈iv.
Bulb. Majal. ℥j.
Fæcul. pœon. ʒß.
Ungul. Alc. ppt. ℈j.
Cran. human. ppt. gr. xv.

M. f. Pulvis subtiliss. *Dosis* parva cuspis cultri, in *lacte*, vel *aq. cerasor. nigr.* Manè & vesperi, omni tempore, potissimum verò octo diebus ante eruptionem menstrui, continuando usque quò cesset.

CAPUT V.

De Infantis Diæta, Cura, tractatione, à tempore dentitionis, usque ad tempus ablactationis.

Antequàm Infans dentes non habeat, non convenit illi solidiores cibos porrigere cùm eos masticare non possit: unde lac ipsi convenientissimum, & prætereà quædam legumina salubriora, cocta, & ori indita: cave tamen dum lac est in ventriculo, nè aliquid acetosi, vel similis qualitatis præbeas Infanti. *Secundò* dum manibus & pedibus repere incipit, ad leves motus

motus est accingendus, ut robustior evadat, non tamen nimis maturè ad motum admittatur, nec præmaturè pedibus insistat, nè crura mollia distorqueantur, & curvus fiat. Undè debito tempore, fasciâ, vel bonô cingulo, aut parvo curriculo, cursui & gressui assuescat, quousque tam firmus sit, ut sine his etiam incedere possit, non tamen solus, cùm casui valdè sit obnoxius Infans, ideò pro majori cautela, circulus rotundus frontem ambiens cum duobus semicirculis per crucem se intersecantibus per verticem capitis ductis & annexis & bene suffultis, vel lanâ, vel bombace, vel pilis &c. *Tertiò* Balnea rarius adhibeantur, semel aut bis in septimana. *Quartò* attendendum maximè est nè mancus fiat, ideò liganda est sinistra manus.

CAPUT VI.

De Infantis Diæta, Cura, & Ablactatione.

INfans à lacte regulariter non amoveatur antequàm perfectum dentium numerum habeat, aliàs enim cibis solidioribus masticandis & digerendis non esset aptus; præterea cùm sub dentitione Infantes plurimis divexentur morbis, ideò lac ipsis remedio est.

Tempus ablactandi non est certum; vegeti citius ablactantur, debiles verò diutius lactandi: Si Mater vel Nutrix conceperit, vel male valeat, citius etiam quàm decet ablactari debent, ordinariè mense duodecimo, vel decimo quinto, commodissimè verò sesquianno, & summum biennio ablactantur: regulariter tamen satius est, tardius quàm citius ablactare: quocunq; autem tempore ablactantur, non statim illis cibi alieni offerendi, sed potius adhuc cùm lactantur paulatim iis assvefaciendi, nè

nè ſubita mutatio morbos pariat; cibi ſint pulmenta, panatellæ, juſcula cum pane, poſt aliquod tempus legumina, carnes facilis digeſtionis. Ablactatio fit commodius vere & autumno quàm æſtate & hyeme, ob multas rationes: fitque potius creſcente quàm decreſcente lunâ. Et quia interdum Infantes mammam nullô modô relinquere volunt, papillæ *ſucco abſynthii*, vel ſimile re inungendæ & denigrandæ; ſed optimum eſt, ut Matres & Nutrices ſe ſubtrahant, & ſic facilius obliviſcuntur. *Vinum* Infantibus non detur, ſed potius *cerevisia*, vel *aqua cocta*, v.g. *fæniculi*, aut ſimilis.

CAPUT VII.

De Infantis Diæta, Cura, & Tractatione poſt ablactationem.

Reliquam Infantum usq; ad primum ſeptennium diætam quod attinet, ea adhuc ab adultorum differt, partim ob teneritudinem, partim ob errores qui in pleno victu contingunt. Regula igitur generalis ſit, quod cibus in iſta ætate ſæpe porrigendus, & tantùm, quantum non ſolùm nutrimentum corporis, ſed & augmentum ipſius requirit, nam teſte Hipp. 1. *aph.* 13. *Jejunium minimè ferunt Pueri.*

Ab animi paſſionibus, timore, metu, ira, terrore, triſtitia, &c. ſunt arcendi, nè epilepſia, aliudve ſimile malum ingruat; nihilominus tamen nè malitia ſuperet ætatem, in bonis laudandi, in malis moderatè coërcendi, nam & catuli leonum & urſorum in tenera ætate cicurantur, quod adulti poſtea non faciunt.

Ad animi affectus temperandos, ludi varii proponendi: motus corporis etiam ſint moderati, otium fugiendo, nè cruditates coacerventur, alimentum non debitè diſtribuatur, & calor tener obruatur.

Illi qui cum Infantibus converſantur, ſint homines bonæ vitæ, nullis vitiis dediti nè iisdem imbuantur.

CAPUT VIII.

De Morbis Infantum, eorumque causis in genere.

INfantes etiam morbis frequentissimè corripi & affici in patulo est, idque ob causas propè infinitas: etenim *Primò* totis novem mensibus, sanguis menstruus in utero retentus & cumulatus, Infantem facilè afficere potest. *Secundò* quòd Matres non omnes æquè sanæ sint, & magnos sæpe in diæta errores, casus, ictus, terrores, impressiones, imaginationes, saltus, motus corporis & animi committant, quos Infans luit, vel in, vel extra uterum jure hæreditario. *Tertiò* in partu laborioso, quam non patitur vim & violentiam, compressionem, torsionem & læsionem? *Quartò* Umbilici abscissio & ligatura & exindè dolor, molestia ac inflammatio &c. quid non possunt. *Quintò* loci & situs mutatio, dùm antè in molli utero contentus, & in calido conservatus, mox aëri exponitur, linteisque asperis, siceis, intricatur & imponitur. *Sextò* in utero matris, sanguine, eoque purissimo enutriebatur nullo ventriculi labore, postea cibo, lacte, quod non semper æquè bonum est, alitur. *Septimò* tandem ipsa indispositio innata partibus, ad multos morbos, easdem disponit.

Atque ut hæc omnia fiant clariora, paululùm enucleatius has *causas*, primò *remotas*, secundò *proximas*, generaliter nempe proponemus.

Non loquimur autem hic de vitio parentum hæreditario, vel aliunde hausto fermento contagioso: Sed præcisè in genere de causis effectricibus per se; inter quas præ cæteris (ut paucis

omnia

omnia dicamus) *duæ* principaliores ſe offerunt, à quibus omnes memorandi affectus, primam nanciſcuntur originem: nempe *excreta & retenta*, vel clarius: *obſtinata retentio excernendorum* & *perverſa ingeſtio nutriendorum.* Prior conſiſtit in fæcum primarum viarum, præſertim meconii ſuppreſſione, ſenſibilis & inſenſibilis tranſpirationis occluſione & impedimento: ad ambas has cauſas plurimum contribuunt præ cæteris, *vitia lactis*, *& errores pultis.*

Retentionem excernendorum ſive *meconii*, potiſſimum quod attinet, præter ventriculum albicante plus minus & lentâ materiâ refertum, pituitoſa & flava, interdum variegata excrementa grumoſa inteſtina tenuia occupant, duriora verò & quaſi picea, ex viridi nigreſcentia (nobis Medicis meconium dictum) craſſiora inteſtina occupant: & hæc omnia ex nutrimento per os, ſub formatione & nutritione fætûs in utero hauſto generantur, quæ omnia niſi maturè ex corpore expurgentur, retenta diutius, vel pertinacem alvi obſtructionem efficiunt, vel lactis nutritivi diſtributionem impediunt, vel id ipſum lac in diſtributione corrumpunt, & corruptione acrimoniam acidam, aut acido-ſalinam, & lixivioſam acquirendo, rodunt, corrodunt, & crudelia tormina, aliaq; quàm plurima mala inferunt.

Hinc provida Mater Natura ipſa, ordinariâ lege brevi à partu, vomitu ac ſeceſſu hæc ipſa fæculenta prius antequàm aliud quidpiam moliatur, ejicit, monſtrans Medico, tanquàm ejus miniſtro, viam, quid in tardiori ejus conatu præſtare debeat ac poſſit. Hìc obitèr & benè notandum eſt, *meconium* nobis Medicis aliud non eſſe, quàm *crudior caſeus à reliqua nutritiva ſubſtantia ſequeſtratus, & quaſi præcipitatus; qui ipſe acorem à ſtomacho ſemel conceptum plus minus retinet;* hinc quocunq; modò cum bile junctus in inteſtinis, cum ea colorem nigro-viridescentem efficit.

Quod verò attinet *transpirationis occlusionem*, ejus quanta in omni genere & statu viventium sit necessitas & quantitas, consule Authores, præsertim Sanctorium in *Med. Stat.* Præ cæteris tamen Infantes, cùm copiosè nutriantur, necesse est quoque ut copiosè transpirent; partim ut puritas sanguinis, cæterorumque liquorum circulantium & alibilium perfectio, sarta tecta conservetur: partim si quid fæculenti sub nutritione enatum, ipsis commixtum fuerit, ex partibus solidis eliminetur. Palàm verò est, Infantes viscidâ lanugine à natura obductos esse, idque ex liquore nutritivo cui innatant extimæ cuti adhærente, à qua transpiratio insigniter impeditur. Unde talis facta coacervatio humorum, æquam naturæ turbant fermentationem, quæ multorum morborum Infantilium causa existit.

Post excernendorum retentionem, ad *nutriendorum vitiosam* pergimus *ingestionem*; ubi se primariò offerunt *lactis vitia*, de quibus jam suprà suo cap. diximus. Secundò sunt *alia assumpta*: quàmvis enim sanis, omnia sint sana, dummodò sanà mente imperentur, quod enim sapit, nutrit, adeò ut in sanis scrupulosus alimentorum delectus reverà sit frustraneus, quin potius si appetitus in objectum feratur intensiùs, præsertim consvetum, vix denegandum sit, quia fermentum digestivum potenter quælibet in sui ditionem trahit, præsertim si cum moderamine & sobriè assumantur, id quod Nutricibus conductitiis in specie observandum, ùtplurimùm egenis, adeoque famelicis, & frequentet nimio nutrimentorum excessui primitùs indulgentibus; qui excessus licèt Nutricibus innocuus videatur, tenellis tamen Infantibus graves inducit passiones, dum nimirum lacti, tam improportionatæ qualitates imprimuntur, uti videmus, dum suos potus, *aniso* vel *fæniculo*, vel *floribus sambuci* ad augmentandum lac coquunt, lac immediatè illarum,

eorum

eorum odore inficiatur, & nimis auctum, gravia alvi profluvia Infantibus procuret.

Nihil dico de *purgantibus*, Nutricibus propinata, Infantibus nociva: nihil dico de aliis porrectis à Matribus, Nutricibus & aliis adstantibus quæ tenellos graviter lædunt; in speciè verò dico tantùm de *acidis*, quæ sive sint condimenta sivè potulenta, ùt *vinum* (præsertim in non assvetis) sui vestigia in dulci lacte relinquunt, ùtùt sensibus abscondita postmodùm tamen torminum & aliorum malorum Infantilium ex acido rodente Authores, id quod etiam Matribus quàmdiù fætum uterô gestant, dictum velim, ut acida fugiant, nè præmaturè fætui fomitum epilepticum ingerant, docet enim experientia, Infantes à Matribus acido non indulgentibus natos, minus epilepsiæ obnoxios esse; imò acida ad abortum disponere Matres, docent Authores, præsertim *vinum fortius* qvod fætum pellere asserit *Hartmann.* Hujus nocivæ farinæ qvoqve est *caseus*, qvi præmaturo coagulo lac ad grumos disponit, idem tenemus de *cerevisia non ritè fermentata & defæcata*, fermentum stomachale inficiens Nutricibus, pueris tormina excitet; his accedunt *fructus horarii*, qvi æqvè varia symptomata procurant. Huc referri qvoqve possunt, qvæ affectus Infantum, si non efficiunt ad minus exasperant, & spiritus animales, totumqve genus nervosum, & mediantibus his sanguinem ipsum, ac reliquos liquores commovendo; & sic etiam lac vitiant: Præ cæteris est ira & terror Nutricum nimius, nocentissimus Infantibus, eorumque epilepsiæ excitatores, turbant enim concoctiones, exasperant fermenta, & cruditates acidas procurant; undè æquè lac ex tàm depravato chylo peccaminosum redditur, qvod acescens in grumum ac caseum resolvitur; quin imò experientia docet, lac ex terrore in ipsis mammis coagulari, unde inflammationes & erysipelata superveniunt, & per consequens à

tali lactis semicaseati suctu, mille mala insons mulctatur, & communiter ad epilepsiam disponitur.

Huc quoque referimus errata excretorum in Nutricibus; inter quæ *menstruorum constitutio* primatum tenet: supprimi hæc in gravidis, ità & in lactantibus (probabiliter in salutem prolis) naturæ respondet legibus, in habitatioribus tamen, & sanguine turgescentiore præditis, viraginibus dictis, tàm primis gestationis mensibus, quàm ipso lactationis tempore, eadem ordinariâ periodo erumpere observatum est sæpius; quoties autem ista sanguinis excretio contingit, toties sensilis in tenellis observanda venit alteratio, quâ langvidi, lacrymosi, & debiles fiunt, donec obturatô denuò menstruô, eadem accidentia remittant: singulari enim fermentativo motu sanguis, sub menstruationis tempore agitatur & turgescit (qvod plures miseræ experiuntur fæminæ) qvidni ergo lac tunc temporis & similem fermentativum motum concipiat, qvi & turbet Infantis digestionem, & fermentationem vitalem vitiet, sicut adultis fit, dum vinum & cerevisiam nonnihil adhuc fermentantem bibunt, non læviter læduntur. Nec minor imò longè insignior, lacti imprimitur alteratio, si per fæcundum coitum Nutricis impediatur menstruatio, ad corruptionem indè lac disponitur, & horridam acquirit impressionem, fætui abominabilem, id quod & in brutis observatur; lac ità depravatum, ne dicam corruptum ab Infante haustum, in ejus stomacho degenerat in vitiosum casei coagulum, stomacho Infantis infectissimum, adeò ut eidem exindè stigma totâ vitâ imprimatur, unde casei aversio, aliàs tàm familiaris ex hoc deducitur; & ob id svadent Medici, ut Nutrices toto lactationes tempore à coitu abstineant, unde etiam lactantes Matres à redditione debiti excusat, propter insignia fætûs nocumenta. Paulus Zacchias *lib. 7. tit. 9. quæst. 3.*

Hæc

Hæc dicta sunt de vitiis lactis; de erratis pultis & assumptorum in genere hic dicere supersedeo, nè grambem repetam, qvæ abundè expressa sunt cap. *de pulticula & cibis Infantis, eorumq; vitiis & cura.*

Detexi hactenus causas morbificas remotiores, nunc exactius nocendi rationem, seu *causam proximam* inquirendo, perspicuum evadit, *succum vitiosè acidum*, nunc *viscidum*, nunc *aqueo serosum*, primæ digestionis *in ventriculo*, ejusque *intestino duodeno* perfectionis, adeoque ex cruditate acida coacervatum, esse causam proximam & radicem, ex quam tot morbi Infantiles frequenter propullulant.

Hunc *succum*, sive Galenicorum *pituitam acidam*, sive Paracelsistarum *sal acidum*, seu *Tartarum fæcalem*, sive Neotericorum, *succum nutritium acescentem*, aut *lympham viscidam* appellare velis, mihi perinde est, simus namque in verbis faciles, & profusi, modò in re conveniamus: facillimè nimirum lac, seu sanum, seu alteratum in stomacho præter naturam acescit, idque eò magis qvò copiosiùs aut inordinatiùs ingeritur, hinc spissescit, & factâ per coagulum seri à contentis separatione, casei cum butyro perniciosus grumus, nunc in stomacho, nunc in intestinis subsidet, & plus minus pertinaciter agglutinatus hæret, conferente ad hoc symbolum pulte farinaceâ crudâ & viscidâ facilè acescibili, unà cum retento, & plus minus corrupto meconio, unde ex conditione loci, id est stomachi calidi, & ratione contentorum excrementorum, uti & ingestorum lacteorum, & pultaceorum, intensus acor necessariò, & facilè oritur, qui nunc materiâ viscidâ irretitus, in primis viis suas ludit tragœdias, nunc vehiculo aqveo seroso & lymphatico ulterius distributus, etiam aliis & remotis in locis, mille malorum existit artifex: hæc omnia confirmant juvantia & lædentia, eò qvòd observemus pleraque Infantum mala, per remedia acidum de-

struen-

ſtruentia, alcalia tàm volatilia qvàm fixa, uti & per aromatica & ſalia volatilia oleoſa optimè curari.

Quæ tamen omnia ità intelligenda volumus, non qvaſi alia nulla in corpore tenello ſint errata, quàm quæ ex dicto acido oriuntur; ubique ènim excipiendi ſunt hæreditarii morbi, uti & à lactantibus implantata morborum ſeminaria, aut aliundè hauſta contagia: prætereà mille larvas inducit ſub ſùi corruptela lac, tùm in mammis, tùm in Infantis ſtomacho, tùm etiam in inteſtinis à bile & ſucco pancreatico alteratur, unde variè dulceſcit, amareſcit, colliqueſcit, virideſcit, liveſcit, putreſcit, vermineſcit, aliasque qvàm plurimas pravas qualitates ſibi adſciſcit: de quibus videatur Hipp. *lib. de priſca Med.* Nihilominus tamen ea mala quæ ex cruditate acida veniunt ſunt frequentiſſima, quia talis corruptela eſt familiariſſima.

Sed dicet quis, paradoxum videtur, quomodo in ſemilacteis & quaſi edulcoratis Infantibus, hoc eſt, dulci rore ubique profuſis, ex dulci lacte primitùs concretis, & eodem cum pulte inſipido dulci enutritis, acor adeò nocivus, & tàm intenſus oriri poſſit, à quo tàm tetra emergant ſymptomata? verùm enim verò facilè ad hoc reſpondetur & clarius redditur negotium, modò aſpiciantur aſſumpta tàm Matris utero geſtantis, quàm Nutricis lactantis, de quibus abundè ſuprà diximus; ſufficiat nobis ſolus panis & cereviſia, utraque acido abundantiſſimè imprægnata, quæ niſi credas Chymicos conſule. *Acidum* ergò morborum Infantilium frequentiſſima eſt *cauſa; ſubjectum* ejus eſt *viſcidum* ſeu *viſciditas*, *vehiculum* verò, *aquoſum*, ſeu *aquoſitas*, mediante qua etiam qvâ datâ portâ ruit.

Variis autem morbis tentantur Infantes, qvos pleroſqvè Hipp. compendiavit 3. *aph.* 24. 25. 26. qvibus adjunge variolas, morbillos, cruſtam lacteam, favos, achores, ranulam ſub linga, vincu-

vinculum linguæ, accretionem & brevitatem, interriginem &c. Et licètm orbi Infantum vel soli naturæ, vel mulieribus committendi forent curandi, nihilominus sæpe tamen manus Medica imploratur, tùm quia difficulter cognoscuntur, cum Infantes nec voce, nec alio indicio manifestare queant, tùm quia magno judicio opus est in seligendis Infantum remediis.

Curatio.

TAmetsi omnia à Medico provideantur & percipiantur, quæ Matri, Nutrici & Infanti commoda & utilia sunt, & è contra etiam omnia ea strictè inhibeantur & præcaveantur, quæ noxia; non poterit tamen unquam tàm rigorosum regimen institui, quin tandem succus copiosior vel parcior, acidior vel temperatior, viscidior vel serosior interdum colligatur; unde morbi Infantiles ùt abundè diximus successivè propullulant. In genere ergò pro horum cura, remedia talia conveniunt, quæ acidum destruere, viscidum incidere seu attenuare, utrumque pro ratione occasionis evacuare valent; adeoque his indicationibus satisfacientia remedia, mox à nativitate propinanda & subinde repetenda sunt.

In curatione Infantum, præcipuè magna remediorum & teneritatis habenda est ratio, fortia enim & multa non ferunt: inter cætera patet in cura Infantum nihil æquè præstare, quàm *Salia volat:* in specie *oleosa*, quæ optimè acidum corrigunt, & cum eo salsum tertium componunt, blandum diureticum & pariter diaphoreticum, & prætereà penetrando potentissimè attenuant, & resolvunt quascunque obvias viscíditates, unde *Spirit. sal. armon.* inprimis cum aromaticis destillatus, sicq; factus *oleosus*, vel *Spir. sal. armon. anisat.* vel *caryophyllat.* quem mille encomiis extollit Ettmüller pro curandis Infantibus.

Ego verò in praxi *Liquor. C. C. ſuccinat*: hactenus mille experimentis, & multis in caſibus adultorum pariter ac juniorum utriusque ſexûs comprobatum reperii: hic liqvor fit ex Spiritu C. C. probè rectificato, & ab oleo empyreumatico depurato, qui affunditur Sali volat. C. C. & Sali volat ſuccini (ab omni oleoſitate empyreumatica crebrioribus cum aqua & Spiritu vini ſolutionibus, & inde præcipitationibus purificato) aa.q.ſ. ut imbibat & ſolvat dicta ſalia, quæ mixtura ùtùt effervescat primitùs, cùm ſuccini ſalia volat: acidum ſvaviſſimum & admodùm delicatum conjunctum habeant, brevi tamen amicè coëunt, & digeſtione debitâ ac cohobatione reiteratâ liqvorem hunc commendatiſſimum conſtituunt.

Nè verò quis credat qvòd nimis generoſa, nimisqve graduata ſint *ſalia volat*: pro Infantibus, nam circumſpectus uſus *in lacte Nutricis*, vel *in aq. & ſyrup. menth. fœniculi*, aut ſimili vehiculo, & ſimul limitata & parva doſis ad paucas tantùm guttulas, tenellis pariter ac paulò robuſtioribus Infantibus eadem optimè accomodare novit. Miratus ſum (*inquit* Ettmüller) à quibusdam vel præconceptis opinionibus excæcatis, verò experientiâ debitâ deſtitutis Medicis, cum pavore quaſi audiri ſalium volatilium mentionem, ſpeciatim pro Infantum cura, cùm tamen ſub legitimo & circumſpecto uſu, Dei manus eadem vocanda eſſe exiſtimem.

Volatilibus hiſce alcalibus, & *fixa* per Spiritum vini temperata in ſolutiones tincta, etiam ſubjungenda erunt, imprimis *Tinct. Tartari, Tinct. ſcoriar. regul. ♁ij.* Præter ſalia hæc volat: *acriora* & *aromat*: *oleoſa* ſuo ſale volatili non deſtituta in genere Infantibus ægris fructuoſa ſunt, inter quæ *aniſum* & ejus *ſemen* mirè convenit. qvod *ad ℈j. rec. pulveriſat.* pro levi qvoq; evacuante commendat Heurnius. *Caſtoreum* etiam benedicta eſt medicina, in quacunq; forma exhibita, temperans mirè acidum auſte-

aufterum & qvoscunqve ſpaſmos convulſivos, & indè torminoſa pathemata mire ſiſtens: qvibus meritò annumeratur *myrrha*, omnem corruptivum acorem tollens, & balſamica vi quamcunqve corruptionem putredinalem inhibens, indeqve ad vitam longam ab Helmontio commendata: *Tinctura myrrhæ*, à Langio *Tinctura ſalutis* dicta, ex myrrha cum Spiritu vini Tartariſato extrahitur, locò cujus & Spirit. ſal. armon. cum Spiritu vini parat. pro menſtruo capi poteſt. Salutare erit pueris remedium corrigens qvodcunqve acidum, & viſcidum reſolvens. Facit huc etiam *Elixir propriet. absque acido* paratum per *alcalia* vel *fixa*, ùt *ſal Tartari* vel *volat*: ùt *Spirit. ſal. armon*: hoc ipſum enim iis qvi adhuc lactis gaudent nutrimento mirificè conducit, ſicut poſt ablactationem etiam illud qvod *cum acido* paratur, concedi poteſt.

Hiſce deniqve ſuo modo *Theriacam* & *Mithridatium* annumero, qvorum non eſt vel caliditatem vel narcoſin opiaticam pertimeſcas, modò *à gr. j. ad ij.* ratione ætatis propines; quæ & acida vitioſa temperent, & inde illatas noxas doloroſas blando ſopore fallant.

Hiſce jam dictis acidum corrigentibus volatilibus partim ſalinis, partim oleoſis, deniqve adjungenda ſimul erunt concreta qvaſi *terrea* & paulò *fixiora*, acidum qvod talia rodit in ſe abſorbentia, qualia ſunt *Ocul.* 69. & (his vix nobilioris uſus) *margarit. ppt. corall. ppt. C. C. ppt. ebur ppt. lapis bezoar animalis*; in genere omnes animalium partes oſſeæ, imprimis marinorum ſeu aquatilium & dentes, quò & *unicornu animale* pertinet, & *Pulv. March.* qui ad tormina & epilepſias Infantum, mulierculis decantatiſſimus eſt, locò cujus feliciter uſurpari poteſt ſequens.

℞. *Ocul. 69. ppt.* ʒß.
C. C. phil. ppt. ℈j.

corall. rubr. ppt. ℈ß.
myrrh. elect. gr. vj.
theriac. gr. iv.
ol. stillat. anis. gtt. vi.

M. f. Pulvis in puerorum affectibus quàmplurimis convenientissimus, qui si acuatur aliquot gr. *Sal. volat. C. C.* vel *cranii human.* vel *viperar.* erit ejus usus longè salubrior & magis præsentaneus.

Venæsectionem quod attinet, non nisi summâ urgente necessitate, tenella puerorum constitutio sustinet.

Purgationes fortes, prorsus non conveniunt, Pueri enim, teste Hipp. benigniora tantùm ferre possunt medicamenta; sed vel glandibus, vel clysteribus juvandi, aut mitissima porrigenda sunt remedia; imò satius est, & hæc potius Matribus quàm Infantibus porrigere, cùm vis per lac ipsis communicetur: talia sunt *mel rosat. syr. rosar.* vel *viol. solut. de cichor. cum rhab. de fol. sennæ, manna, cassia, passul. laxat.* &c. quod autem talia laxantia proponantur & propinentur Infantibus, ratio est, temperatus enim partim, partim etiam resolutus succus acidus, necesse interdum est, ut foràs eliminetur, idque imprimis per alvum, & quidem arte, si ipsa natura idipsum non moliatur; optatam opem hic ferunt, ùt mox diximus, *clysmata*, eaque *cum sale Tartari*, aut simili lixiviali acuata, quæ mucum in crassioribus intestinis resolvunt, & optimè educunt, & stimulo ità reliquis intestinulis injecto, reliquo muco descendenti vias patentiores reddunt. Parentur saltèm ex *Decocto flor. chamomil.* ℥j ad ℥iß. vel ℥*ij.* pro ratione ætatis, addendo *mel. rutacei* ʒß. *sal. Tartari* ℈ß. *ad* ℈*j. ol. stillat. anisi gutt. iij.* quæ injecta feliciter operantur: vel loco talium enematum fiant alia ex *lacte dulci* cum modica *terebinth.* in *vitello ovi* dissolut. quæ etiam sunt egregia, præsertim ubi dolorosa abdominis simul urgent sympto-

ſymptomata. Quin imò ubi fortius per clyſmata ſtimulanda eſt alvus, & detergendus mucus quaſi vitreus, etiam illis ex ſimpl. vegetabilium decocto parat. clyſteribus, pro fortiori acumine addendus eſt *ſyrup. emet. Angel. Salæ à ℥j. ad ij.* pro ætatis ratione. Vel loco hujus, *aq. bened. Ruland.* eâdem doſi, quæ in pertinacioribus malis jam epilepſiam minantibus (quæ ferè ſemper in Infantibus fomitem in abdomine obtinet) ſunt convenientiſſima.

Quòd ſi neceſſitas urgeat, ex lacte & farina congeſtum mucum, ex ſuperioribus corporis locis potentius eliminare, præter ea quæ ſuperius *cap.* 1. de meconio educendo laudavimus (inter quæ *ſyr. de ſpina C.* vel *de rhamno*, vel *domeſticus* dictus, vel ſolus vel *cum ſyr. de fumar.* mixt. & ſubindè exhibitus omnibus palmam præripit) imprimis *Pulv. jalap.* cum triplo *C.C. uſti*, vel *phlicè ppt.* mixt. & ad gr. ij. vel iij. vel plura, ætatis habitâ ratione propinatus, elegans eſt laxativum: vel locô hujus *pillula dimidia*, vel *unica aloëtica*; adultioribus verò eadem, mutatâ ſaltèm doſi conveniunt, non minus quàm aliquot gr. *rit. & rec. ppt. Mercurii dulc.* in ſpecie ubi ablactati fuerint, qui & mucum reſolvit & prætereà verminationi reſiſtit.

Manna quoque *Calabrina* purior pulti addita & tenellis propinata, doſi plus minus auctâ, ʒij. vel ℥ß. pro ſcopi & ætatis ratione, ſvaviter & bandè eosdem laxare ſolet.

Scammoniata licèt alii aliis præferant *à gr. j. ad ij. cum ſyr. de cichor. cum rhab.* exhibita; ego hæc vix præterquàm in ablactatis & robuſtioribus locum habere judico.

Quòd verò quidam per Nutrices purgare velint Infantes, ſicut fecit Pannarolus *in ſuis obſerv.* quando papillis pulvis quidam laxat: inſpergitur, ego propter ſummam incertitudinem doſeos, quæ in tali caſu ad fætum certò determinari nequit, adeoq; ob metum nè plus debitò purgentur tenelli, minùs tutum negotium exiſtimo, ùt teſtatur Bartholin. 2 *hiſtor. anatom.* 93.

Vomi-

Vomitus, si Infantibus interdum, in specie autem in asthmatis aut gravioris suffocationis metu provocandus sit, vel per *rad. ireos florent.* ad aliquod gr. vel parum *syr. emet.* in modica quantitate *aq. menthæ* aut *fœnicul.* dissolut. etiam Infantibus tutissimi, idque repetitis potius vicibus, & tutiùs quidem quàm semel pro una dosi.

In genere abstinendum esse ab omnibus remediis Empyricis paternè suadeo.

CAPUT IX.

De Lactis defectu & coagulatione.

DIxi priori capite in genere de morbis Infantum earumque causis, nunc in quibusdam capitibus inseram quædam, quæ ex defectu vel abundantia aut vitio Lactis, vel etiam malè affectis mamillis & papillis, mala Infantibus evenire possunt.

Lactis defectûs multæ sunt causæ. *Primò* quòd Matres Infantes lactare nolint, & sic tractu temporis lac perditur. *Secundò* ob mammas refrigeratas, obstructas, ulceratas, scirrhosas &c. *Tertiò* ob papillas deficientes, vel latentes, vel cæcas, vel impervias, vel fissas, ulceratas vel dolentes. *Quartò* ob sanguinis vel chyli defectum, idque vel vitio sui vel viarum. *Quintò* ob nimias sanguinis profusiones per menstrua, lochia, aut alios morbos graviores; vel ob inediam, labores, vigilias, terrorem, curas, fluxum alvi, remedia frigida mammis applicata, animi pathemata graviora.

Curatio, consistit in causarum ablatione: & in Lactis progeneratione.

Quæ

Quæ causas emendant & auferunt, ex priori capite generali, vel aliunde ex proprio quovis capite desumenda. Quæ lac generant & alliciunt sunt sequentia: *fæniculum, rad.* ejusque *semen*; *borrago, brassica, sem. apii, seseleos, anisi, crystall. pptæ. lumbr. terrestres ppti, emulsiones ex amygd. & sem. 4. fregid. cum aq. fæniculi, cerevisia calida, vel juscula cum vitellis ovorum, butyro & saccharo: pultes ex lacte cum vitellis ovorum & saccharo.*

℞. *Sem. anis.*
fænicul.
seseleos aa. ʒß.
crystall. mont. ppt. ℈ij.
sacch. ad pond. omn.
M. *Dosis* Nutrici ℈ij.

Conducunt etiam *Spec. diacrystall. Myns.* item *Rotulæ lac augentes Ejusdem.* Sequens etiam est expertum. ℞. *flor. sambuci M*j. coque in *lacte* & bibe. Laudantur etiam tàm internè quàm externè omnia *aromatica* & *spirituosa.* Si ex inopinato terrore lac deperdatur, prius lac emulgeatur, & Nutrix assumat sequentem pulverem: ℞. *♁. diaphoret. rit. & rec. ppt.* ℈j. *ocul. 69.* ℈ß. *spermat. ceti rec. non rancid.* ʒß. Misce, sumat in *aqua cherifolii* & sudet. Si ab acido sit lactis defectus sumatur *pulv. Doltæi*, qui mox sequitur. Extrà applicetur *mentha recens* mammis: vel cataplasma ex *farina bordei* & *fermento*: fricentur mammæ panno aspero.

Coagulatio lactis ejusque grumositas tùm in Matre tùm in prole impeditur sequentibus: *Semine anisi, fænicul.* post quemvis pastum assumpto: caveant ab omnibus acidis & animi pathematibus: utantur *aromaticis volat*: & *oleosis*: sic prodest internè *Spirit. sal. * oleosus*, seu *aromatisatus ad gutt. xxxx.*

in

n *aq. cherefol.* vel *liquor. C. C. succinat.* vel ℞. *ocul. 69. ppt. C. C. pblicè ppt. aa. gr. xv.* Misce. Vel *sperma ceti recens*, vel *Pulv. Dolæi* acidum lactis corrigens.

℞. *Sem. fænicul.*
anis aa. ʒij.
coriandr. ʒj.
cort. cinamom.
corall. rubr. ppt.
cinnab. nativ.
lumbr. terr. ppt. aa. ℈j.
sacch. albiss. ad pond. omn.
Dosis ʒj. bis de die.

Coagulum leporis ad ʒj. *in vino* adhibit. jejunè Nutrici, est expertum, Omnia quæ lactis redundantiam inhibent, etiam ejus coagulum impediunt, de quibus sequenti capite.

Extrà confert *sacculus ex oryza & milio* calidè applicatus, vel *geranium*, vel *flores sambuci in butyro* tosta, vel calefacta & apposita.

℞. *Pinguedin. Gallin. unguenti rosat. aa.* ℥j. *ol. violar.* ℥ß. M. & inunge. *Emplastrum de spermate ceti Mynf. Emplastr. meum ad mammas.* Vel

℞. *Ol. menth. chamomil. aa.* ℥j. *anethini* ℥ß. Misce bis inunge calidè mammas de die. Plura videri possunt in mammarum inflammatione.

CAP.

CAPUT X.

De Lactis redundantia.

Lactis redundantiæ, multæ sunt causæ. *Primò* copia sanguinis & chyli in plethoricis & succulentis corporibus. *Secundò* vita otiosa & hilaris. *Tertiò* bona mamillarum & glandularum constitutio. *Quartò* puerperarum lactare vel nolentium vel negligentium. *Quintò* ablactatio.

Curatio consistitu causæ hæ lac augentes amoveantur, & lac minuentia adhibeantur. Prius fiet sanguinis vel chyli quantitatem inhibendo & subtrahendo, diætâ tenuiore, abstinendo à plenè nutrientibus, venæsectione, purgatione, scarificatione, ligaturis, repellentibus & adstringentibus, sed cautè adhibitis, exsiccantibus, catulis, vel pluribus Infantibus mammis appositis, & tandem lac minuentibus, uti sunt *absynth. abrotan. burs. pastor. cycuta, equiset. fol. jugland. apium, petrosel. vulgare, mentha* (sicut lac generat, ità etiam illud exsiccando & resolvendo absumit) *sem. agni casti, coriandri, cumini &c. crocus & cuminum* è collo suspensa ut mammas attingant, etiam lac absumunt: *stercus vaccinum*; cataplasma ex *farina lentium: panis siligineus cum sale & aq. fervente*: *raphanus cum pinguedine gallinæ & cera* idem præstant: vel ℞. *Farinæ lentium, lupinor. aa.* ℥iij. *sem. cymini* ʒij. *fol. menthæ* ℥ß. fiat Cataplasma cum posca. Abstinenddum est ab aromaticis, spirituosis & volatilibus. Specificum expertissimum est sequens Morelli.

℞. *Rad. apii* ℥j. *sem. cumin. coriandr. aa.* ℥ß. coq. in s. q. *aquæ menthæ & aceti* & cola pro Epithemate mamillari.

Cryſtallus in dorso è regione mamillarum applicatus, tollit lac: *Petroselinum* seu *apium hortense* tritum mammis applicetur. Valet etiam *Oleum omphacin.* vel *myrtinum*, vel *cataplasma*.

℞. *Farin. fabar.* ℥iij.
thuris
myrrh.
mastich. aa. ʒij.
Pulv. fol. myrthi ʒijß.
album. ovor.
acet. aa. q. s.
Misce fiat Cataplasma.

CAPUT XI.

De Papillis Nutricum latentibus & imperforatis.

P*Apillæ latentes* seu minus exsertæ emendantur *extractione*, per instrumentum suctorium (vulgò ein Saug-Glaß) ex vitro vel alia materia confectum, de quo vide Sennert. *lib.* 4. *parte.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 11. vel *appositione* capularum glandium, aut testarum avellanarum dimidiaturarum, resinâ lariceâ repletarum, & tandem præbitione papillarum catellis ad exsugendum.

Papillæ imperforatæ, si à prima conformatione, vel à callo post ulcus, tales sint, incurabiles sunt, si verò meatus tantùm sit angustior, & adhuc aliqualiter patens, tunc crebrâ suctione ab infante aut fœmina, aut catello, vel instrumento suctorio patentior reddi potest.

CAP.

CAPUT XII.

De Papillarum fissuris, rimis & rhagadibus.

HArum *causæ* sunt suctio infantis violentior: lac acre salsum & mordax: humores salsi acres & mordaces.

Curatio perficitur *consolidantibus* & *glutinantibus* & modicè *adstringentibus*, quæ NB. remedia (ubi mammis iterum admovendus est Infans) *vinô* vel *aquâ rosarum* sunt prius abluenda.

Verùm quia curatio hæc diuturnior est, & Matres intereà ob acerbissimum dolorem suctionem ferre non possunt, nec etiam illicò Infantes ablactare, aut Nutrici alii lactandos committere volunt, instrumentum suctorium priori *cap.* ex Sennerto, locô citatô descriptum, adhibendum est.

In his affectibus prosunt *mucilagines sem. cydon psyllii, tragacanth. axungia anatis, canis, capi, butyrum recens, cremor lactis, lac muliebre, medulla bovis, vituli, omenta animalium, vitella ovorum, saliva jejuni hominis, sevum caprinum, cervi, oleum, amygd. dulc. ceræ. chamomil. hypericonis, lilior. alb. momorticæ, rapar. Succus plantagin. solani, vernix seu lac virginis, Unguentum album simpl. & camphorat. de rapis, de plumbo, de tutia, ex bolo, pomat. populeon, rosac.* in mortar. plumb. agitatum. *Linimentum ex butyro rec. aqua rosar. & saccharo. Lardum fusum* & *aquâ rosar.* decies & ultrà elotum. *Medulla bovis aq. rosarum & lacte muliebri* subacta. *ol. amygd. dulc. cerâ & mastiche & modicô ol. ovorum mixt. Omentum agninum* lotum, mundatum, minutim incisum & super igne liquatum, in aquam frigid. injectum & cum *aq. rosar.* probè mixt. *Pinguedo* brodiis carnium supernatans & *aquâ rosar.* lota & inuncta. Sequens *Unguentum* est efficax:

℞. *Ceræ rubr.* ℥iij.
unguent. pomat.
adip. hircin.
ol. amyd. dulc. āā. ℥ij.
sang. dracon. subtiliss. triti ℈j. M.

℞. *Ol. rosat. compl.* ℥iij. teratur in mortario plumb. cum pistil. plumb. ad nigredinem & bis vel ter inungatur parti affectæ. *Folia hederæ arboreæ*, vel *herba Roberti* parti apposita etiam prosunt.

Notandum autem, quòd si humores peccent, *lenis purgatio* sit prius instituenda.

CAPUT XIII.

De Mammarum inflammatione, apostemate & abscessu.

INflammatio mammarum est tumor præter naturam rubicundus subdurus, & renitens &c. ab humoribus præter naturam, potissimum verò lacte & sanguine affluentibus, ortus, cum rubore, calore, dolore & pulsatione.

Curatur *Primò diversione*, id est venæsectione, idque vel in brachio, vel in pede, si lochia non debitè procedant. *Secundò leni purgatione*, si cacochymia vel turgentia adsit. *Tertiò alteratione*, refrigerantibus & præcipitantibus. *Quartò repulsione* per topica seu localia. *Quintò discussione* per digerentia & resolventia. *Sextò emollitione* per attenuantia. *Septimò suppuratione* per suppurantia seu pus promoventia. *Octavò apertione* idque vel caustico vel cultello. *Nonò mundificatione*, & tandem *consolidatione*.

Valent

Valent prætereà si *lentes* in *cerevisia* cum *croco* coquantur & spongiâ intinctâ mammas calidè abluant: deinde lentes ipsas contusas instar cataplasmatis apponant. Alii *Decoct. sem. cannabis in cerevisia* applicant; vel *Cataplasma ex farina hordei cum aq. fluviat:* bulliente fact. bis vel ter de die calidè applicatum, est expertissimũ euporiston D. Sorbait. vel *cataplasma ex lacte cum mica panis albi*, & modico *croco* ad flavedinem factum; est vulgare & optimum remedium. Laudatur etiam *Emplastrum de Sperm. Ceti Mynf.* In duritie verò nimiâ, extollitur sequens Cataplasma.

℞. *Farin. sem. lin.*
fœnugræc.
hord. aa. ℥ij.
mic. panis filigin. ℥iv.
coq. in f. *q. lactis*, sub finem adde
cerot. de cycut. ℥iß.
ungv. dialth. ℥ij.
M. f. Cataplasma.

Instar omnium est *meum Emplastr. ad mammas*, cujus hæc est descriptio.

℞. *Ol. amygd. dulc. rec. express.* ℥iij.
sevi cervin. ℥ij.
ceræ virgin. ℥j.
ceruss. subtilliss. pulv. ℥ß.

Prima tria lentè coquantur igne, & postea removendo ab igne, cerussa sensim imponitur. Hoc imponitur linteo rotundo, ut totam mammam cooperiat, in medio facto foramine pro papilla, & sic tepidè apponatur.

CAPUT XIV.

De Eryſipelate mammarum, vel etiam Infantis.

ERyſipelas eſt tumor exiguus p. n. cum dolore pungitivo, rubore flaveſcente, ſuperficiem mammarum, vel alterius partis affligens, à ſanguine calidiore, tenuiore, ichoreſcente & efferveſcente ortus.

Cura eadem eſt Nutricum & Infantum: cùm etiam per Matres Infantes plurimum curentur. Si Infans laboret, Nutrix debita victûs ratione utatur, & â calidis & ſalſis abſtineat, & ſi opus eſt ipſius corpus leniter laxetur. Aſſumat *diaphoretica* quæ plurimùm in hoc affectu præſtant, de quibus in aliis capitibus. Extrà cavendum ſummè eſt à repercutientibus ſeu repellentibus, præſertim ſi non calidè applicentur & conſerventur. Commendatur pro externo uſu *Pulv. eryſipelat. Mynſ.* vel applicetur *Pannus coccineus Ejusdem*, vel inungatur *Ungv. de liquirit*: Plura ſi quis deſiderat, ea videre poteſt, titulô de cruſta lactea.

Cùm autem plerumque eryſipelas in phlegmonem ſeu inflammat: abeat, de hac videri poteſt *cap. præcedens* de mammarum inflammat.

CAPUT XV.

De Debilitate Infantum recenter natorum.

PRimum accidens Infantis recenter nati, cui occurrendum eſt, eſt debilitas, cùm in lucem exit, id quod non raró contingit,

tingit, non ratione nativæ illius constitutionis, quæ reverà sæpè bona in se est, sed ratione partûs difficilis, vel diutius protracti, ob quam rem tantam contraxit inbecillitatem, ut nonnunquam à debilitate vix noscas, an vivus an mortuus sit Infans, eò quòd sæpè nullus in illo advertatur membrorum motus; adde: quòd aliquando dum insignis livor præsertim faciem occupet, de suffocatione opinio sit, aliquando tamen accidit, ut exactis eo in statu aliquot horis, paulatim ad se redeat, quasi de morte ad vitam resurgeret: hac conjectura deprehendetur Infantem reverà non esse mortuum (etiamsi reverà primo illo instanti non levis suspicio sit) si mater ante partum, validum fœtus motum perceperit, si magna non præcesserit hæmorrhagia, & si partûs dolores non admodùm graves fuerint: res autem adhuc magis certa, & extra omnem dubitationis aleam fuerit, licèt nullam emittat vocem, neque ullum edat motum, si nimirum admota pectori manus, motum cordis deprehendat, contrectatusque funis umbilicalis, juxta ventrem arteriarum aliqua observetur pulsatio: tunc temporis omnis cura adhibenda est ad refocillationem virium.

Statim ergò Infans excipiendus linteis calidis, & ad focum afferendus, obstetrix autem *vinum* ore continens, pauxillum in os Infantis instillabit, idque pluribus vicibus si necesse sit; ventri quoque admovebit & pectori lintea duplicata vinô excalefactô madida, vultum apertum servabit ad liberiorem respirationem, quam & juvatura est os tantisper dilatando, nares exiguis turundis vino quoque immersis mundabit, quo ejus odore recreetur: singulas corporis partes ad revocationem caloris excalefaciet, sanguis enim & spiritus, qui universi ad interiora confluxerunt, suffocationis discrimen inducunt: sic paulatim Infans resumptis viribus, membra movere incipiet, deindè, languidâ licèt voce, gemitus emittet, qui validiores successivè fient, pro ratione respirationis facilioris.

Præter

Præter hæc præsidia omnium certissima, alia obstetricibus suppetunt, non omnino approbanda, non modò quia inutilia, sed etiam quia Infanti admodum noxia. Pleræq; *cepæ* segmentum naribus Infantis admovent, ratæ vim illi inesse vires instaurandi; ast erroneè, nam si Infans postmodum ad se redeat, iste effectus nequaquam odori cepæ adscribendus, sed potius ipsi inspirato aëri, quô indigebat; ideò melius est Infanti libertatem respirandi puri aëris concedere, nequaquam autem infecti tetro cepæ odore, qui per se noxius est. Quædam mulierculæ secundinas calentes adhuc ex utero, ventri imponunt, quas, donec refrixerint, ibi detinent: verùm posita caloris ratione juvamen quidem afferre, ratione tamen gravitatis obsunt, ventrem comprimendo, sicque respirationem impediendo Infanti summè necessariam.

Aliæ mulierculæ easdem secundinas nondum ab Infante separatas in ignem conjiciunt, aliæ vino calenti immergunt, credentes ex dicto vino excitari vapores, qui per vasa umbilicalia delati, robur & vigorem conciliare valent. At cum massa ista carnea illiusque vasa vitâ priventur statim ac ex corpore exempta sunt, nullus superest ipsis spiritus, qui Infanti communicari queat; quare si istiusmodi in usum adducenda sunt, ea in vulgi gratiam potius, quàm spem infantis sunt futura. Aliæ ut certum robor addant Infanti, sanguinem vasis umbilicalibus contentum in corpus retrudunt, motæ authoritate Aristot. *cap.* 10. *lib.* 7. *hist. animal.* At jam suprà *cap.* 1. abundè ostendimus, quam periculosum hoc sit, & ideò crambem ob credulas fœminas non repetimus.

Nonnunquam etiam Infantes in partu debiles ingenitam habent imbecillitatem, eoque majorem quò magis à statuto partûs tempore, nono videlicet mense recedunt, vel si parentes valetudinarios aut debiles nacti fuerint: in simili casu ardua est medela, neq; aliud se offert præsidium, quàm ut ejusmodi probe alantur, & summa eorum cura habeatur; at rarò contingit, ut tales diu vitales sint, quin potius levis ingruens ægritudo, illos de medio tollat.

CAP.

CAPUT XVI.

De Contusionibus & Tumoribus capitis, & aliarum partium recens Natorum.

CORpora recens Natorum adeò mollia & tenera sunt, ut contusionibus & indè natis tumoribus facillimè exponantur, imò nonnunquem membra quædam dislocentur aut frangantur, sive à diuturno, uno eodemq; in situ, mora, vel à rudiore contrectatione partus tempore: contusio omnium maximè familiaris ea est & frequens, quæ in vertice accidit, ubi statim à partu tuber mediam ovi partem adæquans sæpè deprehenditur, imò etiam majus, quod in primo puerperio maximè contingit, idq; eò facilius fit, quò annosæ magìs sunt primiparæ, orificium quippe uteri internum in illis, quod coronam vocant, callosius quod fit, non nihil difficulter cedit & expanditur: quapropter Infantis caput ad id allidens, atque eâdem quasi coronâ cinctum parte superiore, quod in exitu primò obvium est, hinc intumescit, ratione sanguinis & humorum (præsertim lymphæ) influentium ibique commorantium ob insignem compressionem, inductam à prænominato orificio interno, quando præsertim validius impelli incipit, adeoq; diutius subsistit exitu præpedito; postquàm nimirum aquæ, à quibus sustentabatur utcunque effluxerunt; quò etiam concurrit nonnunquam obstetrix frequentiori attrectatione, cùm caput in transitu detinetur, sed digitis sæpè immeritò rea fit in hoc casu, siquidem sola compressio à dicto orificio facta, ejusmodi tumorum contusioni complicatorũ (non excludendo quandoq; capitis insolitam magnitudinem) causa est. His causis accedit alia, quæ etiam vulgaris aliorum tumorum in aliis quilibet partibus causa est, sanguis nimirum, cui in similibus casibus motus suus circularis denegatur, nimiâ copiâ in illa parte cohibetur, & sic illam in tumorem attollit; sed de his plura videri & legi possunt in Chirurgis.

Tumores hi quandoque adeò insignes sunt (muliere nondum onere liberatâ, nec orificiô uteri internô sufficienter dilatatô) ut sæpè impedimento sint, quò minùs dignoscatur pars, quæ primò exitum affectat, imò nonnunquam in causa esse videantur, nè obstetrices digitis explorantes ullum capitis os agnoscant, & credant os aliquod humeri offerri, vel aliam partem, imò quædam planè ignorent quid rei sit, quod tumorem infert, at verò id facilè dignoscere est, quòd ii tumores qui carnei ad tactum apparent, nihilominus duriores sunt, quàm vel homerus aut altera natis Infantum quæ partes semper majori mollitie donatæ sunt, neque prætereà ullus pilus deprehenditur sicut in capite. Cunis ossa prætereà facilè deprehendere est, si digitus *oleô* vel *butyrô* inunctus ad orificium usque internum intrudi queat, partes enim capitis intrà uterum contentæ nequaquam intumuerunt, at ea solummodò quæ orificium spectat ab eoque comprimitur, cingitur & arctatur, sicut dictum est; Si fœtus aliquod aliud membrum præter caput obtulerit, ùt bracchium aut tibiam, hæque partes similiter diutius intrà meatum detineantur & situ perverso, vel etiam egressæ sint, eâdem ratione in tumorem attollentur.

Cura.

NOn modò medela afferenda est ejusmodi tumoribus aut contusionibus, sed illis quoque occurrendum, vel saltèm incrementum prohibendum. Præcavendi ratio est, si partus quantùm licèt acceleretur, nè caput Infantis, plus quàm decet in meatu detineatur, vel ab orificio interno constringatur, quod crebrò *oleô* vel *axungiâ anseris*, vel alio emolliente inungendum, idq; expansionis causâ, & ut simul caput per locum, lubricum redditum, facilem transitum inveniat.

Sed

Sed objiciet aliquis: si ejusmodi tumores dictam causam agnoscerent, tunc fieret, ut illicò à partu evanescant, siquidem tunc (capite non amplius compresso) nihil obstat, quò minus sanguis, cujus præsentiâ intumescebat pars, præterfluat, libertate transitûs redditâ. *Resp.* Hi sciant velim, à diuturniore illius, aliqua in parte, morâ, illum spiritibus spoliari, qui ibi suffocantur, & ob hoc cessat motus, atque extra vasa delatus (quæ locus vel spatia illius sunt à natura dedita) sicut accidit si nimis in illis redundat, effunditur in spatia partis inania, quò fit, ut deinceps, vias ordinarias remeare nesciat: quapropter hoc in casu est necesse, vel ut resolutio per partem ipsam procuretur, vel ad suppurationem deducatur, si diutius ibi commorari contigerit, quæ tamen quantum possibile avertenda, ratione viciniæ cerebri, quòd in Infantibus ossa cranii non contegunt in suturarum regione, quæ in illis laxiores semper deprehenduntur, præcipuè juxta fontanellam dictam.

Ad resolutionem ejusmodi tumorum & contusionum, quàmprimùm fœtus exclusus est, foveatur ille *vino calente*, aut *aqua ardente*, immergendo his *splenium* & demum superponendum: pleræque obstetrices admovent *splenium œneleo intinctum:* Aliæ *ol. rosac. simpl.* facto prius ex vino, fotu; Sennertus tales tumores curat *Empl. diaphœn:* cum *ol. rosat.* vel si laboriosiori curâ opus est, primis diebus *cataplasma* apponit ex *Pulv. rosar. rubr. fol. & baccis myrthi, farin. fabar. hord. pulv. absynth. bethon. sem. anisi, melle*, hæc cocta cum *vino nigro* misce cum *ol. rosar. & chamomil.* fiat Cataplasma; sequentibus diebus autem adhibet *Empl. diapalm.* tandem *Empl. Barbarum.*

Eadem cura ferè quadrat tumoribus ex casu Infantum subortis, quibus in principio (Hôferus in suo *Hercule Med*) adhibet *Ol. saturni, ol. anisi*, vel *rad. sigilli Salom. rec. contusam:* Cavendum hic nè pus citra necessitatem moveatur, neque incisio

cutis, & ſic affluxus humorum, inflammatio, convulſio excitetur. Hildanus monet diligentiam adhibendam eſſe in caſu Infantis, deprimitur enim cranium inter cadendum ſine fractura, quia ipſis mollè eſt, & objecto duro facilè cedit: imprimis autem vix aliquid ſentiunt mali, ſucceſſu autem temporis fiunt ingeniô tardi, catarrhis & doloribus obnoxii, quia cerebrum non liberè movetur, adeoque ſpiritus animales malè perficiuntur: tales itaque cranii depreſſiones ſtatim appoſito Emplaſtro tenaciter adhærente attolli, vel per cucurbitulam elevari debent.

Si his omnibus præſtitis nihilominus tumor ad ſuppurationem pergat, cavendum, nè pus genitum diu moram agat, nè oſſa capitis admodum tenella & tenuia recens natis, alterationem aut cariem indè patiantur, quo in caſu *phlebotomo* pars aperienda eſt locò maximè idoneò, ſuperadmoto *Emplaſtro de bethon*: Si crus aut brachium eadem de cauſa intumuerit, ſimiliter *ſpleniis vino madidis*, cui incoxerint *roſæ rubræ, flor. chamomill. & meliloti.*

Maribus nonnunquam ſcrotum intumeſcit, id quod accidit vel ratione aquarum intrà membranas concluſarum, vel conſuſionis cauſâ & durioris contrectationis à Chyrurgo vel obſtetrice in partu factæ; in hoc caſu *ſplenia vino intincta incoctis roſis* conducunt in utroq; caſu.

Peſſimum verò eſt ſi Chirurgus imperitus, & hac in operatione rudis, aut aliàs neceſſitatis telo inductus infringat aut diſtorqueat bracchium aut crus Infantis, dum extrahere nititur: infortunium hoc ſi acciderit, medelam poſtmodùm afferat, partes reſtituendo faſciis idoneis, illas firmando, & continuando in naturali ſitu ad perfectam conſolidationem.

CAP.

CAPUT XVII.

De Fontanella capitis, & Suturis nimis biantibus.

SÆpenumerò fœtus præcoces, nondum consummatam perfe-ctionem adepti, nec non naturâ debilem sortiti corporis constitutionem, fontanellam capitis & suturas adeò laxas obtinent præ distantia & dehiscentia ossium ab invicem, ut molle omninò sit caput, ferè sine adminiculo, quia nempe illius ossa hinc indè vacillant; rarò vivaces esse contingit tales fœtus, neque conatus adhibendus in adjunctione ossium ad invicem fortiter illa coarctando, eô enim pactô adeò comprimeretur cerebrum naturâ mollissimum, ut pejor affectus priore induceretur, denegata illi motus libertate, ad quam subsecutura esset functionum depravatio, imò postmodùm omnimoda destructio: satis erit ea leniter compressa vitæ ope continuisse, nè nimium vacillent, cætera naturæ committendo, quæ paulatim hiantes has suturas spontè conjunget, perficiens generationem, exsiccans & confirmans ossa capitis, nondum debitam confirmationem adepta.

Locus in quo fit conjunctio, ad quem usque excurrit sutura sagittalis in medio coronalis, quas in omnibus Infantibus semper in duas partes dividit, exporrecta ad radicem usque nasi vocatur *fontanella* capitis, quia videlicet pars est illius mollissima, maximè humida, quæ propterea omnium ultima occluditur.

Illius figuræ formam exprimit cuique obvia ocularis inspectio.

Nonnulli Infantes totô trienniô partem illam apertam servant, imò nonnunquàm longiori tempore refert enim Bonetus in uxore fratris sui, ultra quadragesimum ætatis annum hiantem mansisse, quod indicium est certum, debilitatis caloris naturalis: utplurimum tamen occluditur exactô biennio, ocyus aut serius, pro ratione majoris vel minoris in Infantibus humiditatis, ac majore vel minore robore.

Usque quò integram confirmationem adepta sint ossa, pars illa defendatur admotô *spleniô* ex linteo sæpiùs multiplicato, tam arcendi frigoris causâ, quàm aliorum exterius irruentium: mulierculæ nonnullæ diu ibi detinent *pannum coccineum*, ratæ ab eo magis roborari caput; at parum refert quidvis applicatum fuerit, modò appulsus frigoris prohibeatur, & læsio externa arceatur à parte nullo osse custodita. Nonnunquàm accidit, ossa, quamvis sufficientem amplitudinem obtineant, quâ se undique contingant, in regione suturarum nihilominus impedire conjunctionem illorum, propter aquas inter hæc & duram matrem conclusas, qui affectus hydrocephalus vocatur, de quo suô locô.

CAPUT XVIII.

De calida Infantulorum intemperie seu dyscrasia, seu de Febribus continuis, intermittentibus, catarrhalibus &c.

INfestantur sæpe verò Pueruli calore quodam præternaturali ac febrili phlogosi (fliegende Hitz vulgò dictâ) quam duplicem statuimus: continuam & intermittentem: & sic etiam Pueruli tàm febribus continuis quàm intermittentibus corripiuntur:

untur: *continuæ* causantur ordinariè ab acido viscido, quod antiqui phlegma seu pituitam in ventriculo subsistentem ac putrescentem nominabant: quibus febribus continuis cognatæ sunt catarrhales, à lympha nimis acida, vel ùt antiquitùs placuit in pituitam degenerante ortæ. Quandoque hæ febres sunt periodicæ, quando lac ab acido grumescit & coagulatur, atque obstructiones multas & dolores internè & externè in poris, tubulis & vasis parit, & sic fermento febrili fomes subministratur, quod fermentum deinde ex tubulis, certis periodis elabitur in sanguinem, ibi mixturam turbat, & modò febres *periodicas*, modò *intermittentes*, & si diutius duraverit, *malignas*, & quidem sæpiùs cum exanthematibus, præsertim si putredo accedat, efficit & producit.

Paucis rem clarius dicam: quando nimirum mucus ille minus viscidus, crudus tamen & vitioso acore, vel saltèm acri-salvo sapore inquinatus distribuatur pro sanguine augmentando & corpore nutriendo, necessariò depravatur exindè massæ sanguineæ crasis, & vitiatur insigniter sanguificatio, & oritur præter naturam ejus effervescentia, unde febres variæ; qvarum omnium ratio ex corruptione lactis interna, aut ex pororum cutis occlusione externa optimè explicatur: nam præter acidam cruditatem, qvam *pulmentum* & *lac* in stomacho Infantuli subeunt, & unde ejus febres frequentissimè, nunc lentæ, nunc acutæ scaturiunt, etiam variæ aliæ omnino sunt lactis depravationes, de quibus jam dictum, sive illæ in *ventriculo* sub *digestione*, sive in *intestinis* sub hujus *digestionis perfectione*, & *fæcum separatione* obveniant. In specie *cruditas nidorosa* appellatur, dum flava copiosa ejiciuntur à tenellis, id quod neutiquam tali in casu bilis tingentis est opificium, unde enim tanta in fœtu juniore bilis abundantia? nisi infantulos ferè omnes, primô sui initiô, biliosiores viris adultis dicere velis, neque amarescunt semper hæc ipsa, sed potius subindè dulcescunt, & avidè à canibus omnis

amari

amari osoribus devorantur. *Lac* potius vitiatâ quacunque ratione, digestione ventriculi, spontè & facilè citrinescere, testatur Helmont. adeò ut hujusmodi digestionis primæ, multiplicia errata, ex alimentis & hinc affectibus Nutricis primariò oriunda, cùm non corrigi possunt in secunda digestione, necessàriò sanguineam crasin in tantùm alterabunt, ut hujus præter naturales variæ effervescentiæ febriles inevitabiliter superveniant: id qvod pariter in quibuslibet Infantum etiam ablactatorum febribus tàm lentis qvàm acutis observandum venit, qvæ omnes ferè pro causa interna, errata digestionis primæ in ventriculo & intestinis propter eorum adiphagiam agnoscunt: & qvidem eò citius ex enarratis occasionibus febres accenduntur, qvò minus per cutis cribrum insensibiliter purificatur sanguis, id qvod vel defectus caloris ambientis, vel crebra linteaminum non sufficienter calefactorum mutatio, vel denique balneorum neglectus usus inducit; calidi sanè balnei lotio, ùt sordes cutaneas Infantis copiosas abstergit & removet, ità & fibras retis cutanei laxando, pororum apertioni & copiosiori transpirationi amplam occasionem suggerit, cujus intermissio & poros constipat, & ex heterogeneorum coacervatorum impetu, huic febrili fermentationi uberrimam occasionem subministrat.

Hic obiter quæres? *utrum Infantes febre quartana laborent?* ratio dubitandi est, qvòd hæc febris à temperamento Infantum prorsus sit aliena; cùm eam plerique ab humore melancholico frigido & sicco fieri asserant, Infantes autem sint calidi & humidi. *Resp.* Infantes ratione temperamenti insiti partium solidarum, non esse febri huic obnoxios, sed ratione humorum sæpè partibus non correspondentium id fieri potest, cùm æquè Infantes ex cibis ingestis & aliis circumstantiis cruditates plurimas acervent, ad generandam hanc febrem aptissimas; negatur prætereà semper humorem atrum, ùt alibi patebit, etiam in adultis esse hujus febris causam.

Patet

Patet ergò ut paucis repetam febrium causam communissimam esse *lac*, vel acescens vel bilescens, vel putrescens; huic accedit dentitio, gingivarum inflammatio, dolor, vigiliæ &c. teste Hipp. 3. *aph.* 25.

Prognosis.

FEbres ordinariæ communiter periculô vacant, cùm causâ sublata spontè cessent: si autem corruptio lactis diu duret periculo non vacant, præsertim si alvi fluxus & vigiliæ, aut convulsiones accedant. *Quibus sub dentitione febris acuta accidit, ii rarò convulsionibus corripiuntur.* Hipp. *de dentitione.*

Curatio.

FEbres omnes in Pueris causarum ablatione & symptomatum mitigatione tolluntur. Sunt aliqui qui *vomitoria* & in specie *syr. emet.* svadent, sed utinam tutò, nè causa mortis Medico imputetur; tutius qvis meô judiciô, procedet si *laxantia per alvum* exhibeat, qvæ sæpè etiàm per os evacuant v. g. *potiuncula mannata*, cum, vel sine *fol. senn. elect.* & *rhab.* item *cassia* &c. qvæ etiam Nutrici dari possunt, ut per eam Infans laxetur. Sæpè cum effectu tàm ante qvàm post paroxysmum potissimùm *enemata* injici curavi, vel domestica vel magistralia ex *jusculo pulli, cremore hord.* vel *sero lact. melle rosat.* vel *sacchavo rubro* &c. *Dosis* enematum sufficiet *ad ℥iij. vel iv.* plus minus, pro ratione ætatis.

Prosunt prætereà *Acetosa, endivia, portulaca, fragaria*, & ex his *aquæ & syr. oxysacchara*, Nutrici vel Infanti data. *Emulsiones ex amygd. dulc. sem. frigid.* cum *aquis* suprà dictis; item

julapia ex *aq.* & *syr.* suprà dictis; quibus adhuc subjunge *syr. acetosit. citr. borrag. granat. papav. rheat. violar.* &c.

Universalibus præmissis, plurimùm in febribus Puerorum faciunt *alterantia* seu *absorbentia* & *præcipitantia*, qvæ nunqvam sunt negligenda: inter cætera maximè laudatur *pulv. febril. Ludovici* vel sequens. ℞. *Pulv. ocul.* 69 *gr. xij. cinnabar.* ♁nij. *gr. iv.* M. f. Pulvis dividendus in 4. doses. Plurimum etiam valet *Spir. sal. armon.* correct. vel *aromat.* Vel loco hujus *salia fixa card. bened. absynth. cent. min.* Tandem etiam *Arcanum duplicat.* vel *Nitrum antimoniat*: qvæ sunt experta. data cum *aq. endiv. cichor.* & eorum *syrupis.* Plurimum etiam laudatur *Diascordium* ad aliqvot grana exhibitum: magnas laudes meretur *Liquor C. C. succinat. Tinctura myrrhæ*, *Antimon. diaphoret. rec.* & *rit. ppt. C. C. phlicè ppt. Ocul* 69. *crudi aut ppt. Gelat. C. C.* Infanti & Nutrici data. Kufnerus hanc curam in febribus puerorum quadrimor. à Parente suo multoties expertam habet.

℞. *Conserv. nymph.*
rosar. aa. ℥j.
man. Xsti simpl. vel perlat.
trochisc. de camph.
Spec. diarrhod. Abbat. aa. ʒj.
Elect. de gemm. frigid. ℈iv.
cum julep. rosar.
F. Mixtura.

Dosis ejus, avellanæ qvantitas sæpius in die administrata.

In Febribus lentis ab obstructionibus expertissimum & evidens remedium est *infusio rhab. cum aq. endiv.* v. g. ℞. *Aq. endiv.* ℔j. *rhab.* ʒj. ligatum in petia stet in infusione, aliquot horis. *Dosis* omni die ℥iij. successivè in aurora, prius factâ

aliqvâ

aliqvâ expressione: continuatur tàm diu, qvousqve febris & obstructiones sint sublatæ, vel detur *bocchetum rhab.* pro potu ordinario qvod felicissimè operatur in febribus lentis, & fit hoc modô.

℞. *Rhab. elect.* ℥ß vel ℥j. (prout Puer ægrius aut faciliùs ejus saporem ferre potest) crassiusculè tritum & nodulo inclusum, infunde in *aq. font.* ℔ij. vel *iij. frigidæ*, per diem integrum; ejus usus continuatur per mensem aut diutius si morbi contumacia id postulet.

In febre lenta cum cachexia laudat Felix Platerus ob felices successus suum *Pulv. cachect.*

℞. *Rad. & sem. pœon. excort. aa.* ℥j.
flor. rosar. rubr. ʒß.
N. M. parum tostæ ℈ij.
bacc. laur. par. tost. ʒß.
spicæ
squinanth.
croc. aa. ℈j.
pellicul. ventricul. & intest. gallin. ppt. ℥j.
croc. ♂is. aperit. ʒiß.
cinamom. acerr. ℈j.
M. F. Pulvis subtilissimus.

Dosis cuspis cultri in vehiculo cõpetente.

Strobelbergerus in febribus adhibet cochlear unum vel alterum *Syr. viol. rosar.* vel *flor. persic.* qvo fit ut materia peccans aut vomitu aut alvo rejiciatur: porrigit qvoqve *aq. flor. sambuc.* cochleatim, qvæ simul si variolæ subsint eas propellit: pro potu

dat *aq. acetos.* in qva dissoluta sit *Conserv. rosar.* & rursum expressa, nam sitim extinguit, & cor recreat; Alii pro potu ordin. dant *Decoct. C. C.* cum *gelat.* ejusdem. Nos pro potu ordin. Infantibus recommendamus illum qvem titulô de ictero proponemus, gratum & efficacem. Matres & Nutrices à vino abstineant. Externè etiam multa laudantur: Spina dorsi inungitur *ol. violar.* aut *ungv. rosac.* in *aq. lactucæ* loto. *Caseus recens* per taleolas dissectus plantis pedum imponitur. Nonnulli *pannum scarlatinum* ex *aq. solan. acetos. & rosar.* madefaciunt, ac hepatis regioni imponunt, cui si addideris *Spec. diatr. santal.* erit efficacius.

De collo suspendatur *camphora.* Carpis manuum applicetur *Empl. febrifug. Mynf.* vel *Strobelbergeri.* Soliis pedum imponatur *raphanus.* Bona etiam sunt *cataplasmata* ad hypochondria *ex hord.* cocto, excorticato, *plantagine, solano & albo ovi. Unguenta è mucilaginibus cydon. cum ol. violar. rosar. nymph. & aceto rosato* mixta, ad hypochondria & spinam dorsi.

Riverius in *observ. fol.* 662. refert magnum Infantum lactantium numeruum fuisse mortuum, cujus causa acriusculum Nutricum lac inculpabatur, qvod ventriculi inflammationem induxit; aderat enim frigus extremorum, sitis inexplebilis, anxietas ingens, nausea, vomitus, diarrhæa: curati sunt postmodùm *missâ venâ*, & postea ventriculi regioni applicuit seqvens *Cataplasma.*

℞. *Farin. hord.* ℔j.
micæ panis albi ℥iv.
coq. leniter in *lact. caprill.* postea adde
succi solan. ℥j.
ol. rosat. q. s.

M. f. Cataplasma ad dolorem inflammatorium leniendum.

Ego

Ego loco hujus præferrem seqvens & longa experientia comprobatum *Cataplasma*, utriqve hypochondrio applicandum, & qvoties exficcatur renovandum.

℞. *Pulv. oliban.* ℥iij.
album. ovor. No. iij.
ol. lini vel
amygd. dulc. modicum.

Fiat Cataplasma super stupam lineam extendendum.

Mutatæ (*inquit* Riverius) etiam sunt Nutrices; & Infantibus *mucilago Sem. psyllii* cum *sacchаro pauco rosato* ex cochleari exhibita est: *jusculaq; pullorum* alterata cum *portulaca*, *acetos.* aut *lactuca.* Extrà verò per dorsum animalia divisa calidè applicabantur ad calorem foràs extrahendum. In febribus etiam laudatur sequens *Ungventum* ab Aventino, qvi plures Infantes à primo statim paroxysmo curavit.

℞. *Ol. rosar. violar. aa.* ℥j. *succi semper vivi* ℥iij. bullliant ad consumpt. succi, adde *pulv. croci* ℈j. Fiat Ungventum qvô inungantur renes, & tota dorsi spina, bis ter vel etiam qvater de die.

CAPUT XIX.

De Puerorum Macilentia, Tabe, Phthisi, Atrophia, Hectica, & Fascinatione.

AFfectus ille qvem vulgus Germanorum die Dörre / oder das Abnehmen appellat, nihil aliud est, qvàm corporis qvædam consumptio, qvâ Infantulorum corporea moles, præter

naturam dehiſcit ac macilenta fit, qvæ vel ſymptomatica eſt, & vermes, febrem, alvi fluxum, debilitatem ventriculi, crinones, faſcinationem, luem veneream, phthiſin, ſcorbutum, ſcabiem, aliosqve Puerorum affectus ſequitur: vel aliundè ac præſertim ob alimenti inopiam, vel corruptelam, intellige à muco acido & viſcoſo, oſcula & ductus lacteos obſtruente & glandulas meſaraicas infarciente: vel qvandoqve etiam à viſceribus corruptis, vel etiam ab utero accidit, & originem ducit.

Dixi *à muco acido* &c. cùm enim mucus acidus, crudus & viſcidus, loco ſucci nutritii diſtribuendus ſit, non poſſunt non eôdem inteſtina, aut admodùm incruſtari, aut oſcula aut ductus lactei eôdem obſtrui, aut glandulæ meſaraicæ conſequenter infarciri, unde tumores abdominis protuberant, & denegato nutrimenti tranſitu, inſigni totius corporis atrophiâ Infantuli contabeſcunt: accedente utplurimùm alvo laxiore, taceo (ùt dictum alibi) hoc loco dyſcraſian lactis alieni, nempe Nutricis, vel inepti pro nutrimento, vel aliàs vitiati, unde ibi atrophia, hic cachexia ſupervenit: præcipuè autem hæc omnia in Infantibus voracibus propter præproperam ingurgitationem frequentius contingunt.

Pro hoc malo profligando, variæ ferendæ ſunt indicationes, & varia, partim excogitata, partim adhuc excogitanda ſunt remedia: *indicationes* ſunt ſeqventes: ut nimirum viæ occluſæ materiæ nutritivæ tranſitum denegantes, aperiantur, ſi ſint à tenaci materia & viſcida, per *volatilia* & *aperitiva*, quæ alimenti depravationem ejusqve viſciditatem corrigent, & forti penetratione obſtructos anteà meatus reſerabunt, de quibus ſuprà de morbis in genere multa diximus: interdum etiam *leniter purgantia* remedia iteratò adhibenda, non verò fortiora qvæ roridum liqvorem ſimul educunt, & ſic malum augent: inter

inter lenientia laudatur *liquor Tartari* de qvo Barbette. *lib.* 3. *cap.* 2. *observ.* 3. *Rhab. manna, pruna*, & ex his parata qvæcunqve remedia: *Syr. rosat. solut. flor. persic. domesticus. Arcan. duplicat. Mynf.* dosis tot grana, quot annos Infans habet: Conducit etiam *Tinctura ♂tis malvatica* in singulos ætatis annos *ad gutt. ij.* adaucta. *Balnetur* Infans in *lacte caprino*; vel *bovino lacte* fricentur sæpe membra, vel coquantur *tria capita vervecis in cerevisia secundaria*, ex qvo jure lavetur Infans sæpius.

Ex *fol. hederæ* qvæ qvercui adnascitur, destillatione, *aqua* prolicitur, de qva qvotidie exhibeantur cochlearia tria; *eademq; fol. siccat. & in pulv. redacta* ℈j. pondere, qvotidie cum *pulte* aut *syr. violar.* præbentur: hoc sanè remedio, inquit Strobelbergerus, Illustris quædam proles ob diuturnam tussim ad summam corporis macilentiam redacta, sanitati fuit restituta, cui prætereà dum hæc instituta erant, pectoris tota regio *pingvedine gallinacea*, diligenter fuit peruncta. Prosunt etiam *pulmenta ex amylo* (vulgò Krafft-Mehl) *& amygd. pineis & pistaciis* confecta: multum præstat *Cremor hord. gelatinæ simpl.* vel cum *rasur. C.C. eboris*, *viperis*, destillata, consummata, contusa &c. Optima etiam sunt *Decocta* seu jufcula *capon. limacum, testudinum, hordeatum Prævotii, passularum*: Nec minoris efficaciæ sunt *Enemata nutrientia*, ex *decoctis*, *gelatinis*, & *succis carnium*, *vitellis ovorum & lacte*. Multi laudant *Pilul. de cynogloss. laud. opiat. Quercet.* vel *Mynf.* Alii *Succolatam Indam*, *Aurum potabile*, vel *Lac auro candente extinctum*, & *sacch aro rosato mixt.* *Herba filicis* singulari qvadam virtute auxilium adfert, si sacculo inclusa interscapulio supponatur: alii culcitras eâdem replent; nonnulli *aquam* indè destillat. cum *sacchar o cando in syr.* concinnatam Infantulo præbent. Generosæ qvædam Matronæ seqvens in arcanis habent: *baccas lauri* pastâ farinaceâ involvunt, & in furno assant; demptas posteà baccas, easque *excor-*

excorticat. pulverisant; pulveri huic addunt æqvali pondere *C.C. nucem moscat.* præbentque de eo Infanti, parva tria acumina cultri cum jusculo aut pulte per mensem.

Elegans ac salutare est qvod paratur *Ungv. ex rec. butyro, axungiâ porci, & ovis sevô*, colliqvatis ad lentum ignem, additoque tantillô *oleô ceræ*, qvô calidè corpora perungantur. Valet etiam *Axungia caponis*, vel *Ungv. Sylvii* ex *ungv. martiato, dialth. & oleo philosophor.* parat. vel *Empl. meliloti*, hypochondriis applicatum.

Notandum, qvod si acidum austerum peccet & vasa disrumpat, ut nihil nutrimenti, ad partes externas mittant, prosunt *Ocul. cancr.* qui & vulnerarii & absorbentes sunt. Sequenti *Mixturâ* plures ablactatos curatos novit Dolæus.

℞. *Aq. primul. ver.*
è cancris
cent. min.
antibect. Schröd. aa. ℥*j.*
pulv. rasur. ebor.
C. C. ppt.
oc. 69. ppt. aa. ℈*j.*
corall. rub. ppt. ʒß.
tartari vitriol. ℈*j.*
julep. rosat. ʒ*vj.* vel ℥*j.* M.

dentur singulis diebus cochlearia ii: bis in die. Efficaces etiam sunt *Rotulæ* & quas parvuli facilè assumunt.

℞. *Sal. cachect.* ♂*lis Schröd.*
ocul. 69. aa. ℈*j.*

♀r. *Vi-*

♀r. vitriol. gr. xv.
lap. prunell. gr. vj.
Spec. diarrhod. Abb. ℈ß.
facch. alb. ℥j. *vel ij.*
F. l. a. Rotulæ.

Palmam aliis præripit *Antibect. albiss. Poterii.* Item *Sacobarum Saturni*, præsertim si adsint sudores colliqvativi. Dolæus sequenti *Mixtura* in colliquatione suum filiolum curavit, qui post pastum semper tussiebat:

℞. *▽æ menth.* ℥j.
cort. citr. ℥ß.
sal. absynth. gr. v.
ol. menth. stillat. gttj.
syr. fænicul. ℥vj.

Misce detur cochleatim per vices. In paulò adultioribus cura *lactis* usurpanda. Si affectus est ex lacte vitioso, Nutrix purificetur vel mutetur. Si macies procedit à vermibus & crinonibus, cura ejusdem videatur sequenti capite. Potissimum autem atrophiam à vermibus curat sequens: nimirum *castorei* ℈ß. *vel* ℈*j.* adhibitus, nam id fætore suo fermes strenuè necat. Præterea atrophiæ medentur quoad intrà, *stercus de vacca nigra* adhuc calidum, calcinetur in olla nova, hujus pulv. detur ℈j. Infanti, & per tempus puerperii extrà in balneo semper incoque *cortices salicis recentis*, quæ specifica sunt in aridura puerorum. ℞. *Aquæ hæder. arbor.* ℈*j.* detur Puero. Eâdem *aq.* fovea cordis irrigetur, & venter cum *pingved. capon.* manè & vesperi inungatur.

Inter externa pro humectanda & edulcoranda massa sangvinea prosunt *balnea* & *fotus* seu fomenta, *ex lacte* vel *decocto*

Ex Animalibus: *Alb. græc:* Axungia *canis, catti, anat. anser. vulp. gallin. homin. taxi.* Lac *asinæ, mulier. capræ, butyrum rec. lapis bezoar. os de corde Cervi, ostreæ, ranæ, cancri, testudo, ova, limaces, rasur. ebor. C. C. carnes saniores, vipera, sangv. porcelli, medullæ.*

Ex Mineralibus. *Bol. armen. lapid. pretiof. margarit. corall. hæmatit. sulphur, nitrum, magist. perlar. nitrum perlat. Specificum stomachic. & antihect: Poteri, Tinctura corall. &c.*

Cùm suprà in titulo facta sit mentio *fascinationis*, de hac pauca qvædam annectemus.

Fascinatio medicè considerata *est maligna consumptio universi corporis, ob frustratam facultatem nutritivam totius, à vi malefica.*

Signa fascinationis potissimùm sunt hæc: *Primò* à juvantibus & lædentibus, cùm nimirum morbus nullus remediis etiam exquisitissimis & rectè adhibitis non cedit, sed potius continuò deterioratur. *Secundò* quando Medicus expertissimus dubius redditur, & vix certi aliqvid statuere potest. *Tertiò* qvòd morbi naturales sensim incipiant, & sua tempora percurrant, fascinati autem nullis sæpè præsentibus causis & materia peccante, statim suo vigore destitui videantur. *Quartò* quòd se talia & tàm atrocia symptomata exserant, quæ inusitata, & qvorum nulla ratio dari potest; crebrò etiam variant nullô servatô typo, & ægri modò de hoc, modò de alio dolore conquerantur. *Quintò* quando ægri, vel adstantes nihil committunt, vel delinqvunt, qvod ansam morbo præbet. *Sextò* si acus, pili, vitra, cultri, flocci, lapides, & alia talia toto genere præter naturam, per vomitum, alvum, vel sudorem rejiciantur, aut ex ulceribus & abscessibus erumpant; qvod signum omnium est certissimum. *Septimò* si Saga vel veneficus aliquis ad ægrum

accesserit, statim ille pejus senserit, horrore vel tremore correptus sit, ploret, vel alia mutatio insveta percipiatur.

Curatio, fascinationis duplex est: *Naturalis*, si nimirum per causas naturales à Dæmone vel Sagis immutata sit corporis constitutio & humores, & sic introductus morbus. *Divina* (nullatenus verò magica qvæ dedecet Medicum.)

Hæc curatio fascinationis peragitur *evacuantibus* humores vitiosos, quibus Diabolus utitur in morbis inducendis: *Secundò alterantibus alexipharmacis* specificè contrariis à Diabolo inductis, qualia sunt seqventia:

Herbæ & Folia: *Abrotan. adianth. aureum, alyssum, anethum, antirrhinum, arthemisia, baccharis, bethonica, buxus, calamentha, cent. min. chamæpytbis, cupressus, eruca, filix; hypericum, laurus, lunaria, marrubium, melissa, mentha, herba paris, pyrola, ricinus, rosmarinus, ruta, sabina, salvia, sclarea, scordium, scrophularia, senecio, syderitis, tussilago, verbena, vinca pervinca.*

Flores. *Aster atticus, hyperic. pœon. rosf. rubr.*

Semina. *Antirrhini, aquileg. bethon. card. bened. citri, fœniculi, hyperici, petrosel. macedon. santonici.*

Fructus & Baccæ: *juniperi, herbæ paris, tiliæ, visci corylini, fungi rubri, ossa dactylorum.*

Aromata: *Caryophylli, cinamom. nuc. moschat. piper, Zinziber.*

Gummi & Resinæ: *Assa fœtida, benzoe, galbanum, laudanum, mastiche, myrrh. styrax, calamintha, thus.*

Cortices, Muscus: *Citri, fraxini, muscus clavellatus.*

Ligna

Ligna, Visci: *Agallogum, aspaltum, corni, cotoneum, lauri, fraxini, santali, viscus ex corylo & quercu.*

Radices: *Allii, angelicæ, aristolochiæ, utriusque, cyclaminis, filicis, pœoniæ maris, satyrii, squillæ, scorzoneræ, succisæ, vincetoxici, urticæ.*

Animalia: *Ambra, coreum & sanguis asini, cornu caprinum, cranium & rostrum lupi & vulpis; dens hominis mortui vel canis, moscus, officulum cruciformæ ex capite lucii piscis, sanguis canis & catuli nigri, sanguis primi menstrui, vel secundina primiparæ, stercus hominis jejuni, ungula asini.*

Mineralia: *Adamas, amianthus, aqua ex ore equi masculi non castrati potantis elapsa, collecta & hausta, carbunculus, corallia, gagates, hyacinthus, jaspis, magnes, margaritæ, Mercurius vivus, saphyrus, sarda, silices, smaragdus, succinum, sulphur.*

Ex his suprà dictis fiunt varia remedia, *Aquæ, antidoti, balnea, insessus, cataplasmata, cerevisiæ medicatæ, confectiones* (uti est *confectio alkermes, de hyacintho, smaragdina*) *conservæ, decocta, emplastra* (uti est *ex assa fœtida, fœtidum Mynf.*) *essentiæ, extracta, olea, pulv. sacculi, salia, syrupi, species, suffitus, spiritus, theriacæ* (uti est *Veneta* & *Cælestis, orvietanum*) *tincturæ* (uti est *Bezoartica Michaël. corallorum, hyperici Mynf. contra impotentiam & incantationem Grülingii, smaragdina cum Spiritu urinæ fact. Schröd.*) *unguenta* (uti est *Karrichteri, Henrici ab Heer sympatheticum.*)

De his & similibus vide plura in Karrichtero, Sennerto, & Zacuto.

Puella novennis à fascinatione sequenti remedio curata est:

℞. *Adipis canis bene liquati ℥iv.*
ursi ℥viij.
caponis ℔ij.

Tres truncos visci corylini adhuc virentes, frustulatim sectos & tusos ut humescant, contunde autem simul lignum, folia, baccas; misce omnia in phiola, quam cùm soli 9. septimanis exposueris, *virentem balsamum* extrahes, eoque ægrorum corpora maximè loca dolentia & juncturas inunges, & certô experimentô curabis.

Si Infantes ob incantationem semper plorant & inquieti sunt, insideant *Decoctô ptarmicæ Matthioli & hypericonis* per 9. dies, posteà suffumiga Infantem sequenti. ℞. *Visci in tilia crescentis*, carbonibus impone & suffumiga.

CAPUT XX.

De affectione illa puerili, quam Medici Comedones, Dracunculos, Crinones, vulgus die Mitesser *vocant.*

Affectibus priori capite recensitis, pedissequus est, aut sanè individuus comes, cutaneus quidam affectus qui puerulos mirè vexat, & in extremam maciem trahit, ortum habens (ùt antiquitùs loquebantur, quid autem Neoterici sentiant mox dicetur) à prava & corrupta corporis alimonia, ob quam humores quidam putridi, quos membra pro nutrimento respuunt, ad cutim naturâ forsan duce propellunt, qui ob suam crassitiem, dum sub cute ac præsertim ipsius poris retinentur, nec difflari possunt, à nativa Puerorum humiditate ac vitalis caloris pri-

mor-

mordio quasi animantur, & vermiculos perexiguos imitantur, qui deinceps in sui nutritionem omniabrepto alimento, extremæ maciei in puerulis causa existunt.

Multiplici olim erant, & adhuc sunt Medici, qui hæc animalia viva esse non credunt; sed experientiâ à Neotericis per microscopia factâ, viva omnino deprehensa sunt hæc animalcula; hinc est quòd Infantes hoc malo detenti alimenta voracius & largius appetant, & tamen continuò deficiant: & ideò etiam dicuntur *comedones*, ab adjunctâ Infantis tabe, quasi nutrimentum largius comedendo absumunt, & ideò Germanis die Mitesser oder Zehr-Würmer/ vocantur; dicuntur etiam *crinones* à figura, quòd crinium seu pilorum curtorum nigrorum formâ, foràs interdum per cutis poros prominere soleant.

Differunt à Sironibus seu istis vermiculis minutis quasi pedicularibus, in pustulis prurientibus sub cuticula manuum & pedum enatis, quia horum & illorum, hoc est Sironum & Crinonum formæ per microscopium consideratæ differentes planè deprehenduntur.

Sunt ergò dicti Crinones vermiculi, capillorum spissorum, seu setarum formâ curtarum, nudo oculo aspicienti se exhibentes, quando nempe mellis affricti dulcedine & allecti in loco calido foràs prorumpere non nihil, frigoris verò ipsis inimici sensu, denuò intrò repere observantur: accuratius tamen per microscopium advertuntur; sic enim coloris cinerei, cornubus binis longè prominentibus instructi, oculis rotundis glandiusculis, caudâ oblongâ in fine filosâ, unô verbô aspectu horridi intueri solent. Hæc animalia magis occupant loca musculosa, imprimis dorsi, hinc scapularum, humeri, surarum & crurum sub cuticula.

Infan-

Infantes imprimis teneriores, rarius ebustiores affligerrō solent.

Causam jam paucis suprà ex mente Veterum innuimus, nimirum originem suam habere à suppressà sensibili transpiratione, quæ teste Horstio, sit temperata materia dulcis & pinguis licèt, diutius tamen retenta ad putredinem ruit, unde occultata antea & oppressà penitus principia seminalia, quæ & in minimo atomo imperceptibili sensibus latere possunt, sui juris facta, destinationes naturales exequuntur, & in viva animalcula proruunt: nimirum in lacte v. g. ratione alimentorum ex quibus generatur, non secus ac in pulte, milleformia insectulorum & vermiculorum latent seminia, quæ in tenello Infantuli stomacho, non adeò exactè alterata, facilè datâ occasione evigilare, & in actum secundum erumpere valent: hinc nonnulli hos crinones, illis vermiculis seu ascharidibus similes asserere volunt, qui in antiquis caseis enascuntur.

Hi ipsi crinones animati, molestiam admodum prurientem & continuò lacescentem, plus minus tamen, sub cuticula admodum sensili excitant, indeque inquietos, ejulantes & vigiles reddunt Infantes, quibus sæpesæpius licèt porrigant mammas Nutrices, quas quidem exhauriunt, nihilominus tamen inquietudine, vigiliis, ploratu confecti, minus dictum alimentum concoquere, aut ritè assimilare possunt, donec, ùt diximus, tandem emacientur, & ità successivè in tabem proruant; quamvis, ut candidè cum Ettmüllero existimem, non tàm ratione nutrimenti à vermibus exhausti, quàm ratione symptomatum ab ipsis inductorum, maciem & tabem consecutivè supervenire.

Curatio: Tollendum hoc malum peculiari artificio propellitur. Ex *cinere ligni quercini* fiat *lixivium*, cui imponatur per

per noctem *Sacculus stercore pullorum Gallinaceorum repletus*; Sequenti die Infans deducatur in vannum, ibique insideat dicto lixivio calefacto, usque ad collum, per semihoram plus minus, quô factô detineatur per aliam semihoram in sudatorio extra lixivium, ut probè sudet, toto corpore prius *melle* inuncto: Sudore autem peracto, deradatur universa cutis cum cultro rasorio, eô modô, quô aliàs barbæ rasura peragitur: hoc remedio, si ter per septimanam continuetur cura, Pueri ordinariò sanitati restituuntur.

Alij rem sic peragunt: deducunt Puerulum in stuffam donec prorumpat sudor. Deindè scapulas perungunt *pulte ex melle & farina triticea paratâ*; hac ratione brevi pòst, multi, exigui, & acuti vermiculi prodeunt, qui similiter cum rasorio deradi debent. idipsum elapsô octiduô rursus instituì necesse est, & quidem toto corpore, præter caput; sic enim & indè vermiculosa illa progenies prodibit, quæ rasorij cultri acutie demetenda venit.

Nonnullis eodem plane effectu *Zedoaria in lixivio quercino decoquitur*, quô Infans ante & post rasuram in sudatorio diligenter abluitur.

Nec desunt qui Puerulo majorenni in balneum deducendo, *pulverem semin. sinapi* exhibeant, qua ratione excrementosa sordities commodius propellitur. Ettmüllerus præservativè & curativè laudat *Tinctur.* ♁*nij* ad aliquot guttulas datam, & post hanc, balneum, & quidem ad illos eliciendos summopere suadet *balneum aquæ dulc*: cui parum *mellis* addatur indè dulcedine decepti vermiculi, per poros cutis capitibus prominent, qui vel cultrô vel unguibus, vel pane tosto vel novaculâ abraduntur. Mulieres dum dorsum melle illinunt, posteà cultrò rasoriò capita vermium allectorum abscindunt.

Timæus laudat *aquam aloëticam* externè quotidie dorso illitam; prosunt & frictiones cum *aqua mellis & farina*, & subsequens rasio cum cultro.

Zacutus Lusitanus Infantum tabem dorsalem curavit, exhibendo ter *castorei* ℈j nam castoreum fætore suo vermes strenuè necat.

Nos experientia edocti cum Dolæo & Ettmüllero, *aquam Hermeticam*, seu *Decoctum* ☿rij *vivi*, uti scabiei & lumbricis optimè conferre solet, etiam hic conducere affirmamus, in balneo enim hac aquâ ablui possunt Infantes, & sic absque periculo hi vermiculi necantur; non omissis tamen *antihecticis* & *anthelminthicis* suprà de vermibus dictis.

Laudatur etiam in hoc affectu *decoct. rad. bryoniæ, balneum, in lixivio cinerum quercûs facto*. Internè etiam optimè facit *Tinctura* ♁nij *rit. fact.* & data ad paucas guttas.

CAPUT XXI.

De Prunella Infantulorum, vulgò, die Mund-Bräune.

Affectus hic puerulis frequens & molestus satis, nihil aliud est quàm calida effumatio ac phlogosis, non solùm linguam, sed magis palatum, non rarò etiam totam oris cavitatem inficiens, non aliter ac si milio conspersa esset integra oris regio.

Causam seu ortum ducit à *lactis corruptela*, & nimiâ à Matre communicatâ caliditate.

Curatur sedulâ purificatione, ex *aqua prunellæ & fragorum*, additô *crocô* & *alumine*, prodest quoque *diamoron* & *dianucum*; expertum etiam est *decoct. chamomill.*

Hoc vitium etiam non rarò ab oris intemperie in recens natis natum, à cretaceo quodam excremento ad oris internas partes, & totam linguam adhærescente, vulgò in Gallia cancer albus teste Paræo, appellatur, lactandi libertatem intercipit, mox in ulcera ad fauces & gulam serpentia degenerans,

rans, mortis causa interdum existit: quod nè accidat, medendum ipsi est detersione paratâ ex linteolo, bacillo alligato, & immerso in medicamentum mediocris consistentiæ, ex *ol. amygd. dulc. melle* & *saccharo* paratum: hoc enim blandè affricto madefactæ & detersæ sordes eluuntur.

CAPUT XXII.

De Vigilijs, Insomnijs, seu Pervigilio Puerorum, wann die Kinder aus der Ruhe kommen.

Quemadmodum somnus arcanum est in Medicina, supra omnes gemmas & lapides pretiosos æstimandum, utpote quô Pueruli mirum in modum reficiuntur ac recreantur; itâ nihil pejus his accidere potest, quâm ipsius somni, atque ideò omnium virium naufragium ac privatio.

Vigiliæ, seu insomnia, seu pervigilium est facultatis dormiendi imminutio vel abolitio. *Causæ* sunt multifariæ: 1. continuus & immoderatus spirituum animalium vel vaporum ad sensûs & motûs organa influxus. 2. dolor in quacunque corporis parte. 3. ardor capitis. 4. pruritus. 5. scabies. 6. tubercula. 7. pustulæ. 8. angustia pectoris. 9. tussis. 10. caloringens. 11. aphtæ. 12. vermes. 13. ventriculi affectus. 14. cibi copia, maxime vesperi. 15. somnia terrifica. 16. fames vel sitis. 17. malus decubitus. 18. stricta ligatura. 19. linteaminum asperitas vel immundities. 20. tumultus, vel strepitus. 21. luminis splendor. 22. frigus externum. 23. cimices, pulices, pediculi, muscæ, ictus, morsus. &c.

In *curatione* igitur hujus mali ad causas prædictas respiciendum est, quæ removendæ sunt omnes & singulæ; hac tamen additâ & adhibitâ cautione, cùm somnifera ferè omnia algida sint, præsertim opiata & narcotica, ut moderatè iis utamur,

nè in epilepsiam aut soporem Pueros præcipitemus; proinde potiùs Nutrici somnum conciliantia adhibenda, sed tamen etiam moderata. Quæ citra omnem noxam (cautè tamen adhibita) prodesse possunt, sunt sequentia:

Interna sunt *Pulv. anodyn. syrup. d. papav. errat. papav. alb. Aq. anethi, aq. flor. persic. hypnotica, nymphææ, papav. rhæad. rosar. verben. violar. Confectio alkerm. theriaca cœlest. conservæ ex prædict. aq. Diacod. Mont. Emulsiones, Syrupi ex prædict. aq. Spec. diambræ, diamosci dulc. theriaca recens, hordeatum Prævotij, juscula ex lactuc. & sem. papav. albi,* Nutrici vel Infanti adhibita; vel *pulticulæ ex farina triticea & lacte,* incoctis *sem. papav. alb. lactucæ, portul*; *lac caprinum* in quo unum vel alterum *caput papav. coxerit,* jucundam conciliat naturæ quietem; nam papaveri rarus est & efficax ac mirabilis somnium inducendi usus, cùm vel solus florum rec. odor id præstet. Fiat etiam *amygdalatum* hac arte. ℞. *amygd. dulc. mundat.* ℥j. *sem. papav. alb.* ℥ij. *sem. 4. frig. maj. ana* ʒß macerentur horis 6. in *aq. frigida,* deinde contunde in mortario & ducantur per cribrum cum *aq. lactucæ* aut *nymph.* fiat edulcoractio cum sacchare.

Pulvis meus somniferus efficacissimus hactenus observatus, sequens est:

℞. *Capit. papav. alb. c. sem.* ʒvj.
spec. diatrion sant.
cass. lign. ana ʒß
squinanth. gr. v.
fl. cordial. ana ℈j
sem. anis.
carv.
coriandr. ppt. ana ℈ij
croc. gr. xv.
sacch. alb. ʒvj

Pulvis. *Dosis*: cuspis cultri, plus minus. M. F.

Nutrix utatur ùt diximus mox antè, somnum inducentibus, ùt *jusculis ex lactuc. papav.* &c. & si lac ipsius vitiosum sit corrigatur. Pro arcano habentur *ossicula auditûs porcelli*, in pulv. redacta & exhibita.

Nota; licèt aliqui etiam sint, qui saltèm *gr.* j. *laud. opiat.* suadent, ego tamen ob teneritudinem & metum potius abstineo, & securioribus alijs contentor.

Nota secundo *croci* usus, primò ob vim calefactivam & siccantem, *secundo* quia potius sensus excitat, & spirituum motum inducit, unde cor recreare dicitur, per se & solus suspectus est, si autem alijs *refrigerantibus & corrigentibus* permisceatur, bonum sæpè præstat effectum.

Externa: inter externa laudantur *epithemata & frontalia*, sunt & *pediluvia* ex quibusdam supradictis internis: *Ungv. alabastr. popul. rosat. simpl. vel Mesue. Ol. nucistæ, succin. rosar. Cataplasma ex nucleis persic: cum sem. papav. & lacte muliebr.* ac modicô *croci*; *Decoct. capit. & sem. papav. alb. in aq. simpl.* pro manuum & pedum lotione ante somnum; *aures leporis*, pulvinari suppositæ; *lac suillum* temporibus & fronti applicatum. *Calvaria hominis* sub pulvinari posita; *pinguedo lucij piscis* naribus & plantis pedum inuncta. ℞. *Sem. papav. alb.* ʒj. *nucleor. persic. n.* ij. cum *lacte muliebri* fiat Cataplasma ad tempora, cui adde momentum *croci*.

℞. *Ol. papav. express.* ʒj
nucist. express.
Ung. popul. ana ʒß
ol. stillat. aneth. gutt. v.

Misce pro inungendis temporibus. *Medulla ex pedibus cervorum vel boum*, quâ tempora & plantas pedum inunge, & egregiè proderit. Madeat *crocus in lacte muliebr.* quô sæpius inunge tempora. ℞. *Sem. papav. alb.* ʒij. maceretur in *aq. majoran.* ac postea contunde in mortario: tandem in tripodio & ad

ad prunas ebulliat, id, quod pingue supernatat, segrega, tempora illinendo. *Ol. nuc. moschat. express.* cum tantillo *ungu. popul.* vel *rosacei*, in *aq. lactucæ* loti, mixtum, cum bono effectu adhibetur.

Naribus inunge *Ol. violar.* cum *succo lactucæ* mixtum; *lotiones pedum* fiant ex *decoct. summitatum anethi*, *malvâ*, *salice*, *vite*, *capit. papav.* &c. magnus enim pedum cum capite est consensus ob circulum sanguinis; affecto enim & alterato sanguine pedum, ob peritromen ad cerebrum per venas perductus, similem illi infert impressionem & alterationem, hinc *pediluvia* tàm ad somnum conciliandum, quàm alios bonos effectus præstandos & affectus corrigendos multùm præstant.

Tutissimum autem & facillimum remedij genus ad inducendum Infantibus somnum, sunt *cantilenæ*, *sonus*, *sonitus aquarum* ex alto cadentium, *lenes frictiones*, *balnea aqua dulc.* cum *lacte* permixta, *lux*, & mox *tenebræ* &c.

CAPUT XXIII.

De Puerorum Incubo, quem Græci ἐφιάλτην *vocant, Germani*, den Alp / die Trudt. *Item de Pavore, vulgò* das Schrecken und Auffahren der Jungen Kinder in Schlaff.

PAvores nihil aliud sunt quàm concussiones in somno, seu somnus perturbatus cum terribilibus insomnijs & ejulatibus, potissimum à nimia alimenti copia, ejusque corruptione & aciditate ortus, suâ acrimoniâ non tantùm ventriculi & intestinorum fibras rodente, sed spiritus aggrediente, illos impetuosos reddente, ut totam tenelli machinam concutiant, & tandem epilepsiæ prodromi existant: hinc etiam *lac corruptum* & *vermes*, potissimæ *causæ* sunt hujus effectûs, de quo etiam loquitur Hip. 3. *aph.* 24. Et certè indubitatum est, quòd ab explo-

explosivo spirituum animalium impetu in nervos, pavores potissimum contingant, qui spiritus, cùm sub somni requie blando & tardo gressu influere debeant, impetuosius irruentes, inopinatam totius corporis ex fibrillarum nervearum momentaneo contractivo nisu inferunt concussionem, adeò, ut non ineptè (sicut diximus) ipsis etiam mulierculis prodromi habeantur convulsionum epilepticarum Infantibus familiarium; ex simili nimirum inordinato & perverso spirituum animalium motu in cerebro, à violenta explosione oriundarum.

Infantuli hoc malô correpti, præterquàm quòd gemant ac quassentur dum dormiunt, & excussi mox somno vehementer ejulent, etiam calor & color illis alienus est à lege naturæ.

Curatio. Diætam debitam Nutrix observet, temperatè vivat & bibat, a motibus animi caveat, etiam Infans parcius lactetur & nutriatur, & à cibo vel lacte non statim somno tradatur, quousque cibus à ventriculo bene receptus sit. Detur etiam in *pulte* vel alio vehiculo *pulv. mechoacann.* ℈j cum *fæcul. pæon.* mixtus vel loco hujus; *magister. mechoacan. cum nucibus pineis* subact. *ad gr.* iij. *vel* iv. plus minus, pro majori vel minori ætatis constitutione; vel detur *mel rosat. salutiv.* ad cochlear. j. vel *ol. amygd. dulc.* pro vomitu ciendo &c. ut nimirum his & similibus materia peccans tollatur, & nè cibi porrò corrumpantur: potest etiam per triduum dari dimidium cochlear *mellis simpl. depurati*, omni manè jejuno stomacho, quod potenter abstergit. Nostræ Mulieres adhibent cum *pulto* vel *lacte sem. aquileg.* ℈j. Alij *Pulv. Marchi.* vel *Pulv. de Gutteta* grana aliquot.

Post hæc ad specifica & *confortantia* accedendum est; prosunt, *fæculæ pæon. smaragd. ppt. magist. corall. spec. diapler. Archont. Pulv. contra somnia terribilia Timæi. spec. diambr. diamosci dulc. specific. cephal. Michaël. succin. alb. ppt. Tinctur. corall.* item *aq. matricariæ* cochleatim data.

℞. Spe-

℞. *Specif. cephal.* ʒj
Smaragd. ppt.
fœcul. pœon. ana ℈j
M. F. Pulvis. *Dosis* cuspis cultri

℞. ▽ *pœon.*
menth. ana ℥ß
syr. de menth.
pœon. ana ʒiij
M. Detur cochleatim

℞. *Magist. corall.* ʒj
spec. diapler. Arcbont. ℈j
sacch. in ▽ *rosar. solut.* ℥j
F. Rotulæ pro lubitu sumendæ.

Nota primo, si malum sit â febre aut vermibus, cura eò etiam dirigenda erit, ut prius febris & vermes curentur. Nota secundo, Infans modò uni, modò alteri lateri incumbat, & raró aut nunquàm supinus collocetur. Nota tertio, ventriculum quoque tàm intrà quàm extrà roborandum esse, cui conveniet *syr. absynth.* quatenus ejus succus cum saccharo temperatus, antecedenti causæ, nimirum corruptioni ingestorum in ventriculo convenit: nec obstat quôd absynth. caput gravare dicatur, & suo calore exhalationes augeat, & somnum immaturum ac noxium introducat, nam primam noxam corrigit saccharum, & si justo tempore detur, altera noxa non est timenda, nec somnus immaturus timendus, quia ejus causam corrigit.

Extrà conveniunt *corallia* collo appensa; *cornua scarabæi*; *dens lupi rad. pœon.* justo tempore collecta. ℞. *Ol. stomachal. Craton. mastich. nuc. moschat. ana* ʒj. *ol. menth. gutt.* iv. M. pro ventriculo inungendo. ℞. *Empl. de crusta panis, stomachal. ex ladano Craton. ana q. s.* malaxetur cum *ol. stomach. Craton.* & extende secundùm artem pro ventriculo. ℞. *Rad. pœon.* ℥ß. *sem. anisi, pœon. ana* ℥ij. incis. & contus. fiant

fiant s. a. duo *sacculi* pro capite. Pavorem omnem in somnis pellere dicitur *anisum*, pulvinarijs culcitrisque inspersum, vel sacculo inclusum, & capiti appositum, ut suo odorato spiritu cerebrum imbuat. Ex *ol. nuc. moschat. express.* ℥j additis v. guttulis *ol. anisi destillati* fiat Linimentum temporibus illinendum & naribus.

Generosis quibusdam fœminis hoc usitatum & salutare est,

℞. ▽ *lavendul.*
melifs. ana ℥j
pulv. santal. citrin.
sem. pœon. ana ʒß

Fiat Epithema, quô scarlata madefacta calidè pectori imponatur.

Pulvis rad. fumar. bulbos. carbonibus ignitis injiciatur, quo perfumentur Pueruli. Occultâ vi terrores nocturnos arcet *dexter lupi* vel etiam *ursi oculus* collo appensus. *Vesicatoria* cervici aut pone aures etiam applicari possunt. Plura si quis desiderat, videat Forest. *lib.* 10. *obs.* 50. *pag.* 3?7, 8, *in Scholijs.*

CAPUT XXIV.

De Puerorum Convulsione & Epilepsia, vulgò die Fraiß.

CONvulsio est nervorum musculorúmque versus suam originem perpetua & involuntaria retractio: *Causas* easdem agnoscit quas epilepsia, quæ alijs motus convulsivus dicitur. Potissimum autem ab Authoribus statuuntur duæ: *repletio* & *inanitio.* Convulsio triplex est: *emprostotonos, opistotonos* & *tetanos.* Prima versus anteriora, Secunda versus posteriora, Tertia versus utramque partem, membra convellit. Differt ab epilepsia, eò quòd in hac sensus externi & interni lædantur,

estque potius motus convulsivus seu interpolatus, quàm vera convulsio: at in convulsione est perpetua retractio, quæ à principio usque ad finem affectûs durat, in epilepsia autem post paroxysmum cessat, & revertitur; neque in convulsione sicut in epilepsia actiones animales exteriores læduntur.

Curatio proindè etiam erit eadem, quæ epilepsiæ. *Epilepsia* aliàs Puerorum noverca dicta, est motus convulsivus interpolatus totius corporis, cum actionum principum, sensûs ac motûs depravatione, ab irritatione facultatis expultricis, à subita & inordinata spirituum motione & disordine ortus; cujus *causæ* rursum sunt vel nativa propensio, vel humores pravi, vel vitium diætæ, seu lac corruptum, variolæ, mobilli, febres, dentitio, & alij similes morbi, caput & systema nervosum in consensum trahentes; vel quocunque modo afficientes.

Ut autem rem totam de hoc funesto tenellis Infantibus symptomate reddam clariorem, sciendum, quòd frequentissimè nervi sexti paris, vulgò vagi dicti, & intercostalibus ramificationibus annexæ partes abdominis & thoracis, convulsionibus epilepticis tententur admodum torminosis, ut mulierculæ, aliàs commiserationum matres, hunc affectum germanico idiomate: die schwäre Noth in Leib/ appellaverint. Est scilicet continuus & nunquàm interruptus spirituum animalium in hos nervos à natura institutus motus & influxus, pro continuando motu cordis, diaphragmatis, & respirationi inservientium musculorum primariorum, ùt & ventriculi & intestinorum motu peristaltico perficiendo; in adultis consueto quasi tramite longè promptiùs irruunt in dictarum partium nervos spiritus animales, quàm in Infantibus in membra externa (ob infasciationem) quæ magis quieta sunt, adeoque dictos spasmos internos frequentius concitant. Quòd si verò crebrius repetant, tandem totum spirituum animalium exercitum, integrumque nervorum systema, per consensum & continuationem motûs similiter afficiunt, unde universalis tandem supervenit epilepsia, totius nimirum corporis.

Has

Has ergò & similes passiones nervosarum sensibilium fibrarum, quocunq; in loco irritationem consequentes, unde melius deduci possunt, quàm ex suprà & infrà sæpius insinuato & insinuando acido, per se nervis inimicissimo? multò magis verò in tenellis Infantibus, quorum fibrarum nervearum mollior textura facilè mobilis, & ita in convulsivos motus flexibilis existit. Hinc quæ propiores sunt partes fontis vitiosi acidi, stomacho nempe & intestinis, aut ijsdem mediantibus nervis connectuntur, etiam frequentius patiuntur convulsivos motus seu spasmos, qui ulterius in tantùm continuati, donec totum nervorum systema in cerebri & cerebelli confinijs concutiant, universalem tandem epilepsiam, superveniente spirituum impetu inferant: sicuti in adultis subindè in membro quodam externo locus latet epilepticus, qui per continuatos spasmos, sub apparente auræ frigidæ sensu, sursum delatus ad cerebrum, tandem universum microcosmum concutit: Tale exemplum quondam in hac cathedra protulit piæ memoriæ Perillustris & Famosissimus Professorum Professor Franchimont, de quodam Cive Pragensi, qui ex abscessu in pollice pedis se per exiguum tuberculum monstrante, aurâ quâdam rigidâ permeante ad cerebrum, in motus epilepticos incidit, eô verò apertô omnis convulsio cessavit. Itâ pariter ex acido imprimis viscido, in abdomine hærente, tàm spasmi leviores interni, quàm epilepticus totius corpusculi insultus oriuntur; optimè ob id per alcalia volatilia (experientiâ teste) curabiles: adeò ut rarissima sit epilepsia, cujus focus acidus non in abdomine lateat, aut ex abdomine non derivetur, exceptô dentitionis negotiô, itâ tamen, ut citra halitum aut fumorum impossibilium ascensum, malum dictô modô explicari queat. Hinc fit, quòd melancholici facilè fiant epileptici, humor enim ille acidus naturam vitrioli habet, imò successu temporis venenum ☿rij & ⊕li induit, & tales vapores noxios & lethales ad caput transmittit.

Hic occasionaliter reticendum non est; quòd in hoc casu oporteat confugere ad principia Hermetica, si occultas illas qualitates Veterum Chymicis tantopere exosas declinare velimus.

Willis *causas* hujus affectûs *procatbarcticas* & evidentes ad *membrorum imbecillitatem & viscosâ humiditale scatentium* deducit, cerebrum enim in illis minus firmum; atque nervorum tonus valde laxus, ut leviores cujusvis materiæ impetus vix sustinere possint, quin spirituum affluxu copiosiore, & tantillo robori impari, facilè in motus irregulares, sive spasmos incitentur. *Internam causam* statuit *sanguinis impuritates*, à talibus causis evidentibus in effervescentiam & irritationem solito majorem concitatas, ad quod plurimum etiam præstat aëris in frigore & calore excessus, & ejusdem mutationes lunaticæ.

Circa duo potissimum tempora Pueri convulsionibus maximè obnoxij reperiuntur, scilicet intrà primum à partu mensem, & circa dentium eruptionem, licèt alia tempora etiam non excludant.

Dicunt vulgò Authores, quòd *à lacte corrupto* in ventriculo hic affectus potissimum oriatur; ubi tamen nota, hoc & facere aliquando lac dulce, quod præsertim à vaccis redditur paulò post partum, quod facillimè corrumpitur & acescit. Idem tenemus de *saccbarinis*, quæ mel in ore & fel in corde sunt.

Epilepsia Infantum plerumque sympathica est, & fomitem habet vel in ventriculo, vel intestinis; in quibus suprà dictum acidum fermentativum suâ acrimoniâ ventriculi fibras rodit, vellicat, & tandem spiritus aggrediens, impetuosius irruunt, & ut diximus totam tenellam machinam concutiunt; cui acido accedit saburra viscida & bilis in intestinis, quæ cum acido effervescendo idem præstat.

Curatio Epilepsiæ Puerorum, potissimum in sequentibus consistit. *Primo* ut sex rerum non naturalium exacta habeatur ratio in Nutrice & infante, præsertim vero cibi & potûs: vitanda ea,

quæ

quæ facilè corrumpunt & coagulant; & eligenda, quæ sunt boni ſucci & facilis digeſtionis: vitanda igitur lacticinia, pultes ex lacte; & lac Nutricis vitioſum; danda potius *pulmenta ex juſculis cum pane cocta*; remotâ pinguedine & ſale: *potus* ſit *aqua hordei cum ſem. aniſi & liquiritiâ*, *raſurâ eboris &c.*

Nutrix, ut ſuperiùs jam inculcavimus, exactam obſervet diætam.

In paroxyſmo ipſo generaliter valent *ſuffumigia* ex *ruta*, vel *galbano*, vel *aſa fœtida*; vel *frictiones* partium, maximè *nuchæ*; *apertio manuum*, *odor aq. hirund. &c.* Extra paroxyſmum verò Paulus de Sorbait omni manè exhibet ℈ß vel ℈j. ſequentis *Electuarij.*

℞. *Pulv. ſem. pœon,*
carth. min. ana ʒij.
N. M.
mithridat. ana ʒij.
mell. opt. deſpum.
vel *Syr. de beton. parum.*

M. F. Electuarium, quò exhibitò ſtatim Infans applicetur mammillis, ut id cum lacte deglutiat, deinde ſupra commiſſuram capitis inſperge parum ſequentis Pulveris:

℞. *Granor. pœon.* ℈jv.
N. M.
cardamom.
caryoph. ana ℈j.
roſar. rubr.
corall. rubr.
myrtillor. ana ʒj.

M. F. Pulvis, qui tertio quoque die renovetur, ſupra caput inſpergendo.

Sequenti *linimento* ſpina dorſi infantis inungatur. ℞. *Ol. rut. lumbr, ana* ʒiß. *ol. caſtor* ℈ij. M. F. Linimentum. Commen-

dat etiam *unicornu fossile ad* ℈j. plus minus exhibitum: Infallibile remedium asserit, si *rad. imperatoriæ rec.* dissecta pollicibus tàm manuum quàm pedum alligetur. Si verò ventriculus multum laboret, laudat *chyllam Theophrasti*, seu ⊕*lum alb. à gr. j. ad ij.* si verò decennis sit ad ℈j. exhibitum, nam susque deque materiam movet. Unzerus laudat *gut. iij. vel iv. fellis catelli* adhuc sugentis, pro fœmina fœmellæ, pro puero catelli. Hœfferus *in suo Hercule Med.* expertum habet usum *cran. human.* in puero: purgabat illum prius *Pulv. jalap. à* ℈ß. *ad* ℈j. cum *fol.* ⊙*ri* & aliquot gutt. *ol. cran. human.* exhibito: collo appendebat nodulum ex *rad. & sem. pœon.* temporibus illinebat *ol. cran. human.* mixt. cum *ol. rut.* intus etiam exhibebat idem *ol. cran. human. Potus* erat *decoct. C. C.* in quo *aurum* aliquoties exstinguebatur, cui pro majori efficacia addi potest *rad. valerian. sylvestr.* quæ, teste Columnâ, experta est: vel loco hujus, *lignum visci quercini.*

Si à lacte corrupto vel acido procedat, convenit *lenis vomitus*, qui optimè excitatur in Infantibus *ol. amygd. dulc. rec. expresso.* Nobile etiam remedium est *sulphur* ♁*ij rit. ppt. gr. j.* quod euporiston est & præservativum, mineram morbi auspicato vomitu exturbans, etiam iteratò datum, tunc enim etiam sudorem movet. Riverius infantem epilepticum restituit *fumô tabaci*, quem minister tubulô attrahebat & sufflabat in os pueri apertum; vomitu concitato paroxysmus solutus est. Idem River. in observ. communicatis *obs.* 11. *fol.* 677. plures infantes vomitu ab affectibus soporosis & convulsionibus fuisse liberatos testatur, exhibendo vel *vitriolum alb.* seu *Gyllam Theophr.* in jusculo vel *aq. bened. Rulandi*, vel *succum cepæ*, vel *ol. commun.* cochlear. j. Possunt etiam injici *Enemata ex sero lact. & melle*, aut similes: vel applicari *Suppositoria ex rad. petrosel. ex frusto betæ rubræ*, vel *candelæ*, vel *sapone.*

Si à variolis ortum habeat, eligenda sunt epileptica, quæ simul expellunt, v. g. *Specific. cephal. Tinctura bezoart. Pulv.*

March,

Marcb.Pannonic. rub. correct. &c. *Noduli* etiam ad præservationem fiant *ex rasur. C. C. rad. scorzoner. rad. & sem. pœon* &c.

Si à cerebro prodeat, prodest *Magist. alcis, Tinctura smaragdi, pulv. Marcb. specif. cepbal. rasura cran. buman.* & ex eo præparata: *flores pœon. filicis, sem. pœon. viscus quercin.* &c.

Si à vermibus, misceantur epileptica cum ijs, quæ contra vermes sunt, quæ videri possunt suô locô.

Si à dentitione, videatur *cap.* proprium de dentitione.

His universalibus præmissis, & potissimum ijs, quæ humorem peregrinum, musculos, nervos, & totum corpus replentem & vellicantem evacuant, revellunt, attenuant, & liquant, observatâque bonâ diætâ, demum ad illa veniendum, quæ edulcorant, absorbent, præcipitant, omnemque acrimoniam tollunt, & tandem specificâ qualitate & virtute subveniunt. Ad hæc valent.

Aquæ, si præter jam dictas (superius) *apoplect. carminat. cerasor. nigr. flor. tiliæ, epilept. Langij. hirund. simpl. & composit lilior. convall. epilept. puerorum* &c.

Balnea artificialia *ex varijs simpl. regni vegetabilis, mineralis & animalis desumpta.*

Balsamus *apolect. cephal.* ♀*ris. spasmodicus. embryon. majoran. rut. salviæ, succini.*

Conservæ *beton. buglos. majoran. pœon. primul. veris, rorismarin. salviæ, nuc. Indic. condit.*

Decoctum *lignorum temperatum C. C. flor. tiliæ. visci quercin.* Cucuphæ *ex specificis.* Elixir *propriet. c. vel sin. acido.* Essentia *lignor. castor. mixtur. simpl.* Tinct. *corall. lunæ, balsam. cœlest. seu spirit. sang. bumani.* Emplastrum *nervin. cepbal. oxycroceum.* Extractum *castor. lign. aloes, croci* &c.

Fæcula *pœon.* Magist. *corall. cran. buman. byacintbi, perlar ungul. alcis,* Pulv. *epilept. Michaël. Marcb. lap. bezoar. Linguæ viperinæ fossiles Melitenses, unicornu fossile, marinum, specif. cepbal. Michaël. C. C.* omnia *cinnabarina* exaltata *laud. opiato,*

vel

vel *theriaca cœlesti*, vel *pulv. anodyno*, vel hæc *opiata* juncta *præcipitantibus* v. g. *conchis*, *matri perlar.* ♁nio *diaphoret. oculis* ♋. *C. C.* &c. quæ omnia acidum nervosas fibrillas vellicans & rodens, & spasmodicos motus excitans, imbibunt, & sic hoc malum abigunt.

Sequens *Pulv.* Dolæi est excellens.

℞. *Cinnab.* ℥ij.
cran. human. ppt.
ungul. alcis ppt. ana ʒß.
pulv. cordis & pulmonum talpæ ℈ij.
bezoard. ☽ris
smaragd. ana ℈j.
croc. ℈ß.
ambr. gr. ij.

M. *dosis* gr. aliquot pro ætatis ratione. *Pulvis* præservans & curans Sennerti.

℞. *Pulv. rad. pœon. maris decrescente* ☽. *collect.* ʒj.
sem. pœon.
visc. quercin.
ungul alcis
cran. human.
magist. corall.
succin. ppt. ana ℈j.
fol. ☉*ri N. viij. M.*

Pulvis Misloskianus Pragensis, alias Kinder Fraiß-Pulver dictus, celebris est, cujus hæc est descriptio.

℞. *Facul. rad. aron.* ʒiij.
corall. rubr.
spec. diapler. Archont.
C. C. usti ana ℈ß.

M. F. Pulvis.

Datur præservativè triduò ante novilunium, per tres dies modicum.

Riverius

Riverius pro secretissimo laudat *Pulv. rad. valerian.* cum *lacte* exhibit, quô plures juvit. Laudat etiam *Pulv. de gut teta* qui talis est.

℞. *Rad. pœon.*
sem. ejusd.
dictamni alb.
visc. quercin. ana ℥ß.
sem. atriplic. ʒij.
corall. rubr. ppt.
hyacinth ppt. ana ʒiß.
ungul. alcis ppt. ℥ß.
mosch. ℈ß.
fol. ☉*ri* ʒj.

M. F. *Pulv.* qui curat & præservat, si singulis interlunijs sumatur.

Locô hujus etiam valet *Pulv. epilept. niger*, qui est sequens.

℞. *Pulv. carbon. tiliæ* ℥j.
sem. rapar. ℥iß.
pœon. excort.
card. ben.
visc. quercin.
C. C. phil. ppt.
rad. pœon.
terr. sigillat. alb.
rubr.
myrrh. rubr. elect. ana ℥ß.
margar. ppt.
cornu alcis
croc. opt. ana ʒj.
fol. ☉*ri* *N. XXIV.*

M. F. Pulvis.

Olea *anethi, carvi, ceræ, costini, cumin. hyperici, irini, juniper, lavend. lauri. lumbr. Philosophor. pinguedo catellorum, rut. salviæ, spicæ, succini, terebinth. vulpinum.*

Sacculi ex *Sale torrefacto, milio & furfure.*

Spiritus *ceras. nigr. lilior. convall. tiliæ, urinæ, sal.* ✱*ci torrecti* vel *aromatizat. liquor C.C. simpl.* vel *succinat.*

Unguenta *Agrippæ, alth. nervin. Aregonis, Martiatum.*

Nota, hæc plurima quidem sunt & exquisita remedia, quibus ego & plures alij familiariter usi, & plurima illorum experti, quæ pletisque contulerunt, in aliquibus verò propter vim & resistentiam morbi parum profuerunt, præsertim Infantibus, quos in dentitione, variolis, & similibus affectionibus hoc malum comitatur.

Certâ experientiâ cognoverunt hactenus Practici, plurimum infantes epilepticos juvari *rad. pœon.* certo tempore collectâ, illa enim citra vehementem calefactionem aut notabilem acredinem magnis reserandi viribus pollet, & tenuitate partium ac vi odoris sui discutit venenatam materiam. Hæc radix in talcolas dissecta filo trajicitur, inque umbra siccatur, posteà in pulv. redacta exhibetur cum *aq. flor. pœon.* vel simili. Pendeat quoque hæc *radix* in potu Infantis, & *semina pœon.* ante ortum solis lecta & collecta, filo transfixa, collóque gestata non minus quàm radix epilepsiæ medentur, præsertim si ab externo nigro cortice liberata, & in pulv. vel emulsionem ducta exhibeantur.

Hic obiter bene notandum & animadvertendum est, quæ nimirum sit *ætas* laborantis. Nam Primò de Infantibus bene sperandum docet Hipp. secus autem de ijs, qui vigesimum quintum annum superarunt 5. *aph.* 7. 2. *aph.* 45. Secundò si Infantulus fuerit adhuc lactans, ad Nutricem præcipuum curationis studium verti decet: hæc utatur plurimâ *pœoniâ, beton. salviâ, borrag. fœniculo &c.* abstineat verò à *petroselino*, quod creditur, habere facultatem inducendi hunc morbum; experientia enim docet, ubi multùm vescuntur petroselino, ibi multi reperiuntur epileptici: par ratio est de *vino*, à quo penitùs abstineat. Sicut enim hoc adultorum capita ferit, ità & lac indè genitum pueri caput

put invadit. Idem demum dicendum, ut Nutrix coërceatur ab omnibus *acribus*, ab esu casei, lacticiniorum, cepatum, allij, raphani, leguminum, carnis suillæ & ovillæ, quæ epilepsiam causant. Utatur Nutris *cerevisiâ mediocri*, vel *aq. fæniculi*; si autem Puer grandior fuerit, plura supra dicta & adhuc dicenda adaptari & adhiberi possunt; cavendum tamen in genere, ne talis Infans epilepsiæ deditus nimio ignis vel caloris ardore feriatur, vel aëris frigori exponatur, vel nimio clamore irritetur.

Diximus superius, epilepsiam in Pueris ex lumbricis sæpe oriri; eam verò cognosces ex somno profundiori, dentium stridore inter dormiendum, oculorum hiatu, quasi adstantes intueri videantur, pruritu narium, apprehensu manuum supra ventriculum; præterea plerumque hæc epilepsia post lactationis tempus, & quidem ex immodico panis esu accidit; hi igitur quantocyus *purgandi* sunt *rhab. & absynthiô*, in *vino* aut *cerevisia* madentibus, quantum quidem ætas feret, adhibitis deinceps ijs, ut suprà diximus, quæ vermium curationi suo loco destinata sunt.

Apud Hipp. prædictâ *sect. 2. aph. 45.* tria sunt, quæ *Pueros ab epilepsia liberant*, scilicet, *mutatio loci*, *mutatio victûs*, & *mutatio ætatis.*

Multa adhuc prostant, quæ extra paroxysmum plurima præstant; sic *aqua florum. cheyri*, si cum *gr.* j. *camphoræ* præbeatur: tunc rarius, aut nunquàm, malum redire testantur multæ nostræ in Bohemia Matronæ. Certiùs nihil in hoc casu se observasse testatur Strobelbergerus, quàm *cranium hominis suspensi pptum* ℈j pondere cum *gr.* iij *lapid. bezoar* in *aq. pæon. tiliæ*, *picarum*, *ceras. nigr.* vel aliâ quâvis *epilepticâ* exhibitum. Prostat etiam vulgò in officinis *Pulv. Marchi.* seu *epilepticus* dictus, cui plurimas laudes tribuunt Authores, utpote quem quotidie ferè salutariter præscribunt ℈j aut ʒß pondere, in aquis

convenientibus, aut alio quovis modo; quin etiam in ipsa pulticula exhibent, cujus talis est descriptio.

℞. *Rad. pœon. maris* ʒß
visc. quercin.
rasur. ebor.
ungul. alcis
spodii
unicornu
C. C.
corall. rubr.
alb.
margar. ppt. ana ʒj
fol. ☉*ri Num.* xx.

M. F. Pulvis pro usu.

Maximarum virium habetur *Specificum Cephalicum D. Michaelis*, quod sic se habet:

℞. *Cinnab. nativ. Armen.*
per ♌ vel sexies; vel
ultra *rectificat.*
Cinnab. ♁*ii toties rectif.* ʒiij
fœcul. rad. pœon. ʒjß
magist. epilept. ʒß
cordial. ʒij
Fol. ☉*ri N.* 1.

M. F. Specificum Cephalicum.

Magisterium Epilepticum autem est sequens:

℞. *Magist. ungul. alcis*
cran. human.
cornu alcis
C. C. ana ʒß
smaragd. ʒj
succin. ʒj
unicorn. ver. ʒij M.

Magisterium Cordiale hoc est: ℞. *Marg.*

℞. *Margar. orient. ppt.* ℥ß
corall. rubr.
lapid. percar. ana ℥j
rasur. ebor.
C C. ana ʒvj

Pulverisata cum dicto menstruo solve, & *Spir. Vitriol.* 🜍 tandem edulcora.

Pro majori notitia & facilitate Tyronum, adjungam quasdam formulas, in praxi hodierna usitatas:

℞. *Specif. cephal. Michael.*
vel *Magist. epilept. Ejusdem* ʒj
bezoard. ☉*ris* ℈j M. *Dos.* cuspis cultrl.

vel ℞. *Tinct. pœon.*
Spir. Vitriol. epilept. ana ʒß M.

Dosis, gtt. v. x. xv. & xx. pro ætatis ratione, in vehiculo competente: vel

℞. 🜄 *flor. til.*
ceras. nigr.
pœon. ana ℥j
epilept. Lang ℥ß
specif. cephal. Michael.
magist. cran. human.
smaragd. ppt.
crystall. ppt. ana ℈j
edulcoretur *man. χsti perlat:*
vel *syrup. flor. pœon.*
M. Detur cochleatim: vel *Rotulas* ad potum.

℞. *Flor. pœon.*
tiliæ ana Piij
rad. pœon. ʒiij
aristoloch. rot. ʒjß

rasur. cran. human.
ungul. alcis ana ℨj
visc. quercin. ℨij
M. f. l. a, Nodulus,

Sunt prætereà nonnulla, quæ passim ab Authoribus plurimùm laudantur, præprimis *Pulv. hirund.* unà cum *nido* calcinatar. *Ossa de corde cervi, cor & hepar pullorum corvi, pulvis secundinæ primiparæ*, qui expertus dicitur, *bezoart. solare & lunare, cran. human. hominis* violentâ morte interempti, *Pulv. lumbr. terrestr. exsiccatus, Pulv. cinerum talpæ, Aurum fulminans, Nitrum, pulv. farinæ licopodii*, id est, farina musco terrestri clavato insidens; vel *pulv. farinæ* in julis *coryli* in verè reperibilis, qui pulveres facilè flammam concipiunt, & instar pulv. pyrii strepitum edunt, quia sunt sulphureæ naturæ; dantur *ad* ℈ß, & expertus habetur hic pulvis ab Ettmüllero & Dolæo. *Spiritus flor. tiliæ, cerasor. nigr. flor. pœon. flor. lilior. convall. flor. stœchad.* &c. omnia *castoreata*, quæ acid. domitores dicuntur, *unicornu marin. & fossil. lapis bezoart.* & omnia hæc similia acidum absorbent, malum minuunt, imò sæpè etiam solvunt.

Instar omnium autem, teste experientiâ, in quacunque epilepsia, & à quacunque causa, originem traxerit, est Liquor C.C. succinat. Et licèt eandem dentitionis difficultas excitârit, suo tamen officio optimè satisfacit; cujus descriptio videri potest in Clavi Schröd. Hoffmanni.

Mercatus in præservatione & reliquiarum absumptione, experimento fidissimo sibi habet expertum *mel decoct. & despumat.* cum modico *fœniculi* & *ol. amygd. dulc. rec. expresso*, quo utitur ter vel quater in die ex parvo cochleari, vel cuspide cultri.

Hercules Saxonia *catellum purum nigrum* adhuc sugentem (inquit Stragula) & corpus mox aperi, extraho totam cystim felleam vix tres aut quatuor guttulas bilis in se habentem, hunc succum

ſuccum omnem Puero in paroxyſmo exhibe, cum pauca *aq flor. tiliæ*, miraculoſum videbis effectum.

Maroldus ſequenti pulvere innumeros curavit.

℞. *Ungul. alcis*
limatur. ☉ri *Ungar.*
viſc. quercin.
corylin.
betulin.
pyri ana ℥ß
gran. pœon. Num. x
ſpinæ muſtelæ piſcis ℥j
corall.
perlar.
aëtitis
oſſicul. capit. percar. ana ʒij

M. F. *Pulv. dos.* in *aq. flor tiliæ*, infanti ʒß, Puero ʒj, ſenioribus ʒij.

Willis ſuadet, ut etiam Nutrici antiſpaſmodica quotidie exhibeantur: ſumat manè & veſperi hauſtum *ſeri lact.* cui *rad. & ſem. pœon. maris*, & *ſemin. fœnicul. dulc.* incocta ſint.

Pauperum natis exhibeatur *Pulv. rad. valerian. ſylveſtr.* ℈ß *ad* ℈j bis in die in cocleari *lactis*, vel in alio liquore.

Quoties affectionis cauſa in viſceribus ſubeſt, & lumbrici aut acres humores hoc vitium excitant, ſuadet ☿rium *dulc.* cum *rhab.* vel *reſin. jalapp.*

Stercus de vacca nigra adhuc calidum indatur ollæ novæ, & calcinetur, detur ℈j vel ʒß Infanti recenter nato; eſt ſecretum Elector. Saxoniæ.

Mulieres Bohemicæ poſt paroxyſmum, in *aq. flor. cheyri*, *camphoræ gr.* j. præbent: raro aut nunquam epilepſiâ corripiuntur.

Inter Externa multa adhuc ſunt, quæ hic pro uſu inſeri poſſunt & debent. Sequens *Clyſter* multum laudatur.

℞. *Flor.*

℞. *Flor. tiliæ*
lil. conval. ana ℞iij
rad. pœon.
aristoloch. rot. ana ʒij
agaric. trochiscat.
fol. sen. s. st. in petia ligat. ana ʒj
coq. in ▽ ℞. Colat. ℥ij vel iij vel plures pro ætatis ratione, in his dissolve
elect. hier. picr. ʒj. ij. iij *plus minus*
extract. castor. gr. ij *vel* iij.
F. Clyster.

Ceratum pro prægmate usuale q. s. malaxetur *ol. succin. & rut.* & extend. in aluta syndone subduct. pro capite.

Balsamum. ℞. *balsam. succin. rut. ana* ʒß *axung. castor.* ℈j. Misce.

Emplastr. magistrale. ℞. *succin. alb. mastich. ana* ʒjß *galban. opopan. ana* ℈ß *visci querc.* ʒij *ambr. gr.* vj. *moschi gr.* iv. *sem. pœon.* ʒß *ladani* ʒiß *ol. nucist. q. s.* M. F. Emplastr. extend. in aluta in forma consueta. *Theriaca*, additô *ol. succini, ambrâ & moscho*, etiam applicatur.

Emplastr. epilept. Craton. vel *Mynf.* vel loco horum sequens;

℞. *Emplast. de betonic.* ℥j
bals. de Peru. ʒß
ol. cran. human.
C. C.
♀ri fœtid.
⊖ *volat. C. C.*
succin. ana ℈ß
M. F. Emplastrum, malaxetur & applicetur.

Suffitus fiant ex *thure, mastiche, ambrâ, succinô.* Nares illinan-

linantur *theriacâ, ol. ſuccini, ol. cran. human. ol. rut.* iiſdem naribus objiciatur *Spirit. ſal. armon.* odorandus: vel *Spirit. fuligin.* Cordis ſcrobiculo inungatur *balſamus ſuccini*: eſt expertus.

Amuleta: *Amuletum Hartmanni de ſambuco, ſmaragdo, ſalice*, de collo ſuſpenſum: item *rad. pœon.* juſto tempore collect. & de collo ſuſpenſa. Item *dens lupi, corallia, annulus* de catena patibuli, carbo ſub *artbemiſia* die S. Joannis inventus, *ungula alcis.*

CAPUT XXV.

De Dentitione Puerorum.

PUerorum ora valde excruciat ex dentibus dolor, cùm è vagina velut prorumpere, & ruptis gingivis prodire appetunt dentes. Definitur: *dentitio eſt dolor ſeu continui ſolutio gingivarum, à denticulis cuſpidatis jam genitis & erumpentibus perforatione facta.* Et ut clarius rem explicem; dentitio nihil aliud eſt, præterquàm gingivarum à dente accreſcente perforandarum dolor urgens, ſimilis illi, dum acido morboſo gingivæ in dentium radicibus punguntur & quaſi perforantur: ſed cùm ſenſilis gingivarum ex interſperſis varijs nervulis ſubſtantia cum partibus vicinis inſignem conſenſum habere ſoleat, id quod ex odontalgia adultorum ſubinde dimidiam capitis ſphæram per conſenſum afficiente, interdum muſculi temporalis aliquem ſpaſmum inferente, notiſſimum eſt, indè facilè evenit, ut ſub atrocioribus doloribus tandem univerſum ferè nervorum ſyſtema vellicetur, & mox (ut de epilepſia diximus) convulſiones epilepticæ ſuperveniant, idque eò promptiùs, quò vel per ſe, vel in ſe ipſo nervorum ſyſtema Infantum tenerius & mobilius exſtiterit, vel ipſum ex perverſa diæta Matris vel Nutricis, acidis abutentibus (ùt ſuprà dictum (in primis ſuis ſtaminibus debilius,

lius, & irritabilius redditum, vel ex lympha vitiosa commota hinc indè irritatum fuerit.

Indicia probabilia dentitionis potissima sunt sequentia: *mensis* ætatis *septimus* & *octavus*: *Salivatio multa & copiosa.* Cùm enim ex dolore gingivarum vicina glandularum præprimis salivalium vasa, & illas integentes membranæ simul vellicari soleant, hoc ipsô uberior salivæ in os effusio, indéque effluxus, quem vulgò vocant das Saysern / ordinariò comitari, interdum aliquandiù præcedere dentitionem molestiorem solet; quæ lympha si & ipsa minùs temperata, sed salso-acida plus minus fuerit, præter *rosionem faucium* & laryngis, indéque excitatam tussim subindè siccam & inanem; ad stomachum verò copiosior delata anorexias, aut apepsias, interdum vomitum cum tussi ferina; aut certè in intestinis diarrhæam plus minus serosam excitabit, vel nervosum genus hinc indè vellicandô ad epilepsiam disponet. Hæc symptomata tanquam communissima alia adhuc plura vel concomitantur vel subsequuntur, uti sunt vigiliæ, inquietudines, fletus insuetus & ejulatus, genarum rubor & calor, gingivarum tumor & pruritus, insolitus oris ardor, febris seu æstus febrilis, pavores in somno, morsus papillarum Nutricis, digitorum in os frequens impositio, &c.

Quòd aliqui Infantes nascantur cum dentibus, est rarum exemplum.

Dentitio est malum laboriosum, & ob occurrentia tot & tanta symptomata sæpiùs lethale. Macilentis tamen minùs periculi adfert, quàm obesis. Pariter sentiendum est, quibus citiùs vel tardiùs præter naturæ tempus & ordinem prodeunt; ordinariè enim, ùt diximus, septimô vel octavô mense prodeunt, alijs verò, sed minùs ordinatè, vel tertiô vel quartô; alijs nono vel etiam duodecimo mense, seu anno integro & ultrà erumpere solent. Ijs, quibus sine molestia prodeunt, periculô vacant, secus autem, quibus concomitantibus symptomatibus.

Curatio dentitionis consistit in hoc: *primò* ut dentium exitus

exitus ocyus promoveatur, *secundò* ut obstacula retardentia removeantur, *tertiò* symptomata urgentia mitigentur, *quartò* si alvus sit adstricta, modicè relaxetur, vel clystere vel quocunque alio lenissimo remedio; purgare enim non expedit, *quintò* Nutrix optimam diætam servet, & ab omnibus nocivis caveat. Ab hac ipsissima indicatione ultimâ faciendum est curæ principium, unde ut rectè auxilium feras, Nutricem, quasi ipsa febricitaret, curabis. Infantibus autem actu *frigida non* temerè admovebis, ut quæ gingivis constrictis, mox prodituris dentibus veluti remoram injiciunt: & ex hac ratione *non* probo *crystallum, jaspidem, chalybem, aurum, argentum, ebur, dentem lupi*, & alia multa talia dura instrumenta de collo suspensa, Infantibus in os poni & per gingivas trahi; licèt enim his calor oris mitigetur, tamen alveoli dentium potiùs occluduntur ac obturantur, unde fit, ut densior ac durior facta gingiva, internecionis cruciatus interdum afferat, dum à dentibus pertunditur.

Satiùs ergò & meliùs *lenientia* & *emollientia* adhibentur, quæ scilicet gingivarum laxam carnem magis ac magis relaxant, & dolorem mitigant. Itaque Nutrix *oleo amygd. dulc. butyro rec. melle, sacchbaro, mucilagine, sem. althææ* seu *bismalvæ* in *aq. parietar.* vel *chamomill.* extract. inunctos digitos puerilibus gingivis crebrò affricabit. Vel loco horum serviet etiam *frustum lardi rec. non saliti, ficus recentes* in medio scissæ, *sanguis* adhuc calens *ex crysta galli, adeps anatis, anseris, gallinar. lac caninum, caprin. vitellum ovi, Balsamum puerorum dentientium Myns.* vel *Horstii, Linimentum ad dentitionem Timæi: mel apum* illitum, *mucilago ex sem. lini, psyllij,* vel *cydon.* &c. *succus è cancris vivis* contusis per se, vel cum *aq. flor. cyani* mixtum, *mel cum butyro* mixtum, *vitellum ovi cum butyro, mel rosat. medulla ossium vituli, hædi, arietis*, vel sequens Litus.

℞. *Sacch. & butyri insulsi, succi althææ ana* ℥ß *vitell. ovi dimidium*, M. Sed in pinguium & laxantium genere id obser-

vatum velim, ut moderatio adsit & cautela, nè ea facilè ab Infantibus devorentur, indè ventrem nimis moveant, fastidiúmque pariant.

Quibusdam, imô toti penè orbi, abusiva quadam consuetudine in usu est *crepundium*, cui insertus est *dens lupinus*, vel *dens viperæ*, aut alia suprà jam memorata duriora instrumenta; cui malæ consuetudini ut rationabiles suppetias feramus, mihi magìs placet *loco talium* duriorum rerum *glycyrrbizæ rasæ*, vel *rad. altbææ*, vel *irid. florent.* vel *chelidon. maj.* vel *lapatbi acuti* &c. *baculus*, syrupo convenienti illitus, ori, gingivísque crebro affrictu admotus.

Sunt præter hæc omnia adhuc quædam *amuleta* seu remedia, quæ vi peculiari in hoc affectu laudantur, quorum quædam satis fortia & generosa habentur, non nisi cum cautela & circumspectione adhibenda. A proprietate quadam laudatur speciale amuletum, *dens primus*, qui alicui *Infanti* excidit, si terram non attingat, Infanti dentienti alligatus: peculiari etiam vi *dens hominis mortui*, *dens equi primùm natus*, *pellis lupi*, *lana agnina*, convenire dicitur, quæ omnia tamen mihi magìs fabulosa, quàm realia videntur. Fortiora aperientia & extrahentia ab experientia videntur *cerebrum leporis*, *agni*, *arietis*, *cuniculi*, *gallinæ*, *pullorum*, item *adeps leporis*, si ijsdem gingivas perfrixeris.

Extrinsecùs apponitur *cataplasma* ex *farina bord. lacte*, *ol. rosato*, & *vitellis ovorum*; aut *fomentum* ex *decocto malvarum*, *violariæ*, *lactucæ*. Bohemicæ Mulieres vel solo utuntur *butyro rec.* quô puerorum genas manè seróque inungunt, credentes, facillimè hoc modo absolvi dentitionem. Nonnullis hoc usui est. ℞. *axung. lepor. mell. ana* ℥j adde *fibras ceparum* minutim dissectas cum aliqua parte *farinæ avenaceæ*: fac Linimentum, sub auribus inungendum. Verùm non raró fit, ut ejusmodi omnia remedia propter gingivarum ex duritie contumaciam, aut naturæ puerilis infirmitatem nihil proficiant.

Itaque

Itaque in tali casu *Ambros. Paræus*, sedulus olim Galliæ Chirurgus, scalpellô gingivas, quà se tumore produnt dentes, aperit, cujus rei probam secundo & optato successu fecit ipse in aliquot suis proprijs liberis, ut fatetur *lib.* 23. *cap.* 67. Sic & ipse in praxi sæpius observavi, plures Infantes præmatura morte exstinctos, mortis autem causam cùm anxiè inquirerem, non aliam inveni, quàm gingivarum ex duritie contumaciam majorem, quàm quæ ætati illi conveniret: sic enim prorumpere, & viam sibi moliri dentes ipsi per se non potuerant; cujus rei multa exstitêre argumenta, quòd rescissis post mortem scalpellô gingivis, dentes omnes velut in procinctu & cum admiratione ad egressum apparuerint, cujus occasione dolui sæpius, me hoc auxilium in vivis non adhibuisse.

Hoc in affectu sæpius ob copiam lymphæ ad has solùm partes emanantis *fonticulos* nuchæ applicandos suadet Dolæus, quibus convulsionis furiæ præoccupantur. Idem præstant *vesicatoria* vel *hirudines*, quatenus serum acre, motuum convulsivorum authorem, evacuant.

Cæterùm superest, ut Medicinæ Studiosi moneantur, esse nempe Odontophniam, seu dentitionem quandam notham, spuriam, falsam, ac mentientem, quam Mulieres nostræ vulgari sermone die Büll/ quasi Bayl-Zähne appellant, quæ nihil aliud est, quàm tumores quidam in gingivarum posteriori parte, quâ dentes enasci deberent, in acumen protuberantes, Puerum à lactis suctu & tractu impedientes, & suctum sonorum ac sibilosum (Sie schmatzen gar lauth) efficientes, cujus rei certitudinem sic observabis: si nimirum in posticam ad aures partem digitô compresseris, ejulatum edet ob dolorem, quem tunc percipit vehementissimum. Hoc malum sæpe non caret periculo, habétque hoc unicum certum & expertum remedium, mox *antè dictum Linimentum*, vel si aurium tota externa regio, præsertim postica ejus pars, *axungiâ leporis recenti* frequenter perungatur, & gingivæ protuberantes *ol. amygd. dulc.* sæpius demulceantur.

CAPUT XXVI.

De Fileto ſub lingua, ſeu ligatione linguæ in Puerulis vulgò Zungen löſen.

F*Iletum* ſub lingua nil aliud eſt, quàm vinculum nervoſum & fibroſum, linguam cum inferiori mandibula arctiùs vinciens & alligans, unde linguæ moleſta gravitas, locutionísque impeditio ſequitur, quin & ſugendi lactis impotentia quædam, quam Nutrices ex impedito ſugendi conatu in Puerulis facilè animadvertere, parentesque maturè hac de re admonere poſſunt: vocatur etiam aliis *frænum*, *filum*, *vinculum*, *funiculus*, *ligamentum*, *ligula* &c.

Curatio. Ligamentum hoc forcipe, non unguibus, vel nummi alicujus acie (ut quidam ſuadent, & obſtetrices benè exercitatæ idipſum expeditè faciunt) abſcindendum, poſteà *ſtyptica* ori adhibenda, qualia ſunt *aqua burs. paſtor. centinodij*, *equiſeti*, *plantag.* *Syrupus corall. de roſis ſiccis*, *plantag. myrtin.* & nè tam citò & facilè denuò coëat, ſequenti *linimento* inungenda pars. ℞. *Farin. hord.* ℥ß. cum *melle deſpumat. q. ſ.* Coq. lento igne, ut omnis humiditas exhalet, & in pulverem redigi poſſit; poſteà ℞. *vitell. ovi* ad duritiem coct. in furno exſiccat. & in pulv. redact. ʒj. *pulv. thuris*, *maſtich. ana* ℈j. *alumin. uſt. gr.* vj. Pulveriſentur omnia & cum *melle roſ.* fiat Linimentum. Hæc & ſimilia toties & tàm diu facienda, donec lingua à ſuo retinaculo penitus ſolvatur. Nec verò forcipem ignire oportet, ùt nonnullis ex inani metu hæmorrhagiæ viſum eſt; nam nullo vitæ periculo ſciſſuram peragi, ſæpiſſimè in praxi vidi & exercui, ejúsque ſecuritatem c nfi mant paſſim Practici, & in ſpecie antiquus ille Faleſcus de Taranta *lib.* 2. *cap.* 64. Cæterùm ſi Pueri ex alia quavis causâ difficulter aut tardiùs

diùs aut nunquàm loquantur, usu frequenti adhibeant *aquam serpilli simpl.* vel *aq. bened. serpilli Myns.*

CAPUT XXVII.

De Ranula sub lingua, seu Batracho, seu Ranunculo, vulgò die Krot/ Fresch/ oder Schwam unter der Zungen.

SUb lingua Puerulorum lactationis præsertim tempore fit non raro quædam excrescentia, similis glandulæ aut caruncula, quæ interdum ultra dentes attollitur, impediens linguam in suis operationibus.

Causa ejus est *lympha* seu *saliva viscosa*, crassa & cruda, vel in suis proprijs, vel etiam sanguiferis vasis quantitate & qualitate mox dictâ peccans.

Cura. Tangatur hic tumor sæpe cum plumą ex *aq. Plata* madens, aut utere *diamoro*: si hæc autem frustra adhibeantur, aperiatur scalpello utrinque in dextra & sinistra parte, quò humor albumini ovorum plerumque similis exeat. Colluatur deinde *os poscâ*, cum exiguo *sale*, vel cum *vino* decoctionis *mastich. thuris. myrrh.* in adultioribus; si necessitas urgeat, pertunditur infrà mentum, præmisso tamen usu *emollientium*, *ut cataplasmate* ex *cepis*, *passulis*, in vino dulci coctis, *radices* quoque *althææ* ad pultem coctæ & rasæ, additis *passulis*, linguæ subdantur. Nonnulli hoc utuntur pulvere, qui aliqualiter fortiùs agit, & non nisi in adultioribus locum habet:

℞. *Pyrethr.*
Zinzib. ana ℥iij
sal. armon.
gem. ana ℥ß
origan.
calamenth.

rad.

rad. ireos
hermodactyl.
mastich. ana ℥j

M.F. *Pulv.* cum quo fricetur ranula; vel cum *album. ovor.* incorporetur & cum petia imponatur: prolectam indè pituitam exspuat æger: valet etiam *Pulvis contra ranulam Barbette.* Item *decoct. agrimon. veron. balaust. myrh. hord. ligustr. rosar.* cum *aq.* vel *vino styptico, mell. rosat. syrup. de rosis siccis.*

Si autem cancrosa, nigra scilicet, fusca, ac dura, melius est, illam relinquere, quàm cum ignominia curare, præsertim si sequenti artificio & remedio refragetur malum. Fricetur nempe ranula illa fortiter cum *sale*, colluto deinceps ore ex *decocto calido rad. tormentill.* & *serpentar.* aliquoties: frictionem posteà reitera cum *pulv. rad. serpentar. alumin.* & *virid. æris*: ubi ruptum sit, hoc artificio tuberculum, guttam *ol. caryophyll.* instilla, hac enim arte ulcus sanabitur & evanescet tumor: sub mento *Emplastr.* appone *ex stercore anserino* & *melle* ana part. æq. in *vino* ad consumptionem ipsius coctis.

CAPUT XXVIII.

De Labio leporino, vulgò die Haasen-Scharten.

LAbium leporinum est vitium in utero Matris labijs Infantis impressum, estque solutio continuitatis in labio plerumque superiore, facta vel à facultate imaginatrice Matris, vel ab errore facultatis formatricis, seu, ùt alij volunt, ideæ.

Curatio indicat solutæ unitatis reunitionem, quæ si exigua est, sola consuitione curari potest hoc modo: priùs labia scalpello vel cultello aut lancettâ internè versùs gingivas separantur, & in ea parte, in qua extrema uniri debent, cutis aufertur: hoc facto tribus tenuibus aciculis, suis filis instructis, extremitates

tates contrahuntur, & postmodùm imponitur *Empl. stypt. Crollij*, cum *Empl. sperm. ranar.* mixtum: intra gingivas impone quotidie petiam intinctam *Oleo rosato albumine ovi* agitato, & tandem *incarnantibus* & *ciccatrisantibus* ac *balsamicis* vulnus claudatur. Si autem majus sit Labium leporinū majorem requirit manûs operam, de qua vid. Paræum, Scultet. Fuhrmann, & plures alios.

Alij sunt qui solis *Empl. glutinantibus* hoc munus præstant, Alij demum qui sequens *Unguentum* recommendant.

℞. *Ol. olivar.*
picis vulgar.
axung. canis
taxi
ursi ana ℔j

Colliquescant optime ad ignem lentum, in quibus, posteaquam modicum refrixerint, solv.

pulv. mastich.
oliban.
galban. ana ℥j

F. l. a. Unguentum; quod cicatricibus istis cum linteolis, superimponito ter in die, idque sine cunctatione peragendum primis post partum diebus, nè malum ingravescat & reunitioni obicem ponat.

CAPUT XXIX.

De Rhagadibus, seu Fissuris, Rimis, Scissuris labiorum

Fissura est continuitatis labiorum à nimia siccitate & tensione orta solutio, ab humoribus acribus, salsis & biliosis, à fervore viscerum, lacte corrupto & acri, frigore, coryzâ, &c. proveniens.

Curatio præmissis universalibus & habitâ causarum internarum consideratione, externis plerumque instituitur & absolvitur: inter quæ valent *adeps* & *medulla vituli*, *anatis*, *anseris*, *gallinæ*, cum *melle* vel cum *ol. rosato*, *violato vel butyro*

rec. amylo, *cerussâ* &c. mixta. *Cremor lact.* cum *pingued. juscu-li*, *lithargyr. mastix*, *thus*, *in aq. rosar. vel album. ovor.* soluta & impastata, *mucilago ex gummi Arab. semine cydon. psyll. tragacanth. ol. ceræ*, *ovor. rosar. cum alb. ovor.* ita etiam *ol. amygd. dulc. hypericonis*, *momorticæ* multùm valent. *Opium* cum *lacte* & *succo plantag. Ungu. alb. camphorat. ungu. pomad. de tutia*, *lac Nutricis*: *succus rapar. semper vivi*; Aquæ *alchymill. consolid. maj. fol. quercûs*, *gratiæ Dei*, *plantag. rosar. saniculæ* &c.

CAPUT XXX.

De Aphthis, Parulide, & Fætore oris, *vulgò* Mundtfeil oder Gurgl.

Aphthæ sunt pustulæ seu exulcerationes, summam oris superficiem, linguam, palatum, uvulam, & fauces sæpe occupantes, cum respiratione & deglutitione læsa, ab humoribus & vaporibus pravis in ore, vel in toto corpore collectis, & eò delatis, ortæ. Dixi humoribus pravis, sub quibus etiam intellige lac corruptum, indè ortam acrimoniam & acescentiam, quæ excoriat has partes, idem præstat lympha & humores circulantes acescentes, vel salivæ acrimonia cum lacte & pulte ingesta, fons enim peccantis acidi potissimùm est in stomacho, quod exhalat in dictas partes.

Parulides sunt vesiculæ seu tubercula gingivarum à prioribus etiam causis, plus minùs sævientibus orta: Differentiæ ratione coloris sunt variæ, quandoque flavæ quandoque albæ, quandoque lividæ, sæpe aliæ, prout est diversa acidi & bilis commixtio, aliæ molles, aliæ humidæ, aliæ asperæ & siccæ, aliæ firmiter adhærent, aliæ facilè decidunt.

Curatio consistit in acidi acrioris correctione, & novæ generationis impeditione, in aphtharum maturatione; id quod fit medica-

medicamentis vel alimentis Infanti vel Nutrici datis: acidum aphtharum & simul acrimoniam ejus, mirè corrigit *vitellum ovorum* cum *aq. rosar.* & *sacch. cando* mixtum, *succus raparum* illitus, cui modicum *mellis* addendum: *Succus cancr. fluviat. succus veronicæ*; *cerevisia recens*, *serum lact. cerevisia ficubus & liquiritiâ alterata*; *aqua exstinctionis chalyb.* in qua *salvia* & parùm *mellis* bullierit: *lac* per se etiam optimum quod asslugit Infans est remedium & simul alimentum: *decoctum veron. mucilago sem. psyllii*, *cydon.* &c.

Instar omnium est *linimentum* ex *melle* cum tantillo *Spirit.* ⊕*li* imprægnat. & subinde ori illitum. In vesiculis gingivarum laudatur sequens *Linimentum*,

℞. *Farin. milii* ℥ß
aq. rosar.
ol. omphac. ana q. s.
F. Linimentum

Sorbait hoc commendat;

℞. *Ol. chamomill.*
mellis
terebinth. ana ʒij

M. F. Linimentum quô calefactô gingivæ inungantur, est excellens. Plurimùm etiam valet si linteolis propriâ Infantis urinâ madidis, gingivæ illius sæpe abstergantur.

Sequens rarò fefellit Dolæum, quô singulis diebus bis vel ter, instrumento lineo obducto, os emundetur.

℞. *Vitell. ovor. Num.* j.
mell. despumat. ʒij
succ. veron.
rapar. ana ℥ß
croc. gr. vj
maceris ℈ß

c. aq. veron. & rosar. q. s.
M. & detur ad usum.

Valet etiam *syrupus de ros. siccis, mel rosar. diamor. dianuc.*

Extrà collum inungatur *ol. amygd. dulc.* vel *ol. hypericon.* Cavendum in cura horum affectuum ab omnibus acribus, acidis, & salsis, Spiritu ⊕li, sulphuris, salis, nitri &c. utpote quæ per se sola, vel cum alijs violentè adhibita maximum aphthis detrimentum afferunt: in adultioribus autem, ùt dicetur in praxi, acriora etiam suo sensu locum habent. Cavendum secundo, nè nimis simus proclives ad purgandum, quia facilè diarrhæa subsequeretur quæ pessima est: Sufficiant, si opus, *suppositoria*, vel *clysteres lenissimi. Sudorifera* lenia pro tenera ætate prosunt. v. g. sequens: ℞. *Bezoart. mineral.* à gr. j. ad v. *lapid. bezoar.* à gr. iij. ad vij. *croci* à gr. iij. ad vj. M. F. Pulvis. Valet etiam *Aq. alchymill. burs. pastor. centinod. equiset. fabarum, foliorum quercûs, fragar. ligustri, nummular. papav. rhæad. plantag. prunell. rosar. sanicul. tormentill. hord. posca* seu *acetum aquâ dilut.* vulgò *oxycratum* dictum. *Decocta* ex prænominatarum aquarum herbis, *serum lact. cerevisia tenuis saccharata C.C. amylum* cum *aq. rosar.* dilut. *Roob diamoron, dianuc. mel rosat. Syrupus de agresta, corall. liquirit:* de *rosis siccis, granator. jujub. myrtill. papav. rhæad. plantag. veron. Linimentum Joëlis* ex *melle rosato, pulv. violar. ciner. equiset. C.C.usto.*

Internè dantur *absorbentia & edulcorantia*, uti est *C.C.* quocunque modo *pptum, corall. rubra ppt: ocul. cancr. ppt. nitr. ppt. antihect. Poter. specif. cephal. Michaël. ebur. ppt.* &c. *Tinctura corall.* vel *antimonij* ritè ppt. vel *Tinctura rosar. violar. bellid. aquileg.* &c. cochleatim vel pro libitu porrecta.

Cap.

CAPUT XXXI.

De Uvulæ relaxatione & Syriasi, vulgò daß gefallene Blattl.

SYriasis, seu ardor, seu adustio capitis vel cerebri; seu apostema sitibundum, seu ustulatio Infantum (ob febrem ardentem humiditatem potenter absumentem) seu morbus solstitialis, seu erysipelas cerebri, seu casus fontanellæ, seu cerebri, daß Blattl fallen / oder einfallen des Hirns: est inflammatio circa cerebrum & meninges ejus, quam sincipitis & oculorum rubedo & cavitas, febris ardens, cephalalgia, pallor, siccitas corporis, vigiliæ, alvi profluvium, appetitus prostratus, & multa alia mala consequuntur, à sanguine effervescente, & quandoque putrescente ob aërem calidiorem & æstuantem, bilem exsuperantem, lac calidius & spirituosius &c: orta.

De hoc affectu intelligendus est Hipp. 7. *aph.* 50. *Quibus cerebrum syderatum est, intra tres dies intereunt, si verò superaverint: sani fiunt.* Est enim grave malum, & rarò evadunt, si in sincipite fovea fiat, quæ subsistentiam cerebri & brevi subsecuturam apoplexiam arguit.

Curatio instituitur bonâ *diætâ* Nutricis, ut lactis caliditas temperetur, sanguinisque mitigetur acrimonia & effervescentia, utatur igitur Nutrix *ptisana, emulsionibus*, vino abstineat, caveat ab animi motibus.

Internè etiam dari debent quæ refrigerant & roborant. *Aqua endiviæ, melonum, perlar. tiliæ: Emulsiones ex sem. 4. frig. papav. albi. Syrupi: acetosellæ, betbon. tunicæ, rub. idæi* &c. *Sanguisugæ* prodesse possunt lateribus colli propè jugulares venas, temporibus, retro aures, fronti admotæ, nisi nimis tenella ætas obstiterit, sed cum sit affectus anceps etiam anceps locum habebit remedium. Valet etiam *sacchar. Saturni* cum *aq. flor. tiliæ* tepidè applicatum. Conveniunt quoque *flores sambuci*

 vel

vel *flores solani*. Vel ℞. *Ol. rosati* ℥ß. *ungu. popul.* ʒij. *album. ovi Num.* j. *emulsionis sem. papav. alb. aquâ rosar. facta* ʒij. M. Vel *ol. rosat.* cum *vitello ovi*, dolorem enim mitigat & discutit.

Ubi inflammatio aliqualiter sedata est, *discutientia* conveniunt. ℞. *Summit. anethi* Mß. *flor. chamomil.* P. j. coq. in *aq.* adde *ol. chamomill.* ℥j. M. vel *aqua chamomill.* & *anethi* imponatur tepidè.

Inter domestica remedia sunt adhuc sequentia: *Folium querc. recens* cum *melle* probè inunctum, vertici Infantis imponatur. Vel impone *chartam lusoriam* seu chartifolium, vel aliam similem chartam in *cerevisia alba* probè humefactam; Vel *chartam cæruleam aquâ lavendulæ* optimè imbibitam eidem loco applica.

Alij pannum lineum quodruplicem in eadem aqua probè intingunt, & capiti imponunt, sæpiùs hoc repetendo. *Emplastrum* certum & expertum ad elevandum os cranij depressum, non modò ex Syriasi, sed potiùs ex casu aut contusione.

℞. *Mell. comm.* ℔ß coque & adde
furfur. frument.
sal comm. ana ℥ß
cumin.
absinth. ana ʒiij

Fiat Emplastrum, quod expertum est in quindecim diebes, teste Epiphanio.

Solet quandoque contingere, ut ipsis Infantibus ex præfatis accidentibus, tumor in facie & capite, potissimùm oculis accidat; in ejusmodi repentinis defluxionibus, mulieres nostræ *fermentum* cum *aq. pulegij* probè mixtum & malaxatum nuchæ aliquoties imponunt, non sine præsentaneo auxilio. Prosunt etiam *suffumigia* ex *gummi sadarach, oliban, mastich.* plura de hoc in sequenti capite. CAP.

CAPUT XXXII.

De Emphysemate seu Tumore flatulento, in specie, de Inflatione Palpebrarum

E*Mphysema in genere*, est tumor inæqualis, vagus, renitens, & sonitum instar tympani, manu percussus, ediens, à flatu vel Spiritu flatulento in aliqua corporis cavitate excitatus. *In specie Emphysema* est tumor seu inflatio palpebrarum laxior absque dolore, œdemati similis: *Causæ* internæ sunt humores seu liquores aquosi vel lymphatici, vel spiritus flatulenti &c.

Externæ sunt ictus araneæ, vespæ, apis, urticæ &c.

Curatur hoc malum causarum ablatione, discussione, resolutione & mitigatione. Laudatur *Aqua omnium florum, florum sambuci, nymphææ, plantag. rorismajal. rosarum alb: spermat. nanar. violar. scordij; mucilago semin. cydon. & psyll.* cum dictis aq. extracta. Item *decocta* ex ijsdem aquis vel herbis facta; *mithridatium, theriaca, diascord.* parti imposita.

CAPUT XXXIII.

De Trachomate seu asperitate, Psorophthalmia seu Scabie & Ulceratione Palpebrarum.

T*Rachoma* est internæ palpebrarum superficiei, quæ oculos respicit, asperitas, cum rubore, pruritu, pustulis, quandoque instar milij, orta ab humore salso, mordaci adusto, vel collyriorum acrium diuturna applicatione.

Curatur præmissis universalibus, materiæ peccantis aversione, *topicorum, emollientium, mitigantium, abstergentium & exsiccantium* applicatione. Inter cætera laudatur *Aqua anserinæ, chelidonii maj. florum cyani, fragor. oxylapathi. plantaginis; rosar. alb. semper vivi, solani, taraxic. Butyrum rec. caseus recens*,

cens, cerussa: Unguentum de tutia, rosat. alb. camphorat. diapompholyg. nibili, de liquirit. Mucilagines, vel cum *sem. psyll.* vel *fænugr.* vel *lini*, vel *radice alth.* extract. *Sacch. candum* oculis pennâ inflatum: *Sacch. Saturn. Siefalb. & rubr.* cum, vel sine *opio.*

CAPUT XXXIV.

De Ptilosi.

PTilosis est palpebrarum crassities cum rubore & calore atque pilorum casu, pruritu & corrosione.

Curatur, præter dicta in priori cap. *fotu* ex *Aq. aut Decoct. solani, endiviæ, portulacæ, rosarum, albumine ovi.* In progressu morbi addantur *leniter resolventia, ut parietaria, malva. &c.*

CAPUT XXXV.

De Hydrocephalo, vulgò die Kopff-Wassersucht.

HYdrocephalus est tumor capitis aquosus à copia lymphæ, ejusque collectione factus, estque vel extra, vel intra cranium; prior curabilis est, si nimirum sit intra cutem & pericranium vel intra pericranium & cranium, secùs si sit intra cranium. *Emphysema* est tumor sub cute vel membrana cerebri ortus, qui carminativis externis & internis curatur. de quibus videantur Practici & sequens hydrocephali curatio: in specie autem Sennert. *Pract.p. 1. cap. 28.*

Curatio hydrocephali instituenda *evacuantibus & siccantibus serum* si intrà cranium sit, si verò extra cranium, *topica & chirurgia* seu manûs operatio plurimùm valet: Valent præterea in specie *diæta exsiccans, hydragoga, diaphoretica, diuretica*: & his

his non juvantibus *cauteria* actualia vel *fonticuli*, *vesicatoria*, *setacea*, & tandem *incisio*, quæ fieri debet in ea capitis parte, ubi maximè propendet tumor secundùm longitudinem fibrarum: cavendum tamen nè aqua una vice, sed sensim evacuetur, ùt monet Divus senex Hipp. dicens: *Secti vel usti*, *si aqua affatim effluat*, *malum*: verùm hæc omnia tenelli Infantes vix sufferunt, & compatientes mulieres vix admittunt. Ad intrà in hoc affectu pro corroboratione plurimùm laudatur *Liquor C. C. succinat.* guttatim in vehiculis porrectus, & sæpiùs repetitus.

Extra valent, *Emplastr. cephalicum*, *de baccis lauri*, *de bethon. diasulphur. Ruland*: *Lixivium cinerum sarmentorum*, *Oleum irrhinum*, *de castoreo*, *philosophorum*, *laurinum*, *rutæ*, *spicæ.* Prosunt etiam quandoque *errbina* & sternutationes.

Vel ℞. *Styrac.*
oliban.
sarcocoll.
gumm. Arab. ana ℥j
liquefant in *vin. alb. styptic.* q. s.
adde *farin. fœungr.*
fabar.
sem. lin. ana ℥j
ol. aneth. ℥iij
M. F. Cataplasma.

Vel ℞. *Limac. cum testis contus. Num.* xxx. *herb. majoran.* Mj. Contund. simul in mortar. add. *pulv. camphoræ*, *croci ana* ℈j. cum s. q. *Ol. chamomill.* F. Empl. capiti applicandum, & relinquendum, quò per se cadat.



CAPUT XXXVI.

De Cranio depresso.

SÆpiùs contingit ut ex casu vel quacunque violentia, Puerorum cranium deprimatur, in quo casu certum & indubium ad elevandum os cranij depressum, est *Empl. Epiphanij.* superius Cap. xxxi. descriptum.

CAPUT XXXVII.

De Ophthalmia & oculorum affectibus, in specie Suffusione, seu Cataracta, vulgò der Staar.

OPhthalmia seu oculorum inflammatio seu fluxus, est adnatæ oculi tunicæ inflammatio, cum rubore, ardore, dolore & lachrymatione, à sanguine acri & fervido aut similibus liquoribus orta.

Cura. Valet præmissis universalibus Nutrici vel Infanti adhibitis (de quibus alibi, & in specie de morb. Infant. in genere) *Lac* ex mamma oculis instillatum; *medulla panis alb. in lacte cocta*: vel *mucilago sem. malvæ* cum *aq. rosar. plantag.* &c. extracta: vel *Collyrium meum completum.*

℞. *Aq. rosar.*
plantag.
euphras. ana ℥i
pulv. sacch. cant. alb. ʒiß
tutiæ ppt. ʒi
sief alb. c. opio ℈i
croc. ♂is adstring. ℈ß
vel gr. xv. M.

Suffusio

Suffusio oculorum seu cataracta vulgò der graue Staar / est pupillæ seu foraminis uveæ ab humore præternaturam eo in loco concrescente obstructio, cum visionis impedimento.

Cura. Nutrix masticet *semen fæniculi, anisi* post cibum, & halitum in oculos Infantis immittat. Vel infletur *pulvis avellanæ adustæ.* Vel sequens expertum *Collyrium*, quô plures à lippitudine sanati sunt, in oculos instilletur.

℞. *Aloes* ʒj
pompholyg. lot. ʒß
aq. euphras.
rosar.
fœnicul. ana ℥j M.

CAPUT XXXVIII.

De Strabismo, vulgò das Schielen.

Est pupillæ à medio suo declinatio obliqua, adeò ut in una oculi parte, plus albi appareat quàm in altera, idque fit vel à primo ortu seu nativitate, seu mala conformatione, vel ex mala consuetudine, vel à convulsione. Prima incurabilis videtur. Secunda difficilis. Tertia non facilis. De hoc affectu vide praxin Hartmanni.

Curatur primò luminis in partem *oppositam* ei quo Pueri oculi præternaturam declinant rerum pictarum & variegatarum collocatione, ut ex fixo eorum obtutu & inspectione assidua in contrarium flectantur oculi Infantis; Secundò *larvæ* foraminatæ parte ea in quam oculi naturaliter dirigendi & movendi erant, applicatione.

CAPUT XXXIX.

De Lachrymis & Fletu.

Lachrymæ sunt humoris serosi ex oculis exstillationes & profusio, suntque cum vel sine fletu, ortæ ab ejusdem humoris quantitate & salsedine, vel inflammatione, doloribus, catarrho, torminibus, percussione, casu, punctura &c. Moderatæ lachrymæ obesse non possunt, quin potiùs massam sanguinis purificant & pectus dilatant. Nimiæ verò cum fletu, ruborem in oculis, ulcera palpebrarum, herniam & alia mala producunt.

Curatio in causarum ablatione consistit, quarum cuilibet sua remedia adhibenda, & ex propriis capitibus desumenda sunt. Fluxiones sistit *farina fabarum* cum *alb. ovi* apposita. Levibus oculorum inflammationibus prodest *fotus* ex *aq. rosar. plantag. chelidon. lac Matris* vel Nutricis. Plura ex tit. de Ophthalmia desumenda erant.

CAPUT XL.

De Glaucomate.

Glaucoma est humoris crystallini in colorem glaucum mutati vitium, à nimia humiditate vel debilitate, vel nimio fletu & consumptione humiditatis, vel à violento morbo ortum.

Curatio. Hic affectus ordinariè est incurabilis; si quæ tamen curatio tentanda foret prævio victu modicum exsiccante, attenuante (in quo magnus cardo curæ versatur) humorum & liquorum debita præparatione & evacuatione, laudatur *aqua mellis*, *succus fœniculi*, *rutæ* cum *croco*, & si fortiorem expetis cum *myrrha* applicata. Sed nec hæc quidem facilè ad humorem crystallinum, ob situm ejus profundiorem pertingunt.

Cap.

CAPUT XLI.

De Phthiriasi seu Pediculis, vulgò die Laiß und Niß.

PHthiriasis est pediculorum in capite, alijsque corporis partibus, præcipuè pilosis, proventus, ab humoribus excrementitijs: aut per contagium: aut ex sordibus tertiæ concoctionis, aut ex terrestri portione lymphæ, aut ex putrescente sanguine (ùt testantur Chymici qui ex sanguine humano & spermate, muscas & pediculos producunt) aut ex seminijs in corpora deportatis & à viventibus non observatis, deglutitis & in actum vitæ deductis, aut ex spiritibus seminalibus, vel seminibus in lacte, vel alimentis latentibus, in ventriculo non rectè alteratis, & corruptis, & in actum vitæ redactis, in pediculos degenerantibus &c. ortum ducens.

Inter *causas externas* recensentur ficus, quia succum corpori suppeditant pinguem ad cutem vergentem, qui posteà incalescens aut putrescens, ob semina latentia in pediculos vertitur. Idem facit ciborum varietas, corporis immunditles, neglectæ capitis pectinationes, lotiones, & abstersiones: alij addunt vestes ex pellibus ovium à lupis laceratarum, vel morbidarum factas; vulgus ait indusia ex canabi facta, quæ crevit in agro, fimô humanô stercorato, gestata, pediculos facere.

Quæres cur pediculi morituros deserere soleant & agminatim fugere? Resp. Authores rationem hujus esse credunt, quia destituuntur humidâ tepidâ ac blandâ exhalatione, quæ ad eorum generationem & conservationem facit.

Curatio. Præcaventur hæc tædiosa animalcula, probâ victûs ratione, munditie, blanda corporis expurgatione, vitatis omnibus cacochymicis alimentis; abstineant à ficubus & carnibus ob rationes mox allegatas,

Corpus ergò à superfluo sero (in quo plurimùm resident

hac animalcula) liberetur, in Puero, quinque vel sex annorum valebit sequens.

℞. *Pulv. jalapp. gr.* vij
☿*ii dulc. rit. ppt. gr.* iij
♁*ii diaph. gr.* ij
syr. rosat. solut. modicum
pro incorporatione M.

Conducit quoque exhibere unam alteramve *pilulam aloëticam*; quia aloëtica, antimonialia, & ☿rialia, acria, amara & acida multum valent. *Allium* propter 🜍 suum est specificum, ideò Judæi aliàs immundissimi & fœtidi homines, quia illud sæpe vorant, non facilè à pediculis vexantur. Valet etiam *sacch. Saturn.* cum *aq. flor. tiliæ* vel *sambuci*, item *cochlearia*: conducunt etiam *decocta lignorum* ad corrigendum serum pro potu.

Extrà æstimantur *Decocta & Unguenta ☿rii vivi*, vel *pannus* quo *aurifabri* vasa deaurata extergunt, capiti impositus; sed cautè in tenellis procedendum est similibus, quia sæpe noxam inferunt: commodiùs hoc malum curatur, si caput rasum abluatur *aquâ aloëticâ*, & illi apponatur *emplastr. allij*, vel lavetur caput *Spiritu vini* in quo *semen staphysagriæ* & *bacc. lauri* infusa fuerunt: vel solo *succo tabaci* vel *cochleariæ* caput illinatur.

vel ℞. *Ciner. hirudin. seu*
sanguis. ℥j
styrac. liquid. ℥ß
sang. suill.
ceræ ana q. s.
F. Unguentum.

Alij præter cineres hirudinum ipsum etiam *arsenicum* & ☿*rium* recommendant, sed quia ista non adeò tuta sunt remedia, ùt dice-

dicemus de tinea, ideò cautè aut nunquàm adhibenda. *Staphysagria* vulgò pedicularis dicta, est specificum remedium in varia forma adhibitum. ℞. *Sem. staphysagr.* ℥j. *absynth. rut. ana* ℥ß. *sulphuris, nitri ana* ʒij. ☿rii *vivi salivâ hominis jejuni exstincti, pingued. porc. ol. laurin. ana q. s.* fiat Unguentum.

Vel *Ungv. contra pediculos Augustan.* vel *Mynf.*

Primirosius laudat sequentem *Decoct.* pro lotione capitis.

℞. *Rad. bryon.* ℥ß
aristol. ʒij
staphysag. ʒjß
fol. rut.
scord. ana Mß
salis vel nitr. ℥ß

Pro amuleto servit ***camphora*** & ***zibetum***.

CAPUT XLII.

De Crusta lactea (vulgò der Ansprung) *Favis, Achoribus, Psydraciis, & Tinea (vulgò* der Grind oder Erbgrind.)

CRusta lactea, alijs lactunen, favi, achores, tinea, sunt fœda illa capitis & cutis tubercula, maculæ & ulcera, ex foraminibus saniosum quid continuò exsudantia.

Psydracia sunt exiguæ eminentiæ, vesiculis seu pustulis phlyctenis dictis similes, duræ, subalbidæ, acutæ, summæ capitis cuti impositæ.

Differunt hæc omnia inter se tantùm secundùm magìs & minùs; hoc est, conveniunt quidem subjecto & formâ, sed magnitudine & materiâ aliqualiter differunt: achorum foramina sunt angustiora, favorum ampliora, & quasi cereis apum cellulis similia; materia achorum est varia, favorum verò materia, colore & consistentia melli correspondet.

Causæ

Causæ horum affectuum sunt, vel sordes tertiæ regionis, vel putrescens sanguis, vel voracitas nimia: vel meconium corpus ac humores inficiens, vel terrestris portio lymphæ, vel lympha acidô-acris, salsa & glutinosa: reverà enim ex lymphæ nimis seu præter naturam acidæ & simul plus minùs viscidæ vitio, hæc dicta vitia & affectus originem ducere Neoterici arbitrantur, præsertim *lacte* vel *Matris* sub gestatione, vel *Nutricis* sub ejus lactatione, *vitioso*, causæ remotæ vices obtinente: non enim ampliùs quis dubitabit, glandularum functiones versari circa lymphæ præparationem & distributionem: unde sponrè patescit lymphæ vitium, nempe ejus consistentiâ materiali obstruendo glandulas earundem, tumorem oriri facit, ejus verò aciditate, ob largiorem in partes intercutaneas, capitis extimas, effussionem, ex denegata plus minùs debita distributione & motu, per glandulas ibidem copiosè residentes, pruritum intensissimum in dictis locis, cum pustulis rubris, successivè in pus abeuntibus & squamis insequentibns ac furfuribus ex cutis & cuticulæ erosionibus supervenire faciunt; imò sæpe accidisse observatum est, quando hæc mala asperiora facta sunt, ad cranium usque penetrare, illúdque erodere pro more acidorum osseas substantias facilè erodentium, hinc si talia retrocedant, multorum & gravissimorum malorum causæ existunt, quæ metastasis & retrocessio, lymphæ vitiosæ, præter alia loca in specie fit ad glandulas salivales, & laryngem irrorat, uti & ad pancreaticas, per quas ista lympha acida, acris, non adeò viscida, uberiùs effusa, dicta & alia multa symptomata infert.

Tinea propriè tantùm caput occupat, & crustosa ulcera facit. Dixi suprà, crusta lactea, seu lactumen propter materiam saniosam expulsam ad exteriora lacti similem, vel quia à lactis impunitate & acredine utplurimùm oriantur. Salutares sunt si debite procedant, quia præservant à majoribus malis, ùt epilepsiâ, teste Hipp. *lib. de sacro morbo:* Súntque prætereà bonæ

ùt

ut signum, non autem ut causa. Malæ autem & periculosæ ac perniciosæ existunt, si supprimantur & retrocedant ad intrà: malæ etiam sunt, si ob acidum corrosivum, cranium corrodant.

Curatio. In hac *diæta* sit optima; abstinendum Nutrici & Infanti à cibis salsis, acribus, cæpis, allio, raphano, pisis, carne suilla &c.

Corpus autem præservetur à superfluo sero per *levia cathartica*, præsertim ex ☿rio *dulci rit. & rec. ppto*: vel *syrupo de fumar. simpl. & comp. de polypod. de lupulo, florum persicor.* vel *syrupo rosar.* cum *fol. senn. passulis laxativ.* vel levioribus *clysteribus*. Si oriantur à vitio lactis, etiam Nutrici dari potest *serum lact.* cum *essent. fumar.* vel ejusdem *succo* quotidie manè & vesperi; & si opus fuerit, in isto sero quandoque decoquuntur *fol. senn. cent. min.* & *agaricus trochiscatus* linteolo colligata; vel *pilulæ de fumar.* vel *extract. catholic.* &c. Interim ùt diximus suprà, Nutrix bonam diætam servet, abstinendo à nocivis, aliàs omnia frustra fient.

Universalibus præmissis ad ea veniendum, quæ superfluum & vitiosum serum per insensibilem transpirationem promovent; uti sunt *viperina, antimoniata, Tinct. ♁nij. Essent. fumar. Essent. lign. sassafras; Syrup. fumar. simpl. & comp. Aqua betulæ,* quæ valdè expellit, *Aq. fumar. scabios. card. bened. veronicæ* &c. *Syrupus* vel *Conserva helenij.*

vel ℞. *C.C. phil. ppt.*
♁ii diaph. rec. ppt.
ocul. ♋ ppt. ana ℈j
myrrh. ℈ß
M. *Dos.* ℈ß plus minus.

vel ℞. *Pulv. cran. human. ppt.*
ocul. ♋. ppt. ana ʒß
lact. ♀is gr. xv.
M. *Dosis* ut prioris.

Valet etiam *Liquor C. C. succinat.* ad paucas gutt. exhibitus vel *Sal volat. C.C.* vel *viper.* ad pauca pariter grana exhibit.

vel ℞. *Aq. fumar.*
scabios. ana ℥ß
syr de fumar. simpl. ℥j
essent. fumar. ʒß

M. Detur cochleatim vel per plures vices.

vel ℞. *Aq. fumar.* ℥jß
C.C. phil. ppt. ℈j
tii diaphor. ℈ß
edulc. *man. Xlli perlat.* ℥j
adde *essent. fumar.* ʒß

M. & detur ut ante.

Potest potui Nutricis vel Infantis infundi *rasura C.C.* cum *flor. fumar. scabios. aquileg.* vel additis quibusdam *lignis* & *radicibus*, temperatioribus, *sassafr. chin. sarsæparill. enulæ, bardan.*

Lotiones & unctiones non statim adhibeantur, sed priùs præmittuntur *expellentia* & *mundantia* corpus; ideo etiam à refrigerantibus repellent. & adstring. abstinendum est, quia talia prematurè exhibita, soporem, anxietates, lypothymias, vomitus, alvi fluxus & motus convulsivos efficiunt. Idem tenendum est de ☿rialibus si præmaturè & abusivè adhibeantur: securiora his sunt *sulphurea.*

Inter externa laudatur *herba geranij* frixa cum *butyro*, & est expertum. Vel ℞. *Ungv. de belenio, diapompholyg. ana* ʒj. *flor.* ♀*ris* ʒß. *lact.* ♀. *gr.* xv. cum *ol. nucum q. s.* F. Linimentum, & si vis adde *sal.* ♀*ri* ℈j.

Si ulcuscula sunt maligna & serpentia ex acriori acido orta, sequens laudatur sæpius inungendo. ℞. *Lapid. calaminar.* ʒii. *farinæ* cum *aceto* vel *vino* subact. *resinæ ana q. s.* F. Linimentum.

Si

Si hæc ulcuſcula ſaniem emittant tenuem & acrem, optimè præmiſſis præmittendis lavantur *Aquâ ſperm. ranar.* & inſpergantur *pulveres* acidum imbibentes, viſcoſitatem reſolventes, exſiccantes & detergentes, ùt ſunt *creta, ſuccin. C.C. uſtum, lap. calaminar. myrrha, flor. ♀ris. crocus ♂tis.*

In tinea & achoribus laudat Bayrus ut caput abluatur *decocto ſalicis, parietariæ, betæ alb.* & *lentium* vel ſequenti *Decocto.*

℞. *Fol. bethon.*
ſcord.
helen. ana Mj
nicotian. ſicc. Pij
rad. bethon.
bardan. ana ℥iij. Inciſa dentur pro Decocto.

Vel fiat *Decoctio rad. alth.* cum *urina pueri* ſola, vel *aquæ hord.* immixta. Vel ℞. *Ciner. myrtill. ciner. cortic. avellan.* & inde fiat ſ. a. Lixivium. Vel efficax. ℞. *Lytharg.* ℔ j *aceti acrioris* ℔ iij. coq. in vaſe duabus horis, colaturam infund. in cucurbit. vitr, & affund. paulatim *ol. ♀ri per deliquium* fact. q. ſ. vel ℥ij. plus minùs. His & ſimilibus lotionibus factis, partibus affectis vel inſpergantur mox dicti pulveres, vel ipſe pulvis qui poſt mox ultimò dictam lotionem præcipitatur, achoribus inſpergatur. Vel etiam facta dilutione inungatur ſequentibus:

℞. *Sulphur.*
parietar. pulv. ana ℥ß
ſapon. ℥j
cum *ſucc. parietar.*
F. Unguentum.

Vel ℞. *Pulv. bryon.*
roſar.

fimi columb.
♀is citrin. ana ʒij
sang. testudinis
succ. betæ ana ʒj
croc. gr. viij
ol. junip.
laur. ana ʒß

M. in mortario plumbeo.

Vel ℞. *Ciner. myrtill.*
cort. avellan. ana ʒj
tutiæ ppt. ʒjß
succ. betæ
chelidon. ana ʒj
axung. porci ʒix
♀is ʒj
fimi columb. ℈iv
aloes
myrrh.
lap. calamin. ana ʒj
flor. ♀is ℈ij
cerusf. ʒß
sal. tartar. gr. xv

M. f. Pulv. subtilissimus. Vel sequens Ungv. ℞. *Pulv. flor. ♀ris* ʒj excipiatur *unguent. de cerussa camphor.* cum s. q. *ol. nicotian*; adde *sal. ♀ri* modicum vel plus minùs, prout acrius vel mitius linimentum desideres, quod pustulas exarescere facit: sulphurea enim prævalent omnibus aliis, quia acidum potenter absorbent & temperant. Vulgaria linimenta & unguenta non approbo, quia tot oleis, axungiis, & pinguibus permixta, partim jam saturata, partim obruta, nihil aut parum operantur, nisi quòd poros cutis incrustando malum reddant deterius.

Quòd si in prædictis ulcusculis acidum mitius peccet, idque jam

jam ſub ſua ſalſedine cum temperata purulentia viſcida, coiverit in tenaces & ſæpe ſpiſſas cruſtas, ſufficiant in tali caſu ſimpliciter *alcalia fixa*, cruſtas emollientia, & acidum in radice penitus deſtruentia, in quem finem vel *lixivio vulgari* blandè humectentur ſubindè, vel *oleo ♀ri per deliq.* eædem illinantur, & ſi lubet addito *ol. amygd. dulc.*

Quod ſi grandiores tumores glandularum circa capitis protuberent confinia, pro eorum diſſolutione applicandum eſt *Empl. de melilot.* malaxatum cum *ol. philoſophorum*; vel huic empl. jungatur *Emplaſtrum de galban. crocatum Myn*ſ. & ità imponatur & aliquandiù relinquatur. Si cranium ipſum ab ulceribus læſum ſit, primò cruſta detrahenda & emollienda, *malvâ* & *violariâ* in *butyro Majali* decocta, poſteà eluenda & exſiccanda ulcera *lixivio è cineribus vitis, fraxini*, addito *butyro*: ubi autem jam cranium apparet, adhibetur *mel roſat.* cum modico *ſpiritu vini* mixtum, poſteà eidem mixturæ addi poteſt *pulv. rad. ariſtoloch.* & *balſamus Peruvian.* vel *terebinthina* in *aq. nicotianæ* cocta; abſtinendo ab arſenicalibus & ☿rio ùt mox dixi, ne cerebrum vicinum lethalem noxam contrahat; quandoque tamen *☿rius in ſaliva jejuni hominis extinctus*, aliisque permixtus, cum cautela adhiberi poteſt.

In Tinea chirurgi ſic procedunt: cruſtâ ablatâ, ipſos pilos cum radicibus evellunt: cùm ijsdem materia illa corroſiva magìs adhæreat, idque vel volſella, vulgò Haarzängl. vel medicamentis pilos tollentibus præſtant. Vulgus autem utitur pileolo pice navali inducto, quem toti capiti vel loco affecto imponit, & aliquot diebus ſinit, poſteà eô detracto, unà pilos extrahit. Poſt hoc *emollientia*, poros aperientia, excrementa evocantia & diſcutientia adhibenda, uti ſunt Lotiones ſuprà dictæ vel ſequens.

℞. *Rad. bryon.*
oxylapath.
helen. ana ℥j.

fol. fumar.
chelidon. maj.
scabios. ana Mij
flor. chamomill.
melilot. ana Mj.

Coq. in lixivio, & caput bis de die lavetur vel foveatur. Laudatur etiam sequens. ℞. *Nasturt. q. p.* teratur & frigatur cum *axung. porci*, & capiti instar cataplasmatis imponatur, id quod præstat, ùt intrà 24. horas crusta decidat, & si continuatur, malum ex integro sanat. Solet etiam sequens *Unguentum Grülingij*, purgato corpore & adhibitis detergentibus magni pretij esse apud Medicos:

℞. *Lytbarg. ☉ri & ☽ti*
cum aceto acerr. nutrit. ℥ij
ceruss. c. ▽ *solan. lot.* ℥j
alumin.
rochæ combust.
fulig. furni
rad. enul. pulv.
chart. emporet. ust. ana ℥ß
ol. ovor.
axung. gallin.
porci ana ℥ß
ol. laur.
rosac.
acet. rosac. ana q. s.
M. F. Unguentum.

Joël suadet, ut abluatur crusta capitis *aquâ tepidâ*, in qua incocta sint *mentastrum*, *majoran*; *thymus*, *satureja* &c. ac deinde pilis abrasis, inungatur sequenti Linimento. ℞. *Lytharg. ceruss. ana* ℥ij *flor. ♀ris*, *lytharg. seu ☿rij salivâ jejuni hominis extincti ana* ℥ß M. f. Pulv. subtilis. & cum *s. q. ol. rosac.* acurate miscea-

inisceatur. Idem Author certissimâ experientiâ comprobatum ad omnia genera scabiei in capitibus infantum asserit plurimùm conferre *campboram*, si super ferrum candens aduratur, in pulverem redigatur & scabiei inspergatur: vel cum *pingued. suilla veteri* commisceatur & inungatur. Laudat prætereà, si crusta vel in facie vel in capite tenaciter hæreat, præsentissimum remedium esse *vernicem pictorum* linteolis instar illitum, scabiei imponere & subinde renovare. *Lapis* item *medicamentosus Croll.* in *aq. nicotian.* dissolutus impositus & inunctus, valde juvat, ùt idem testatur. Sed valdè cavendum monet Boyle à lotionibus capitis ex nicotiana institutis, pulveribúsque ejus inspersione; ebrietatem enim turbulentam, anxietates præcordiorum cum lypothymijs, vomitu, & copiosis secessibus supervenisse in talibus observatum est. Si verò arida fuerit capitis scabies seu tinea, & cum squamis decidat, Joël suadet ut pili abradantur & caput lavetur *aqua decoctionis fumariæ, betbon. chamomill. tbymi, epitbymi* cum *rad. Elleb nigr.* & tandem ex præscripto uno vel altero unguento inungatur.

Fuhrmannus in cura Tineæ sic procedit: præmissis purgantibus & sudoriferis, atque derasis capillis, utitur sequenti *lixivio*, omni die pro abluendo capite,

℞. *Fol. agrimon.*
salicis
querc.
plantag.
tussilag.
rub. idæi ana Mj
rad. scropbular.
tormentill. ana ℥j
lign. bederæ
bacc. laur. ana ℥ß.

Incis. & contus. grosso modo coq. in ℔xvj. vel xviij. *aq. com*-
mun

mun. ad remanent. ℔xij. Coletur pro usu; post lotum & detersum caput inunge sequenti *Unguento:*

℞. *Lythar̄g. aceto saturat.* ℥ij
pulv. fol. persic.
salicis ana ʒij
lap. calam. ʒiij
nihil. alb. ʒij
vitriol.
alum. crud. ana ʒß
opii comm. ℈ß.

Hos pulveres bene commixt. impone agitando sensim sequentibus:

℞. *Ungu. refrig. Gal. populei ana* ℥ij. *mell. rosat.* ℥iij. *ol.* ♀ *per deliq.* ℈ß. *Ceræ q. s.* pro consistentia unguenti. Aliud *Unguentum* Ejusdem. ℞. *Succor. fumar. scabios. scrophular. rad. bardan. ana* ℥ij. coq. hos succos cum *ol. lil. alb.* ad consumpt. succorum, posteà adde *cineres vitis* ℥j. & tandem add. *ceræ* ℥iij. *Ungu. rub. Würtzij* ʒiß. *ungu. popul.* ℥iß *pulv. lap. calaminar. lythar̄g. gallar. ana* ʒiij M. F. Unguentum.

CAPUT XLIII.

De Aurium humiditate.

AUrium humiditas est humorum ex auribus effluxus, plerumque cum dolore & inflammatione, multa sæpe symptomata inferens.

Causa eadem est quæ crustæ lacteæ seu achorum, quæ ibidem videri potest.

Curatio. Prodest externè *Essent. absynth. spiritus urinæ*, vel *urina pueri*, *ol. amygd. amarar. ol. stillat. absynth. ol. cannab. rec.* ex *semine* expresf. & modico *vino* mixtum *mel. rosat.* vel *aq. mellis.* Vel

Vel ℞. *Mell. virgin.* ℥ß
vin. rubr. ℥ij
alumin.
croc.
nitri ana ℈j
M. super igne.

Hæc & similia, lanâ vel turundâ excepta & auri indita, multum præstant: Si adsit inflammatio, prodest *albumen ovi* cum *lacte muliebr. Decoct. bethon. majoranæ, rosa, salviæ*, plurimum quoque prodest.

CAPUT XLIV.

De Aurium inflammatione, dolore, & præcipuè de Parotide, vulgò der Ohren-Zwang.

PArotis est tumor juxta aures sive glandulas ponè aures sitas, sæpe cum, rarò sine inflammatione, Infantibus ob dolorem valde molestus, respiciens easdem causas quas suprà de morbis Infant. in genere, & *cap.* de febribus diximus.

Curam methodicam si quis desiderat, Practicos adeat, quam ibidem in revulsione, derivatione, doloris mitigatione, digestione, maturatione, apertione, tandem in consolidatione consistere animadvertet. Nostra hic intentio est, tractare solummodò paroditem Infantum, quæ tantas ambages, nec tot ac tanta remedia requirit & permittit. Proinde sufficit apud Infantes *lacte tepido* aures fovere: vel *Oleum rosarum, violar.* vel *decoct. capitum papav.* cum *lacte* & *albumin. ovi* ac modico *croci* mixtum auribus indere; ad eundem usum etiam valet *Aqua* vel *decoct. card. bened. menth. absynth. lenticulæ, lupinor*: *medulla panis, mucilago sem. cydon.* & *psyll.* cum *aq. rosar.* vel aliâ mixta. Suffitus ex prædictis herbis; vapor silicum ignitorum & urinâ conspersorum: *adeps galli*

vel *suillus: butyrum rec. stercus caprin.* Cataplasma ex *farin. hord. semine lini, fænugr.* & *caricis: decoct. malvæ, alth. violar. flor. chamomill.* & *pinguedine porci.* *Empl. meliloti, de mucilaginibus, diacalcyth.* *albumen ovi* cum *lact.* & *croco Ungu. alabastr.* Instar omnium autem dicitur esse *pinguedo molendini,* seu quæ circa rotas reperitur, parti inuncta. Si dolor à vermibus aut alijs animalculis aurem ingressis, fit, plurimum valent *amaricantia,* mox suprà recensita. Cavendum omni modo à repellentibus, quorum abusu multa mala evenisse restantur Practici.

Ad intrà valent ea, quæ mox citatis capitibus dictavimus: præterea bona diæta pro Nutrice & Infante, summè profutura est.

CAPUT XLV.

De Capitis dolore, Cephalalgia, Cephalæa & Hemicrania, vulgò Kopffwehe.

CApitis *dolor* est tristis sensatio partium capitis, sensu tactûs præditarum, ab objecto tangibili violenter & cum impetu continuum solvente, orta. Hujus *causa immediata* est *solutio continui* fiens, non facta, de qua in praxi fusiùs. *Causæ antecedentes* & proximiores, acris aut *acida materia* continuum solvens, ùt in Infantibus est lac vel pulticula corrupta.

Dolor capitis alius est recens & *Cephalalgia:* alius diuturnus & *Cephalæa*; alius dextram vel sinistram partem occupans & *Hemicrania*, alius statis temporibus recrudescens & periodicus; alius internas vel externas partes affligens, & internus vel externus; alius ab humore peccante vel parte affecta, vel alia ex causa, gravativus, pungitivus, pulsatorius, terebrans, algens &c. dicitur.

Curatio hujus consistit *primò* in doloris seu symptomatis urgen-

urgentioris mitigatione: *Secundò* in causarum evacuatione, alteratione, revulsione, derivatione. *Tertiò* partium corroboratione. *Quartò* legitima diæta:

Valent proinde sequentia remedia selectissima, varijs intentionibus inservientia, præmissis tamen universalibus *tit.* de morb. Infant. in genere, & febribus, explanatis.

Præ omnibus in specie tanquam summè specifica laudatur *bethonica & verbena*, & ex ijs omnis generis facta remedia tàm interna quàm externa. In specie *Aq. bethon. florum tiliæ, verbenæ, ceras. nigr. Balsamus apopl. balsam. succini, cephalicus. Conserva florum anthos, tunicæ, bethon. salv. lavendul. rosar. Emplastrum de bethon. cephalic. nervinum: Vigonis sine ☿rio. Epithemata & frontalia ex rebus cephalicis*, temperatioribus tamen, ob teneritudinem naturæ. *Essentia lignorum, ambræ. Ol. ligni rhod. succin. macis, majoran. nucist. papav. rosar. Pilulæ de cynogloss. Faventini: laud. opiat. Myns. Syrup. de bethon. florum tunicæ, de nymphæa, de stæchad. Arab. Fæcula pœon. Magist. corallor. perlar. ocul.* ♋. eorumque ppt. *margar. trochiscatæ Myns. Spec. aromat. rosat. diambr. diamosch. dulc diarrhod. Abb. diapleres Archonticæ. Spiritus diatrion*; seu *Mixtura simpl.* vulgò dicta. *Spiritus ♀ri simpl. comp.* vel *volat. Arcan. ♀ri liquid. Sennert. Spiritus rosar. lil. convall. Tinct. Lunæ, ♀ri, florum pœon. rosarum: Ungu. alabastr. popul. rosat. Mesue.*

CAPUT XLVI.

De crebra Sternutatione, vulgò daß Nießen.

Sternutatio est Spirituum flatulentorum & acrium vaporum, tunicam narium interiorum proritantium, violenta & involuntaria per easdem nares expulsio, ab expultrice vitiata, & à

Ddd 2 causis

causis vel internis vel externis irritata proveniens; multa symptomata Infantibus inferens, præsertim si à principio morbi ingruat, secùs in declinatione.

Curatio. conveniunt in ea sedanda, *anodyna* & *refrigerantia*, *incidentia*, *attenuantia*, *incrassantia*, *edulcorantia*, *aperientia*, *emollientia*, prout status & conditio casarum requirit. *Epithema* frontale ex *aq. rosar. pulvere rosar. santalo rubro*, *sangu. dracon.* duplicatis linteis exceptum & in causa calida applicatum: Si verò sit causa frigida, conficiantur ex *aq. majoran.* cum *thure*, *mastich.* & *myrrha.* Valent præterea *ol. anisi anethi*, *chamomill. nardin.* In causa verò calida *ol. nenuphar. rosar. violar. lac muliebre.* Alij laudant *Pomum ambr.* odorandum: frons itidem inungi potest *Ol. rosat.* & *omphacino* cum *vitello ovi* conquassato. Vel applicatur fronti sequens *Empl.*

℞. *Pulv. portulac.* ℥ß
farin. hord. ʒiiij
ol. rosat. q. s.

℞. *Pulv. rosar.*
santalor.
sang. drac. ana ʒj
aq. rosar. ℥ij
acet. ℥ß

Misc. & cum pannis fronti & temporibus tepidè applicatur. *Aqua tepida* fronti aspersa sternutationes sedat.

CAPUT XLVII.

De Angina seu Prunella Infantulorum, Tonsillarum inflammatione, Paristhmia, vulgò die Mund-oder Halß-Bräune.

ANgina est faucium, pharyngis & laryngis atque musculorum earundem, nec non tonsillarum inflammatio, cum febre

febre continua, respiratione & deglutitione difficili, spiritúsque præfocatione, ab humoribus calidis & acribus & lacte vitioso orta, quæ calida effumatio & phlogosis, non solùm linguam, sed & palatum, non raro etiam totam oris cavitatem cum inferioribus in definitione dictis partibus dolorificè & periculosè inficit.

Curatio. Primum locum in hoc affectu sibi vendicat *Venæsectio*, dummodò fieri possit; prosunt quoque *Clysteres*, repellentia, resolventia, *sanguisugæ*, frictiones, maturantia &c. plurimùm laudatur *album Græc.* tanquàm euporiston hujus affectûs: alij extollunt *Cass. rec. extractam.* Sequentia magnæ utilitatis etiam esse possunt: *Acetum rosac. Aq. bugulæ Chapbalij, nucum jugland. plantag. prunellæ, polygoni, scabiosæ, semper vivi, solani, uvulariæ; cremor bord. decoct. bord.* vel *lentium. Empl. de meliloto, diachylon simpl. & comp. magneticum: medulla panis triticei* cum *lacte, vesicatorium. Ol. amygd. dulc. chamomill. lil. albor. lini, ovorum, violar. hyperici, rosarum, succus acatiæ, granatorum, cancrorum, mororum, semper vivi maj. rad. bryon. Cataplasma de nido hirundin. Myns.* quod est expertissimum. *Sacculus ex milio, sale & furfure,* capiti applicatus; vel collum *lanâ succida* cum *ol. amygd. dulc.* inunctâ & *cinere hirundin.* conspersâ, involutum, est mihi familiare remedium. *Syrupus è rosis siccis, myrtinus, granatorum, diamoron, dianucum. Ungv. althææ, Martiat.* Alij accipiunt *salviam* & *nucem moschat.* torrefact. & pulverisatam miscent cum *melle* pro lambitivo. Alij adhibent *aquam prunellæ & fragorum,* additô *crocô* & *alumine*: *Decoctum chamomill.* expertum quoque habetur.

Contingit sæpe hæc oris vitia à prædictis causis orta in cretaceum quoddam excrementum, internis oris partibus & linguæ adhærescens degenerare, quem Galli teste Paræo, Cancrum album appellant. Lactandi libertatem intercipit, in ulcera mox ad fauces & gulam serpentia degenerat, & mortis

caufa interdum exiftit; quod nè accidat, medendum ipfi eft detersione, parata ex linteolo, baccillo alligato, & immerfo in medicamentum mediocris confiftentiæ ex *ol. amygd. dulc. melle* & *facch.* paratum: hoc enim blandè affricto madefactæ & detersæ fordes eluuntur.

Internè plurimùm præftant *abforbentia* & fanguinem *edulcorantia*, qualia funt *Magift. dentis apri, corallor, ocul.* ♋. *nitrum perlat. fpiritus nitri* ritè dulcificatus &c.

CAPUT XLVIII.

De Afthmate, vulgò der Dampff.

ASthma eft frequens, denfa & anhelofa refpiratio cum fonitu feu ftertore, raucedine, tuffi, à bronchiorum obftructionibus, à vifcidis, acidis & craffis fuccis, vel tuberculo vel calculis vel flatibus, fpafmodicam pulmonum convulfionem excitantibus &c. orta. his enim & mufculi pectorales & fibræ bronchiorum convelluntur & laceffuntur: morbi enim pectorales, ficut fenibus, itá etiam Infantibus funt valde funefti.

Curatio confiftit primò, ut materia acido-vifcofa & mucilaginofa in ventriculo vel alibi latens, coacervata & turgescentiam efficiens ocyùs educatur, id quod fiet *Venæfectione*, fi nihil obftet: *clyfteribus lenitivis*: vel *vomitorijs*, quæ præfens levamen adferunt. ad vomitum autem ciendum lingua digitò comprimatur, vel pennâ oleo intinctâ fauces illinantur. Dixi *venæfectione fi nibil obftet*. Ubi nota in Pueris 5. 6. vel 7. annorum eandem effe evidens remedium. Vel leniens fequens ad educendam fuaviter materiam eft convenientiffimum. ℞. *Pulv. mechoacan. albiff.* ʒiß. *fæcul. pœon. pulv bulbi majal. ana* ʒß. *fuccini catarrbal.* ℈j. M. & detur fæpe cum pulte vel lacte cufpis cultri.

Ad resolvendam materiam reliquam peccantem incidentia appropriata adhibeantur.

℞. *Spec. diair.*
fæcul. aron. ana ℨj
cran. human.
succin. catarrh. ana ℈j
M. F. Pulvis, detur aliquid cum lacte vel pulte.

Vel ℞. *Aq. menth.*
fœnic. ana ℥j
cort. aurant. ℨß
spir. sal. ✳ci anis. gutt. x.
ol. menth. gutt. j.
sir. tussilag. ℨvj.

M. & detur modicum ex cochleari; & si vis pro majori effectu, adde *theriacæ cœlest. gr.* j. *vel* ij Nutrici verò detur *Decoctum pectorale. Decoctum raparum* cum *sacch.* sæpius Infantibus datum est expertissimum. *Sperma ceti rec. non rancid.* ad ℈ß vel ℈j. datum mira præ cæteris præstat, præsertim si gr. j. *croci* eidem addideris: *Succus raphani recens* cum *sacch.* temperatus etiam efficax est. Valent etiam *Aq. asthmatica looch sani. card. bened. scabios. veron. taraxic. raparum, salviæ, tussilag hyssopi, malvæ, pulm. vituli. Balsamus* ♀*ris anisatus, terebinth. una* vel altera gutta exhibitus: *Elixir Propr. s. a.* eodem modo adhibitum, *butyrum viride, cancrinum. Conserva flor. bethon rosar. veron. bellid. looch ad asthma, de farfara, sanum & expertum. Decoctum galli veteris, pectorale Aug. lac mulieris Liquor pectoral. Myns. sine aq. cinamomi. flores & lac* ♀*ris: margar. ppt corall. ppt. ocul.* ♋. *crudi vel ppt. nitr. perlatum*, quod roborat, refrigerat & malignitati resistit. *Oleum amygd. dulc. axung. anseris, gallinæ &c. Pilulæ de cynogloss laud. opiat. Myns.* vel *Quercet. Theriaca cœlest.* mediô vel unô granô exhibita. *Theriaca Venet.* per se vel cum alijs mixta ad

unum

unum vel alterum granum. *Sacchar. candi penidium, species diaireos simpl. & Salomon. diatragacanth. calid. & frigid.* & ex his factæ *Rotulæ. Syrupi* & *succi, liquiritiæ, nicotianæ, de erysimo; capill.* ♀. *hyssopi, de jujub. veron. scabios. tussilag. de prassio, succus raphani cum sacch. Claretum* meum *pectorale.*

℞. *Aq. card. ben.*
scabios.
veron.
taraxac. ana ℥ij
sacch. cand. alb. ℥ij *plus minus.*

Coq. ad consistentiam tenuis syrupi seu clareti, cui quandoque addo unum vel duo grana *croci*, detur cochleatim.

Tinctura croci, tnij ad paucas gutt. exhibita. *Pomum dulce* excavat. & replet. *saccharo* & modico *croco. Pulvis contra tussim Infant. Myns.* in cuspide cultri cum vehiculo exhibitus. *Ceratum* pro prægmate cum *tacamabac.* & *ol. mastich.* factum. *Empl. filij Zacchar. Ungv. de alth. pectorale, resumptiv.* ℞. *Ol. lil. alb. irrbini ana* ℥ij. *croci* ℈j. M. pro Ungv. pectorali. *Pediluvia* ex herbis cephal. *betbon. verben. aneth.* subsequente inunctione plantis pedum cum *pingued. lucij piscis, sero birci* vel *cervi.* Plura vid. *tit.* & *cap.* sequenti de Catarrho.

CAPUT XLIX.

De Catarrho, Tussi, & Pectoris oppressione.

CAtarrhus est humoris excrementitij, potissimum verò lymphæ, cum vel sine sanguine per arterias, vel lymphatica vasa, in certas corporis partes influxio, aut in ijsdem facta stagnatio. Hic affectus, cùm tussim, difficilem respirationem, vigilias,

gilias, vomitum, herniam, suffocationem, imò & ipsam mortem quandoque inducere possit, negligendus non est.

Tussis, est vehemens, crebra & sonora spiritûs copiosi è pulmonibus efflatio, à veloci & convulsiva contractione pulmonum, musculorum thoracis & diaphragmatis, ab acribus humoribus dictas partes vellicantibus, orta. Si enim pituita, vel glutinosa materia acida in ventriculo fluctuet, & ea successivè irritet orificium superius, tunc infensâ & molestâ suâ præsentiâ vel saltèm halitibus, seu fuliginibus acrioribus, sub exspiratione occasione vellicati diaphragmatis, ipsique compatientium musculorum exspirationi inservientium, convulsivi motus & indè tusses (quæ tenella concutiunt pectora) excitantur.

Reverà enim ex stomacho cujusque in se ipso coacervatis cruditatibus, Infantum exoritur tussis, subindè tantâ violentiâ repetens, ut non nisi superveniente vomitu, & copiosi muci rejectione, ad tempus cesset; rara autem, (ùt vulgus credulum opinatur) Infantibus tussis ex laryngis & asperæ arteriæ irritatione oritur, nisi interdum dum inclementioris aëris afflatus ad hanc disponit. Idem asserendum judico de illa tussi, quæ sub dentitione laboriosiore, frequenter turbat Infantes, quam copiosior subinde salivæ nitroso-acrioris defluxus in stomachum, & inprimis uberior ejus ex membrana pituitaria transudatio, & indè defectuosa reddita prima digestio, & cruditatum cumulatio infert. Unde nota: talem tussim à modernis Medicis dici *convulsivam* seu *suffocativam*; cujus ratio formalis in duobus consistit. Primo in crebra & vehementi pulmonum irritatione, quâ ferè continuò ad ejiciendum concitantur. Secundo in hoc, quòd partes thoracis motivæ quoties irritantur tussim non regularem, sed hanc convulsivam, id est, ordinario respirationis muneri oppositam excitent, in qua pulmones constringi & thorax coarctari ità videtur, ut & ipsa respiratio libera, & sanguinis per pulmones circulus impediatur, hinc facies eorum intensè rubicunda esse solet.

Curatio consistit in hoc, ut materia acido-viscosa in ventriculo vel alibi latens, vel intemperies quæ materiam suppeditat, emendetur & evacuetur. Nutrix præprimis optimam diætam, ut suô locô dictum, observet, imò nec oberit eidem remedia convenientia porrigere.

Ad resolvendam materiam, valet præprimis *jusculum decoctionis raparum* cum *sacch.* sæpius Infantibus datum. Ad evacuandam vero. ℞. *Pulv. mechoacan.* ℥iß *bulbi majal. fæcul. pœon. ana* ʒß. *succin. catarrhal* ℈j, M. F. Pulvis, detur modicum cum lacte vel pulte. Vel ℞. *Syrup. mannat. Horst.* ℥ß. plus minus, *magist. mechoacan.* gr. ij vel iij. plus minus, M. pro dosi. Vel dari potest *Syrup. rosat. solut. Cass. extract. Manna solut.* &c. Vel injiciatur iteratò *clyster lenis*: vel linguâ compressâ *vomitus* excitetur. His præmissis, sequentia plurimùm laudantur. *Sperma ceti recens* per se vel cum vehiculo, *Succin. catarrhale. cran. human. Pulvis meus Infant. Pulvis contra tussim Infant. Mynf. Spiritus sal. armon. aromatisat. Liquor C.C. succinat.* qui ambo præstantissimi sunt: *Pomum dulce* excavat, impleatur *pulvere sacch. cand. alb.* additis tribus granis *croci* integri, sicque assetur in ollula, da medullam Puero tussienti: Sunt qui & *oliban.* addunt, & sic ab infarctu mirè liberant. Ex *ol. amygd. dulc. rec.* & sine △ express. & *sacchoro Penid.* fiat mixtura instar looch, indatur id sæpe Puerulo à tussi vexato; efficacius erit, si *syrupum violar.* vel *liquirit.* adjicias. Da potui *Aq. hyssop.* cum *sacch. candi* edulcoratam; aut fiant Rotulæ cum *emulsione sem. papav.* sic enim tussi medeberis & quietem concilabis: vel *Aqua pulmon. vituli* cum *syrup. de hyssop.* vel *scabios* frequentius porrigatur. Sequens *Mixtura* valde celebris est.

℞. *Ol. amygd. dulc. rec.* ℥j
man. elect. ʒvj
extract. liquirit. ℈ij

lact.

lact. ♀*is* ℥j
cum *aq. ſcabioſ.* ʒv
Miſce & detur cochlear parvum.

Vel ℞. *Syr. flor. acac.*
mell. roſat. ſolut. ana ʒvj
mechoacan. alb. ℈ß
jalapp. reſinoſ. gr. v
aq. *flor. acac.* ʒiij
fœnicul. ʒj.

Miſce *doſis*: cochlearia duo, ſemel vel bis in die, pro Infante unius anni. *Clyſter* ſequens efficax eſt:

℞. *Summit. aneth.*
flor. chamomill.
ſambuc. ana Pj
ſem. fœnic. ʒj

coque ex brodio inteſtini vituli vel agni q. ſ.

℞. *Hujus* ℥iv *vel* v.
adde *mell. roſat. colat.* ʒj
M. F. Enema pro Puero.

Laudantur etiam *Rotul. diatragac. frigid.* vel *Rotulæ perlat.* ♀*ratæ.* Sorbait dat ad lambendum *Syr. mannat. Horſt.* à ʒvj ad ℥j vel ſolvit in *juſculi carnis* ʒvj *ol. amygd. dulc. rec.* ʒij & optimè facit. *Looch de paſſulis* cum *mucilag. ſem. lini* vel *cydon*: vel mixtum, eſt blandum temperans.

Extrà capiti imponantur cum lino vel bombace *pulv. maſtich, oliban. ſuccini*, vel fiat ex ijs *ſuffumigium*, addendo *gummi juniperi*: Vertici apponatur *Empl. pro pregmate*, vel *Empl. cephal.* vel *de bethon.* Pectori applicanda *Ungv. pectorale. Empl. filij Zacch.* Soleæ pedum illinantur *pingv. lucij piſcis*, vel *leporis*, vel *ſevô hirc.* vel *cervi.* Pectus, ſpina dorſi, coſtarum regio, cum *Ol. amygd. dulc. violar. lil. alb.* vel *pingued. capon.*

 aquam

aquam non expertâ, inungi potest. Ubi nota: hanc pingued. in jure pisorum, optimo successu epotam à puerulis tussientibus, testatur experientia.

Pedum lotio etiam plurimùm juvat, facta ex *decoct. rosar.* addito uno vel altero *papav. capite*, pedes autem tàm post inunctionem quàm lotionem involvendi pannis calidis. Nares obstructas inunge *butyro rec.* vel *ol. amygd. dulc.* vel *amar.* sæpiùs de die.

Vel ℞. *Succ. betæ*
majoran. ana ℥ij
alsin. ℥ß
ol. amygd. dulc. ℥j.

M. & Nares eô sæpius inunge, vel *butyrum rec.* naribus indatur, vel naribus *majoran.* admove ut sternutatio excitetur.

Riverius *obs. 55. cent. 1.* asserit ex Mercato, febres, tusses, & catarrhos in infantibus oriri ox vitio & imbecillitate renum non trahentium serum: unde consulit inungi regionem renum *ol. Scorp. Matth.* ter de die, & sic urina prodibit copiosior, quæ aliàs facta est materia catarrhi: si verò hoc non juvaret, *clysteres* & *juscula aperientia* ex Mercato *cap. 13.* de suppress. urinæ in Pueris commendat.

Quod si alicui hactenus dicta & dictata non videantur sufficientia pro evacuatione, revulsione, interceptione, præparatione, coctione, incrassatione, attenuatione, edulcoratione, partium roboratione &c. sequentia adhuc generalia huic capiti addere placuit. Valent proinde pro vehiculis: *Aq. card. bened. scabios. veron. taraxic. pœon. caponis, pulmonis vitul.* &c. *Balsama majoran. rosmarin. lavendul. rut. salviæ, succini. Confectio alkerm. compl. & incompl. smaragdina: Theriaca Venet. cœlest. laud. opiat. Pilulæ contra tussim Schröd. de cynogloss. C.C. ppt. corall. ppt. margar. ppt. crystall. mont. ppt. flor. & lac* ♀*ris, succinum catarrhale Michaël. Cucupha A.A. Conserva flor.*

flor. anthos, bethonic. pœon. nymph. rosar. tunic. diacod. montan. butyr. viride. Elixir proprietatis s. a. Essentia vel *Tinct. pœon. liquor C.C. Balsam. cœlest. Tinctura, corall. ligni sassafr. Myns. castorei, lunæ, Essentia ambræ, lignor.* &c. *Unguentum rubrum.*

CAPUT L.

De Respirationis interceptione, vulgò von den Heckerl und Verkaychen.

HIc affectus, ad speciem singultûs referri potest; est autem spiritûs interceptio subitanea, quæ Infantibus plorantibus plerumque accidit, ubi cum insigni sonitu & singultu quasi plorant, ità ut ipsis interdum vox intercipiatur: plerumque accidit ex ira, vel voluptate seu risu: ubi enim fit vehemens passio, vehemens quoque fit cordis agitatio, & sic etiam magnus spiritûs impetus & emissio, qui cum confertim exire nequeant, intercipiuntur. Hic affectus proprie singultus non est, quia non accidit in ventriculo primariò, sed pulmonibus & diaphragmate, dum nimirum spiritus ex dictis passionibus à corde vicino ad pulmones & diaphragma ruunt, unde eorum convulsio quædam accidit, à qua eorum motus impeditur, respiratio cessat, & spiritus intercipitur.

Curatur hic affectus à mulierculis, manu dorsum Infantis percutiendo, ut spiritus vel vapor ille dissipetur. Reliqua omnia ea, quæ in Epilepsia & convulsione dicta sunt, hic quoque proderunt.



CAPUT LI.

De Hypochondriorum & Costarum succretione, inflatione, Pectoris angustia & Cardialgia: vulgò von den Unterwachsen der Kinder Brustsichtigkeit / und Hertzgespann.

H*Ypochondriorum succretio* est quædam durities seu renitentia, quandoque inflatio seu intumescentia ventris & hypochondriorum sub costis nothis, cum angustia oris ventriculi, compressione, cardialgia, febricula, pulsûs celeritate, læsa respiratione, colore faciei pallido, oculorum & faciei intumescentia & demissione affligens, à cruditatibus, flatibus, vermibus, acido excessivo vel corrupto, ùt *tit.* de torminibus & vomitu diximus, orta, talia enim acida excessiva & glutinosa, hærere in ventriculo posse nemo dubitat, & quò diutiùs ibidem hærent, facilè ex acore fermentativo, pastæ instar farinaceæ intumescunt & effermentantur, & impetuose flatuum proventu, intumescentiam præcordiorum, hinc diaphragmatis impedito motu, difficilem respirationem, & ex horum flatuum in sinistrum os ventriculi impetu, hujúsque pertinaci strictura, præcordiorum anxietates, inquietudines, somni impedimenta & vigilias inferunt. Eadem est origo inflationis hypochondriorum & totiùs abdominis, tympaniticæ distensionis, locô enim tantùm differunt à priori.

Curatio. Præmissis præmittendis universalibus prodest *sem. anisi* cum *aq. botryos.* Vel ℞. *Pulv. rad. ireos. sem. anisi ana* ʒj *fecul. pœon.* ℈j. M. Dosis cuspis cultri. Vel *Pulvis meus Infantum.* Laudatur prætereà *pulvis anisi* cum dimidio *corallorum*, *Eleosacchar. anisat. Spiritus sal. armon. anisat. Decoct. Cardiacæ*; *aq. flor. acaciæ*; sequentes *Rotulæ* valde recommendantur.

℞. *Chalyb.*

℞. *Chalyb ppt.*
ocul. ♋ *ppt. ana* ℈j
tartar. vitriol. ʒß
sal. prunell. gr. xvj
spec. aromat. rosat. ℈j
sacch. alb. ℥ij
M. F. Rotulæ

Efficacissimum & tutum ac simul laxativum remedium est sequens.

℞. *Aq. lupuli*
gramin.
cichor. ana ℥iv
rhabarb. el. ʒj
coq lento igne adde
sir. de cichor. c. rhab. ℥j
sacch. parum.

Dosis ℥j. sæpius iteranda ex cochleari. Vel exstingue ter quaterve *chalybem* in *decocto aperiente*, & hujus da ℥j. Puero.

Danda quoque opera est, ut Infanti aliquid à cibis subtrahatur, & parciùs nutriatur, neque novus cibus offeratur, priusquàm jam assumptus, non concoctus fuerit, nè cruditas augeatur.

Clysteres etiam in hoc passu plurimum præstant, qui suo loco videri possunt. Externè prodest *Ungv. Cardiac. Schröd. ol. amygd. dulc. lil. chamomill. Ungv. ad inflationes Prævotij, Ungv. deopillat. Cataplasma ex cherefol.* in *butyro* frixo.

Vel ℞. *Unguent. alth. comp.* ℥j
de arthanit.
martiat. ana ʒij
ol. lil. alb.
chamom. ana q. s.

M. est

M. Est expertum in contabescentia corporis & intumescentia abdominis. vel *Ungv. Stobelberg.*

℞. *Ol. olivar.*
axung. anatis
capon.
porci
sapon. Venet. ana ℥j
cæpar. coct. Num. ij.

Fac de his Unguentum, quo frequenter inungantur costæ spuriæ.

Plura si quis desiderat, interna & externa remedia, videat *Cap.* de torminibus.

CAPUT LII.

De Nausea & Vomitu, vulgò von Eckel und Brechen.

NAusea est inane vomendi desiderium cum anxietate, quo noxia naturæ conatu expelluntur.

Vomitus est materiæ visibilis in ventriculo contentæ per superiora cum impetu facta rejectio.

Alius est criticus, alius symptomaticus. Prior ex natura bene operantis instinctu, posterior præter naturæ intentionem contingit.

Causæ: Vel est lactis copia, vel pravitas, ventriculi debilitas, mucus viscidior & tenacior, cui per pylorum transitus negatur, hic mucus ventriculum unà cum bilis acrimonia occupans, & spasmodicè vellicans & contrahens nervosas partes, priùs nauseam, posteà vomitum excitat. Si vomitus sit criticus & per essentiam, ac simul nausea urgeat, non sistendus, usque acris latex vel bilis, aut tenax illa saburra eliminata fuerit, quin potiùs promovendus cum jusculis pinguibus & oleosis, & postquàm

quàm sufficienter horum evacuatio successit, ventriculus restaurandus, quia sic excrementa illa removet, & graviorum malorum imminentium Medicus constituitur.

Pro revulsione possunt adhiberi *clysteres*, qui peristalticum illum perversum intestinorum motum, versùs inferiora corrigunt, & ita vomitum cohibent. In omnibus ventriculi affectibus ab hac vel illa causa prodeuntibus, polychrestum & expertum remedium, est sequens *Pulvis*,

℞. *Pulv. bezoar.* ℥j
ocul. ♋ *ppt.*
cinnab. ♁*ii ana* ℈j
castor. ℈ß
theriac. cœlest. gr. iv
ol. still. cinam.
menth. ana gutt. j.
Misce. *Dosis* gr. v. ad x.

Pulvis meus Infantum non minoris est efficaciæ, licèt minoris pretij.

Multum præstat **Spiritus nitri dulc. Theriaca Veneta rec. cœlestis: laud. opiat. perlat. Myns.** vel *Quercet.* cautè tamen adhibita: ab his enim sistitur & compescitur confluentium humorum ad ventriculum & intestina, effervescentia. ***Syrupus menthæ, cydonior. granat. corall. agrestæ*** &c, etiam magnæ est efficaciæ. ***Pulvis Ettmülleri.***

℞. ***Pulv. N. M.*** ℥j
corall. rubr.
caryoph. ana ℥ß
Misce, detur parum per vices.

Si à lacte vomitus sit, statim amovenda Nutrix, vel lac emendetur.

Nota: ut quis agnoscat utrum vomitus procedat à causa vitiosi lactis, an verò vitio ventriculi, signum hoc est. Si lac Nutricis vitiosum sit, illud Puer non libenter assumit, sed re-

nuit; si verò libenter assumat, & tamen revomat, vitium ventriculi est.

Paulus Sorbait sequens commendat. ℞. *Pulv. thuris: sal. absynth.* ana ℈ß cum *Syrup. de rosis siccis q. s.* detur ad lambendum. Laudatur à Rhaze *syrupus de mentha*, addendo unum vel alterum granum *galliæ moschatæ*. In omni vomitione nullum est præsentius remedium quàm si *caryophylli aromatici* ʒß *gran: mastich.* ℈ij. simul concisa in *vini rubri* ℥vj. ebulliant, & ejus liquoris cochlear Infanti præbeatur. Vel si absit præternaturalis calor, *olei caryophyll. gutt.* j. vel ij. cum pauxillo vini exhibeantur. In lacte, è quo Puerulis pulmentum conficitur, coquantur *flores consolidæ regal.* Vel *avellanæ* quantitas *corall. rubr. pulverisat.* pulmento sæpius inspergatur. Usitatæ quoque sunt *Aq. cinam. cydoniat.* vel *buglossat. mastichina*, *plantag. theriacl. rosar. bordei.* Item *Confectio de hyacinth. alkerm. compl. & incompl. Conserva rosar. antiq.* (H)*lata*, *Theriaca Venet. rec. & vetus*, *Theriaca cœlest. laud. opiat. Succolad. Inda*; *Elixir ppriet. cum vel sine acido*; *Elixir vitrioli Myns. Tinctur. ppriet. Myns. Essetia absynth. — sulphuris per campan.* tacta. *Crocus Mart. adstring. corallia, bolus armen: terra sigillat. margarit. specific. stomach. Poterij. Pulv. stomach. Birckman. Sal absynth. spec. diambr. diamoschi dulc. spodium ppt. C.C.ustum.*

Extrà valent sequentia applicanda, quia Infantum stamina nervosa, sunt adhuc valde tenera, & ideò effectum suum meliùs præstant. *Acetum rosac. acet. zedoar. acet. bezoart. vel theriacale*, *cataplasma de fermento Grüling.* vel *de fermento* cum *pulv. absynth. mastich. menthæ, nucis moschat. rosar. rubr.* cum *vino rubro & aceto rosaceo*: *Ceratum Stomach. de crusta panis: Empl. nervin. Zwölf. de tacamabac. panis tostus cum aceto* applicat. *Empl. rubrum Dolæi* expertum.

℞. *Gum. tacamabac* ʒiß
myrrh ʒvj
mastich. ʒj

pulv.

pulv. santal. rubr. ℥iß
rosar. rubr. ℥ß
ol. N. M. ℥ij
mastich.
absinth. ana q. s.
ceræ parum.
Ad consist. emplastr.

Vel *mixtura* ejusdem *Dolæi* efficacissima ventriculo applicata, ex *Chocolat. confect. alkerm.* oleo *nuc. moschat. balsamo Peruviano*, *cinamomo* cum *vino malvat.* parata.

Linimentum Pauli Sorbait,

℞. *Ol. nucist. express.*
bals. de Peru
ung. stomach. ana ℥ij
mosch. ℈ß Misce.

Emplastrum Joëlis in vomitu bilioso & alvi fluxu bilioso expertum.

℞. *Pulv. mastich.*
aloes
acatiæ
galldr.
oliban. ana ℥ij
*panis tosti & in *to rosac.*
macerat. & rursum expres. ℥ß
subigantur cum s. q.
ol. rosac. & addita
Farin. fabar. q. s.
F. Emplastrum.

Valet etiam *Ceratum ex ladano*; *Frustum panis vino malvat. imbutum* & aliquot guttis *ol. macis* conspersum & calidè applicatum. Umbilico indatur *Theriaca Venet. Sacculus Strobelberg.*

 ℞. Ro-

℞. *Rosar.*
menth. crisp.
puleg.
chamom. ana Pj.

Ponantur in sacculo & bulliant in *vino rubro*, ponatur sacculus calidè supra foveam cordialem, seu scrobiculum cordis, quam mulierculæ das Hertzgrübl nuncupant: *Amuletum* dicitur *corallium* contra vomitum si è collo appendatur.

CAPUT LIII.

De Ructu & Singultu, vulgò das Hederl und Schlucken.

RUctus & *Singultus* est motus ventriculi pravus, convulsivus & inanis sursum versùs à natura irritata, noxia cum sonitu & contorsione elidere tentante, ortus.

Causa, est copia & repletio, vel prava qualitas lactis vel pulticularum; illud nempe coagulum corruptum & acidum, tenax instar muci & glutinis, superiori ventriculi orificio firmiùs inhærens: ex hoc enim muco acidiore & tenaciore, ejúsque fermentativo acore & mucositate, flatus, indè ructus & singultus, tandem etiam vellicando acrimoniâ suâ nervosas partes, ob nervos sensibiles & propter firmissimam diaphragmatis connexionem, non modò singultus, sed & ipse vomitus excitatur. Hoc malum non est exigui metûs, præsertim in naturis tàm teneris, quæ violentias sine periculo non sufferunt.

Curatio consistit in ijs quæ flatus discutiunt, ructus tollunt, & acidum à quacumque causa ortum corrigunt, ut videre est locis jam suprà citatis, maximè autem de lactis & pulticularum vitijs.

Sunt nonnulli Famosi Practici, qui *vomitum* multùm laudant, evellendo quantocyus acidas istas fordes ventriculo adhæren-

hærentes, hoc autem præstabitur si lingua digitô comprimatur, vel pennâ oleo illita fauces inungantur. Valet etiam *Aqua cinam. cydoniat. buglosiat. menthæ, mastich. zedoariæ. Conserva absynth. menth. rosar. antiqua. Electuar. diascord. Theriaca Venet.* intus & extrà; *Theriaca cœlest. laud. opiat. castoreum*, & omnia ex castoreo facta. *Elixir ppriet. Elixir vitrioli Myns. Spiritus croci, Tinctura anodyn. Tinctura bezoart. Syrup. corall. de absynth. cinamomi, cort. citri, de menth. de agresta, violar. granator. Bolus armen. ppt. corall. rubr. margar. terra sigillat. Spod. pptum: Specific. Stomach. Poter. Pulvis analept. Mindereri. Pulv. Stomach. Birckman. Pulvis meus Infantum. Pulvis Joëlis contra singultum.*

℞. *Pulv. C.C. usti*
corall. rubr. ppt. ana gr. xv.

Misce, & exhibe cum lacte aut syrupo menthæ.
Ettmüllerus sic habet.

℞. *Pulv. C. C. usti*
corall. ppt. ana ℨj
ol. still. cinamom.
anis. ana gutt. ij

M. F. Pulvis. *Dosis* cuspis cultri.
Pulvis in singultu *Dolæi.*

℞. *Pulv. N. M.* ℨß
ocul. ♋ *ppt.* ℈j
castor. ℈ß
corall. rubr. ppt.
caryoph. ana ℈j
ol. menth. still. gutt. ij
theriac. cœlest. gr. iij

M. F. Pulvis. Dosis ℈ß. *Pulvis anisi* etiam est expertus.

Extrà valent sequentia: foveatur ventriculus *decocto* vel *cataplasmate* ex *mentha, absynth, anetho, rad. cyper. Cataplasmate*

contra singultum Myns. Timæi, de fermento Grüling. vel *masticbe* & *tbus* cum *albumine ovi* agitata cum *stupa canabina* orificio ventriculi imponatur. Vel inungatur *oleo mentb. mastichin. anethino, carvi, cumin. anis. macis, nuc. moschat. salviæ, castor.* In singultu quandoque sternutatio excitanda & nares titillandæ, sternutatio enim teste Joëlio singultum tollit. Contra singultum præbeatur odorandum *sem. anethi* linteo inclusum.

CAPUT LIV.

De Ictero seu morbo Regio, seu Arcquato vulgò die Gelbsucht.

ICterus est color totius corporis flavus vel niger, à bilis flavæ vel nigræ in cutem universam effusione à varijs causis facta, ortus. Duplex est, *flavus & niger.* hoc affectu Infantes non tantùm jam nati, sed & in ipso utero existentes, afficiuntur, plerisque tamen mox à partu supervenit: hic morbus facilè cognoscitur ex ipso totius corporis vel plurium partium pravo colore, ex urinis flavescentibus & lintea tingentibus, & ex alvi fæcibus quæ albicant.

Causæ sunt vel ductûs bilarij obstructio facta à meconij, vel alterius humoris viscidi præsentia: vel à bile particulis sulphureis in massa sanguinea nimis scatentibus imprægnata, volatili & acri reddita; unde ex Matribus rebus spirituosioribus & volatilioribus, id est spiritu vini, vel vino Hispanico &c. indulgentibus, nati, statim à partu utero ictero inficiuntur.

Cura absolvitur oleosis, salibus lixiviosis internè & externè usurpatis: alvus si strictior sit, sollicitetur *Syrupo de spina cervina*, additâ *rasurâ ebor. pulverisatâ* vel *Syrupo de cichor. cum rbab.* vel *rbab.* aliásque convenientia potui ordinario Nutricis indantur; posteà exhibeantur varia *incidentia & aperientia* du-

ctum

ctum cholidochum. Dentur quotidie de *Tinctura croci* guttæ aliquot; vel *croci* gr. j. in *lacte*; vel *bezoart. mineral.* gr. j. pro sudore.

Riverius *cent.* 1. *obs.* 18. Puerulum recenter natum, à Matre tertiana laborante ictericum factum, bimestrem ætate, hoc *syrupo* restituit.

℞. *Rad. rub. tinctor.*
chelidon. maj. ana ℥ij
fol. chelidon. maj.
cent. min.
absynth. pont. ana Mij
cinamom. ʒij
croc. ʒß
coq. in ▽ *fontan.* ad ℔j
in colatura dissolve
sacch. alb. ℔j

Fiat Syrupus de quo capiebat exiguum cochlear manè per 20 dies & perfectè restitutus est.

Grülingius in Puero icterico hanc *Mixturam* præscripsit cum affectu.

℞. *Syr. de cichor. c. rhab.*
5. rad.
aq. cuscut. ana ℥iß

Misce, detur quotidie manè parvum cochlear, sub vesperam verò de sequenti *bolo* pauxillum.

℞. *Conf. rosar.* ℥j
♀ri *vitriol.* ℈j
syr. de cich. c. rhab. q. s.
M. F. Bolus.

Decoctum pro potu ordinario gratum & efficax pro Infantibus. ℞. *Herb. fragar.* cum toto; *cuscut. ana* Mj. *passul. min.* concis. vel contus. (aliàs enim nihil præstant) ℥ij. ♀ri *crudi albiss.* ʒij.

plus

plus vel minus coq. in s. q. *decoct. hord.* ad remanent. ℔iß. in qua dissolve *syr. berber.* vel *syr. bizant. simpl. q. s.* ad gratum saporem, hoc decoctum etiam valet in febribus Infantum.

CAPUT LV.

De Alvi profluviis, Diarrhæa & Dysenteria, von den Durchbruch/ rothen und weissen Ruhr.

Diarrhæa seu alvi profluvium, est immoderata & frequens ac diuturna alvi dejectio, ab humoribus sinceris, quantitate & qualitate peccantibus, meconio, lacte, & cibis corruptis, catarrhis, affectibus ventriculi & intestinorum dentitione, vigilijs, doloribus &c. ortum ducens.

Dysenteria est intestinorum ulcus, dejectiones crebras, cruentas, purulentas & dolorificas inferens, ab ijsdem diarrhææ causis, sed violentioribus, acrioribus & sæpe malignis &c. originem trahens.

Cura utriusque secundùm magis & minùs & pro varietate causarum differt.

Cura alvi fluxûs commodè fit, ut primo *abstergentia* adhibeantur, ex *decoct. hord.* & *syrupo rosato solut.* In dysenteria Nutrici statim detur ʒj. *rhab.* vel ℈ß vel ℈j. Infanti, in jusculo vel lacte. Vel adhibeantur *clysteres* primò etiam *abstergentes* ex *decoct. hord* & *syr. rosat. solut.* vel

℞. *Decoct. sem. milii*
myrobal. omn. ana ℥ij
syr. rosat. simpl. ℥ß

Misc. fiat Clyster: hoc semper observando nè clysteres in magna quantitate injiciantur.

Nutrices interim optimam diætam servent, & abstineant à fructibus & crudis ingestionibus.

Secun-

Secundò: his factis, posteà adhibenda sunt intus & extrà *adstringentia balsamica*, qualia sunt *carminativa*, *theriacalia*, *bezoart. opiata*, quæ dolores & intestinorum convulsiones tollendo, acrimoniam delendo, alvi fluxum sedant; inter hæc eminent sequentia:

Magist. corall. cum *succo citri fact. corall. ppt. ebur. ppt. nux moschat. mastix, Theriaca cælest. Theriaca Venet. recens, terra Catechù, aq. cinam. buglossat. cydoniat. Syrup. corall. aq. mastich.*

℞. *Essent. theriacal.* ʒj
anodyn. ℈ß
balsam de Peru ℈j

M. Dentur guttæ aliquot pro ætatis & symptomatum ratione.

℞. *Magist. corall.*
ebur. sn. △e ppt. ana ʒj
pulv. cort. granat
mastich. ana ℈j

Misc. Sign. Pulvis confortans & stypticus. Stärckendes und anhaltendes Pulver.

Laudatur etiam *Pulvis stypticus Crollij*, *Syrup. cydon. myrtill.* vel *semen oxylapathi* cum *vitello ovi* super igne subactum & exhibitum. Vel *Pulvis meus Infantum.* vel *Pulv. myrtillorum* cum modico *sanguine dracon.* optima etiam & tuta remedia sunt *Gelatin. C.C.* cochlcatim in jusculis adhibita; vel *liquor C.C. succinat.* guttatim adhibitus. vel *Pulv. sem. plantag.* ℈ß adhibitus. Sorbait sequentem *Pulverem* laudat.

℞. *Pulv. sang. dracon.*
corall. rubr. ppt.
gran. kermes
sem. plantag. ana ℈j

M. F. Pulvis, de quo pulticulæ aliquid inspergatur, vel in lacte detur.

Si lac est in causa, Nutrix mutanda, aut saltèm lac corrigendum. Puerulis egregiè alvum sistit, & à comitiali morbo liberat *mumia* cum *sperm. ceti* ℈j. pondere exhibita, etiam in cruenta dysenteria, inquit Crato. Prætereà lac puerorum sit ustulatum, aut si aquam potent, in ea sit ter exstinctum *aurum*. Alij familiariter exhibent *juscula carnis* aut *gallinarum* lympida, in quibus *gummi Arab.* drachmæ pondere solutum est, hoc enim sine omni periculo est, & Puerulis, valde præ cæteris medicamentis expeditum.

Potus prætereà sit *Decoct. crustæ panis inferioris in aq. communi*, duabus vel tribus ebullitionibus factum, vulgò **das rammel Wasser** dictum.

Valent etiam *coagulum leporis* cum lacte vel *aq. plantag. rhab. tostum. terra sigillata, corall. rubr. bolus armen. alb. Græc. spod. pptum, ossa human usta, amylum, confect. de hyacinth. C. C. ustum, crocus ♂ adstring. Theriaca Venet.* & *cœlest. laud. opiat. Pulv. sperniol. comp. Crollij, pulv. meus anodyn. dysentericus Crolli, bezoart. Sennert. pulv. Joëlis* efficacissimus:

℞. *Sem. lapath.*
uvar. torrefact. ana ℈ij
glandium
sem papav. alb. ana ʒß
oliban. ℈ß

Conterantur & fiat Pulvis subtilissimus. Prosunt prætereà *Aq. fol. quercûs, tormentillæ, bursæ pastor. centumnod. plantag. Decoctum prunor. sylvestr. Tinctura bezoart. anodyna, corallor. terræ Catechù, rosar. papav. rhæad. Gelatina C. C. simpl. vel cum ebore & viperis fact. Juscula ex pimpinella, ichtyocolla* in *lacte* cocta, vel *frustulum ichtyocollæ* in *lacte* coct. & sæpius Infanti sugendum datum. *Rob myrobalan. syrup. corall. de symphyt. Fernel. pulticula ex amylo* parata.

Externè valent sequentia: *Ol. masticb.* ventriculo inunctum-

ctum. *Ungv. anodyn. rosat. alabastr. Comitiss. Ol. myrtin. nucist. ompbacin. byosciam. absynthij.* *Cataplasma* ex varijs adstringentibus, vel sequens: ℞. *Lini ex alveis fabrorum ferrariorum*, in quo ferra candentia exstinguuntur, admisce q. s. *farinæ fabar.* cum pauxillo *aceto* fiat Cataplasma. *Emplastr. ftyptic. Myns. de crusta panis.* ℞. *Ungv. Comitiss.* ℥iij. *ol. nuc. moschat.* ℥j. *ol. masticb.* q. s. pro inunctione. Vel ℞. *Empl. diaphœn* q. s. malaxetur cum *ol. mastich.* extende super alutam obducta syndone. Vel venter foveatur *Decocto flor. rosar. verbasci, plantag. rad. cyperi, mastich.* cum *vino rubro* facto. Vel *crusta panis theriacâ obducta*, calida applicetur. Vel *aqua menthæ calida* & madida imponatur vel hujus loco *saeculus ex mentha, rosis, absynth. mastiche, nuce moschat. caryophyll.* &c. Multùm laudantur etiam *omenta animalium calida* & applicata.

CAPUT LVI.

De Ventris inflatione & intumescentia, *vulgò* das Unterwachsen / oder harte Seithen.

HÆc affectio plerumque à cruditate ortum ducit, hinc flatus elevati, discuti non possunt, & propterea venter intumescit, & tensiones dolorificas Puerulis excitat cum ploratu, insomnijs & inquietudine. Sæpissimè ex aquosissimo lacte suas primitias sumit hoc malum, quod visu quidem & tactu cognoscere facilè est, licèt causa non semper in propatulo sit.

Curatio. Liniatur venter cum *Pulv. absynth. cumin. cariophyll. croci*, exceptis cum *butyro rec.* aut novâ *porci axungiâ*: foveatur venter *decocto* aut *cataplasmate* ex *chamomilla*: linteum ex *aqua mastichina destillat.* madidum ventri imponatur, aut fiat litus cum *ol. mastich.* vel *Ungv. carminat.* vel *dialth. calendulæ, deopillativo; anodyno* &c. Præterea conveniunt ea

quæ in seq. *cap.* de alvi suppressione & duritie dicentur. Nutrix optimam servet diætam & regimen, & tàm Nutrici quàm Infanti sæpe adhibeatur sequens *Tragæa.* ℞. *Sal. absynth. confect sem. anisi, fænicul. aneth. ana* ℨj. *confect. cumini Rom.* ℨß. *sacch. parum* M. F. Trapæa. Sæpe etiam expedit Infantem prorsus ablactare, monente sic Hipp. 5. *aph.* 64. lactate (*inquit*) quibus alia sunt suspensa, malum. Proinde consonum erit & proficuum ut Infans expurgetur, idque vel *syrupo florum persic.* vel uno alterove grano *resinæ jalappæ.* In jusculis quoque & potu exhibeatur *herba lingua Cervina* vel *ceterach.* *Clysteres* & *suppositoria* etiam sunt magni usûs.

CAPUT LVII.

De Excrementorum alvi suppressione & duritie, vulgò die Verstopffung des Leibs.

EXcrementorum alvi suppressio, est eorundem naturalis dejectionis defectus, dependens à varijs causis, uti sunt fæcum induratio, diuturna pulticularum coctura, bilis in intestinis defectus & absentia, partium caliditas, assiduus decubitus, maximè supinus, somnus longior, & id genus alia. In praxi benè notandum & observandum, quòd ij valde peccent, qui Pueros, quorum substantia per inordinatos motus, & continuam auctionem dissipatur, vehementi pharmaco evacuant: Infantulis igitur pax sit à tali pharmacia, & à purgationibus aut omninò abstineant, aut certè si necessitas urgeat, pharmacis id agatur benignissimis, alvum lenientibus, tum nutrici tum Infanti adhibendis. Nutrici detur *jusculum* in quo *fol. senn.* cum *sem. anisi* cocta sint, & pariter utatur alijs humectantibus: Infanti detur *manna* in jusculo, vel *brodium passulat. laxat.* Si adsit materia viscida, in paulò adultioribus addere soleo *pulv. jalapp.* tot grana, quot annos habent. Vel detur *Syrupus de spina Cerv.* solus,

lus, vel cum *syrupo de fumar.* sæpe cochleatim adhibitus. In ablactatis Ettmüllerus adhibet aliquot grana ☿rij *dulc.* qui mucum resolvit & vermibus resistit, potéstque misceri unum vel alterum granum cum lacte vel pulte. Si Infans ablactatus sit, & aq. coctam bibat, huic adhuc calenti, ad quantitatem ℔iv. impone in petia ligatæ *rad. gramin. fol. senn. f. fl. ana* ℥j. *pulpæ tamarind.* ℥ß. bibat hanc aq. pro potu ordinar. & bene expurgabitur Infans: hoc remedio plures Infantes jam tumidos & hydropicos aut cachecticos curavit Sorbait. Laudatur etiam *Decoct. prassicæ rubræ: Cassia* in *lacte* dissolut. *passul. laxat. pruna laxat. poma laxat. Syrup. de endiv. de cichor. simpl. vel cum rhab. de prassic: mannat. Horst. flor. persic. rosar. vel violar. simpl. vel solut. jusculum carnis vitul. infusum flor. acaciæ, juscula ex malva, butyrum rec.* instar nucis ante pastum sumptum: *Oleum amygd. dulc. rec. express.* cochleatim adhibitum. *Aqua ceras. nigr.* cum *aq. flor. persic.* vel *aq flor. acaciæ.* *Potio* solennis *Dolæi.*

℞. *Fol. sen. f. fl.* ʒiß
sem. anis.
fœnic. ana ʒj.
acidi tart. ʒß.

Infunde per noct. in *aq. malvæ* & *Mercurial. ana* q. s. manè coq. lento igne. In colatur. ℥iij. solve *mannæ Calabr.* ℥iß. iterum cola & adde *Syr. de cichor. cum rhab.* ʒij. *pulv. jalap.* ℈ß. Misc. vel ℞. *Flor. violar.* Mj. coq. in *jure pisor.* & da potui. Vel ℞. *flor. cass. mann. elect. ana* ℥ß. M. detur Puerulis sæpe quantitas nucis avellanæ, donec durities alvi solvatur. *Aqua pisorum* unà cum siliquis viridibus destillata, si per cochlearia subinde propinetur, in delicijs est.

Sunt nonnulli qui *anisum laxat. Augustan.* recommendant, quod ego non approbo, utpote non tantùm nauseam & vomitum, sed etiam lipothymiam & alia periculosa symptomata

nvehens, præsertim ubi res agitur cum Puerulis minorennibus.

Quibus à *clysteribus* metus non est, ijs *hydromel, jus carnis gallinæ* cum *ol. amygd. dulc.* vel *cremor hord.* sufficit: alijs *brodium pisor.* cum *sacch. nigro* seu *Thomæo* probatur. Vel fiant *Enemata* ex *lacte dulci* cum *terebinth.* ʒj. in *vitello ovi* soluta.

Vel ℞. *Decoct. herb. emoll. ab* ℥ij *ad* iv,
unguent. clysmat. ʒij
M. F. Clyster.

Vel ℞. *Ol. rapar.*
lini ana ℥ß
unguent. clysm. parum.

Nonnulli *Syrup. violac. laxat. simpl.* sine noxa adhibent: vel loco hujus ℞. *Flor. violar.* Mj. coq. in *jure pisor.* & da potui. Vel ℞. *Flor. cass. mann. elect. ana* ℥ß. Misce. Detur Puerulis sæpe quantitas nucis avellanæ, donec durities alvi solvatur. Quibusdam in delicijs est *Aq. pisor.* unà cum siliquis viridibus destillat. Si per cochlearia subinde propinetur. Sunt quibus solum *ol. amygd. dulc.* cum *pulte* aut *cerevisia calida* exhibitum satisfacit: juvat etiam linctus *syrup. rosac.* & *flor. persic.* sufficiunt etiam nonnullis sola *suppositoria è sapone Veneto, butyro salso* aut *melle* parata. Vel ex *melle* & *speciebus hieræ picræ*, si fortiora desideres: vel *ficus* inversa filo alligata intrudatur alvo. Vel ex *sacch.* in debitam formam redacto vel ex *rad. petroselini.*

Quòd si autem hæc omnia respuant petulantes Pueri, externis agendum est Medico. Inter cætera autem palmam refert *balneum aq. dulc.* Prætereà illorum umbilico vel abdomini multa applicari possunt, uti sunt *ol. anethi, lini, lil. alb. chamomill. Ungv. clysmat. de arthanita* umbilico inunctum est probatum. *Oleum chamomill.* calidum in quo parum *colocynth.* coctum:

ctum: *pinguedo anseris* cum *cort. nuc. jugl.* cocta, est experta *Ol. diacolocynth. Pomum Porsdorff.* puttidum cum *pingued. anseris* subact. calidè appositum. ℞. *Ungv. de arthanit.* ℨii *fellis tauri inspissat* ℨj. *ol diacolocynth. parum*, fiat Unguentum ℞. *Aloës pulverisat.* ℨj *fellis bovini* ℨij *mellis & butyr. saliti ana* ℨß Misc. ad formam Linimenti. *Butyrum* in quo *herba mercurialis & atriplex* coctæ sint, multùm præstat.

CAPUT LVIII.

De Torminibus ventris, seu Colica, vulgò die Darmgicht und reissen.

TOrmina dicuntur quasi vermina, à vermibus dicta, unde verminare est tormina pati: tormina autem seu *Colica* est dolor seu tristis sensatio intestinorum, præsertim coli, à rebus continuum solventibus ortum ducens; Id est à pituita vitrea, tartaro, calculo, flatibus, vermibus, tumoribus, cibis crudioribus, pedum & ventris refrigeratione, bile porracea, lacte flatulento, frigido, aquoso, acri, salso, acido, corrupto, coagulato, quod pungit, rodit & lancinat.

Horum *signa* sunt clamor Puerulorum continuus, nec non ventris inflatio, rugitus in abdomine, excrementa alvi viridia, citrina, phlegmatica, quem colorem Authores à bile & succo acido excessivo & corrupto (sive pancreaticus, sive lymphaticus sit) deducunt; unde excrementa prodeunt sicut concisa ova, wie gehackte Ayer: de hoc colore & materia vide Graaf de succo pancreat. *thes.* 145. & 147. Ad hæc etiam multum contribuit prava diæta Nutricum, ùt suprà abundè diximus *tit.* de lacte & pulticula, potu & cibis &c. Sicut enim teneri arborum flores quavis aurâ faciliùs, quàm jam grandiores marcescunt, ità etiam fœtus teneri faciliùs quàm Matres, levissimo in diæta errore offenduntur.

Cura-

Curatio: in hoc affectu bilis & alij humores peccantes, omnisque torminum fæx & causa evacuanda, alteranda, corrigenda, flatus discutiendi, vermes, si adsint, enecandi & expellendi, visceráque confortanda: Pro discutienda, resolvenda, & simul educenda tenaci & viscosa illa pasta (præmissis tamen quibusdam carminantibus) convenit *Syrup de manna, de cichor. cum rhab. flor. persic. rosat. solut. simpl.* vel cum *fol. senn.* addito *Pulv. mechoacan.* vel *jalap.* ad aliquot grana. Quòd si ob debilitatem vel teneritudinem, Infantes talia purgantia ferre non possint, ea Nutrici in majori dosi sunt danda, sic vis per lac derivat in Infantem. Loco horum etiam conveniunt & prosunt *clysteres* tàm *emollientes* quàm *carminativi*, præsertim in materia glutinosa & tenaci v. gr. ex *Decoct. hord. veron. malvæ. parietar.* ♀riali, *furfuribus, anetho, semine anisi, fænicul. folijs lauri, menthæ, parietariæ, baccis lauri, flor. chamomill. cum sacch. rub. vitellis ovorum & ol. aneth.* vel *chamomill.*

℞. *Decoct. parietar.*
fl. chamom. ℥iij *vel* iv
mell. rosat. ℥ß *vel* j.
vitell. ovi dimidium M. F. Clyster.

Vel ℞. *Decoct. hord.* ℥iij *vel* iv.
ol. aneth. ℥ß *vel* j.
vitell. ovi unum.

Si verò excoriatio simul podicis adsit, *Clysma* simplex fiat ex *lacte* cum pauco *sacch.* quo acrimonia temperatur, & ani & intestinorum excoriatio præcavetur.

Inter carminantia magnifit *Aq. carminat Myns. aq. zedoar. menthæ, fænicul.* additâ unâ vel alterâ guttâ *Spirit. anticolici ex nitro Michaël.* vel *Spirit. nitri. dulc.* vel *Spiritus salis armon. volat.* vel *aromatisat.* seu *anisatus.*

℞. *Aq. carminat.*
fænicul.

menth.

menth. ana ℥j
spir. nitr. dulc. gutt. vj
theriac. cœlest. gr. ij
essent. citr. saccharat. zwölff. q. s.
M. Detur cocheatim.

Oleum amygd. dulc. rec. express. ante cibum datum multum præstat: sic etiam *semen anisi* contus. & datum cum pulte saccharato, expertum est, cui si addideris pro absorptione acredinis humorum peccantium *corall. rubra ppt. ocul. cancr. ana part. æq.* erit efficacius, præsertim cum lacte datum. Addi quandoque potest *lapis bezoar, sperma ceti, lac sulphuris. Pulv. meus anodyn. Pulv. somnifer.* vel *Pulv. meus infantum* vel *pulv. Marcb.* Ut autem hi pulveres efficacius & felicius operentur, addatur modicum *castorei. Theriaca Veneta* etiam pisi instar multum facit, maximè sub vesperam adhibita, blandam enim quietem sopiendo tormina præstat: dari etiam possunt guttæ aliquot *Elixir ppriet. s. a.* vel una gutta *Tinctura anodyn.* vel quadrans grani, vel medium *Theriacæ cœlest.* Laudatur etiam *Pulmentum* pro Infantibus *Hertod.* in Chronologia de colica descriptum. Aliqui recommendant *juscula* ex *bordeo* perfectè cocto, & si calor jungatur, imprime medium *pomum aurant.* Pro interno usu, certo experimento constat, prodesse *Syrup. de chamomill*; pulti etiam commisceri potest tantillum *Pulveris baccar. lauri*: quandoque autem causa non est manifesta, tunc lac condiatur *radice pœon.* aut detur ℈j *Pulv. granor. pœon.*

Sequens *Pulvis* est specificus & expertus.

℞. *Bulbi majal. à* ℈ß *ad* ℈j
theriac. opt. lento igne vaporat.
gr. j. *vel* ij. M.

Si adsit fluxus diarrh. symptomaticus ab acido procedens, pro illo absorbendo valent, *creta, corall. margar. ocul. cancr. lap. hæmatit. bolus armena* &c. Multum etiam prodest tam Nutrici

quàm Infanti aliquid â cibis subtrahere, & ideò etiam nec mamma crebrô præbeatur, ut sic cruditates faciliùs corrigantur; proinde abs re non est, causas morbificas non tantùm in Infante, sed etiam in Nutrice corrigere.

Quòd si autem pertinacius malum fuerit, nec talibus hucusque recensitis & crebrius repetitis remedijs acquiescat, ità ut vel ipsa Epilepsia metuenda sit, suprà dicti Spiritus salini volatiles in cura in genere propositi, sacra erunt anchora; vel sequens fiat *Mixtura*:

℞. *Syr. de spina cerv.*
seu domest. ℥ß
♌ ✱*ci anisat.* ℥ß
oc. ♋. *ppt.* ℈j *vel* ʒß.

M. diluantur cum pauca *aq. fænicul.* & ità cochleatim propinetur: *Aurum fulminans* magnæ in hoc casu est efficaciæ, multorum experientiâ teste: tormina sedando, alvum laxando, & ab epilepsia præservando: datur Infanti aliquot dierum aut unius septimanæ *gr. j.* per se solum, vel cum *gr.* iiij. *nitri depurati* mixtum, qui autem jam sunt aliquot septimanarum ad *gr. ij. vel iij.* propinatur in lacte, vel quod meliùs in vehiculo idoneo. Aq. destillat. in quibusdam operatur citiùs, in aljjs tardiùs, debiliùs vel fortiùs, prout plus minus ab illo grumo & muco irretitur.

Suppetias hisce internis ferunt externa *fomenta*, *inunctiones*, *balnea* &c. *Inunctiones* fiant ex *Ol. amygd. dulc. Oleo anethi*, *castor. chamomill. lil. alb. rutæ*, 7. *Flor. Myns.* item *adipes* varij: pro horum autem majori penetratione addi possunt, in pauca tamen quantitate (dico paucâ, nè horum acrimoniâ dolor aut excoriatio inferatur) *olea destillata cumini*, *carvi*, *anisi*, *fænicul. chamomill. cort. aurant.* *Alsine* frixa in *butyro* & ventri Infantis imposita, potenter sedat ejus dolorem. *Zibeth*, umbilico inditum est expertum. ℞. *Ol. anethi*, *chamomill.*

momill. ana ℥iß. *pulv. cumini* ʒj. bulliant parum & colentur, & hoc oleo locus dolens inungatur, estque efficax remedium. *Olei juniperi gutt.* j. indatur umbilico. *Omenta animalium* recenter extracta & calidè apposita, mira præstant; id quoque efficit *catulus vivus* ventri impositus. *Ungv. anodynum, dialth.* magnam etiam opem ferunt: ità etiam *Linimentum* ex *opij gr.* iv. & *ol. nucist.* ʒß. *Insessus, fotus, suffitus, sacculi, epithemata* ex carminantibus prædictis fieri possunt. *Empl. de bacci lauri* toti abdomini impositum, est expertum, maximè cum *ol. chamomill.* malaxat.

℞. *Ol. chamomill, still,*
fænicul.
carv.
anis.
cort, aurant. ana gutt. iv
cocti aneth.
lumbr.
castor. ana ʒj
M. pro usu.

Si tormina ventris sint contumacissima, prodest *Balneum ex flor. chamomill. summitat. anethi, rutæ & fol. lauri.*

Quòd si tenacior mucus dictorum malorum fuerit author, exteriùs speciale hoc *Unguentum* conducet, ex *gummi ammoniac.* in *aceto* solut. ʒij. *terebinth. aloës ana* ʒj. *sevi cervini* & *butyri non saliti q. s.* pro consistentia debita; & quoties illiniri debet, modicô *oleô. anisi stillat.* irrorandum, & ità dictis locis umbilicalibus toties, quoties opus, applicandum, & si opus, aliquali portione *fellis tauri* acuendum.

Nostratus mulieres coquunt *absynth.* & *anagallid.* in *ol. chamomill. anethi, absynth.* & apponunt Vel etiam *fomentum* ex ijsdem herbis, addendo *mentham, aneth. verbascum, puleg. sem. lini, anisi* in vino coct. & spongiâ applicat. manè & vesperi.

Omentum castrati in *ol. anetb.* frixum & applicatum. *Balneum* ex *cerevisia* in qua *semen canabis* contus. & coctum, multum valet.

CAPUT LIX.

De Puerorum Lumbricis, seu Vermibus, *vulgò* die Würmer.

EX ijs quæ præter naturam in intestinis Puerulorum retinentur, sunt plerumque Lumbrici seu Vermes. *Vermes* autem sunt animalcula reptilia toto genere præter naturam, præcipuè in intestinis, à materia per putredinem suscitata, functiones intestinorum lædentia.

Alij sunt teretes rotundi & longi, alij lati, alij parvi seu ascarides, priores die Spulwürm: medij & postremi, die Maden oder Restwürmer dicti.

Causa horum animalculorum potissima & communissima vulgò assignatur, corruptum in ventre inferiore alimentum, cujus nomine potissimùm, pituitam dulcem Veteres intelligebant. Recentiores materiam crassam, lentam, acidam, corruptam incusant. Juvant ad hoc, constitutio corporis calida & humida, voracitas cruditatum genitrix, rerum dulcium, fructuum horariorum & lactis nimius usus. Helmont ex alimento semidigesto deducit causam, unde ex melle & pane secalino vermes nasci dicit. Dolæus causam statuit, quod cum alimentis assumantur ova, quæ à muscis in alimenta deposita sunt, vel jam in ipsis alimentis existunt, quæ in debili ventriculo Infantum non destruuntur, sicque vermes ex his alimentis producuntur, & in intestinis nutriuntur. Ettmüllerus causam horum statuit mucum acidum, blandiorem tamen & dulciorem, ex alimentorum quocunque modo digestorum reliquiis in intestinorum canalibus diutius hærentem, occasione loci, caloris, & inchoatæ successivæ

cessivæ putredinis, occultata lumbricorum semina excitantem; fœtúsque vivos excludentem: Semina scilicet vegetabilium cerealia, in specie secalina & triticea, vel immediatè in pulte farinacea, vel mediatè ex lacte cum pane comesto, ingesta, genito seminali insectorum contagio (quod sub minima etiam mole latere potest) quasi imprægnata, data occasione hæc excludunt. Accedit ùt mox dixi, debilitati coci blanda vis digestiva ventriculi debilior, quâ digerendo non subiguntur dicta animalculorum semina, ob bilis temperatiorem naturam, aliàs succos Infantum quos attingit, à tam prompta putredine & verminatione defendens, unde & ibi quo fermentum fellis non pertingit, lumbricorum est patria, teste suprà citato Helmont. Ex his itaque & similibus causis morbificis, Infantes ventriculi & intestinorum rosiones, somnos turbulentos, febriculas inordinatas, epilepsiam, syncopen, cardialgiam, quidam caninam appetentiam, quidam nauseam, plures verò corporis contabescentiam persentiunt.

Curatio. Maturè igitur hoc vivum excrementi genus expelli debet. In vermium expulsione autem *tria* notanda veniunt: *primò* ut vermes ex cavernis suis prolectentur, morsúsque eorum ac indè proveniens dolor mitigetur: id fit rebus *dulcibus*, præsertim *lacte saccharato* & alijs mox dicendis. *Secundò* ut post prolectionem seu evocationem Vermes necentur, id fit rebus *acidis*, *acribus*, *amaris*, ac antipathiâ quâdam infensis, ùt *aceto*, *vino*, *lupinis*, *absynth. corallina*, *Zedoaria*, *gentian. centaurio*, *semine santonici*, *hyperici*, *C.C. usto*, *antimon. diaphoret. aloë. Tertiò*, ut prolecti & occisi è corpore eliminentur & protrudantur, ad quem scopum maximè conducit *rhabarb.* & ex eo *ppta* remedia. Riverius ex sola *hiera picra*, *Cataplasma* ventriculo impositum commendat. Vel

℞. *Rad. gentian.* ʒß
agar. albiss.

sem. zedoar.
tanacet. ana ℈j
C.C. usti
☿rii *dulc. vit. ppt. ana* ʒß
sacch. in aq. gentian. solut. q. s.
F. Rotulæ, vel Morsuli pro usu.

Vel ℞. *Fol. sen. s. st.* ʒvj
rhabarb. ʒij
cinamom. ʒj
sem. zedoar.
cinæ ana ℈ij
summit. hyper.
tanacet. ana N. vj

Dentur incisa ad Nodulum cerevisiæ, vel potu ordinario inden-dum. Rhabarbaro succedit *mechoacanna* aut *rad. jalapp. flor. persic. Elixir ppriet. laxans.* ℞. *Pulv. mechoacan. alb. corallin. ana* ʒj *jalapp.* ℈j. M. *Dosis* cuspis cultri plus minus. ℞. *Syrup. flor. persic. aq. hyperic. portulac. ana* ℥ß. *pulv. corallin.* ℈ii *Dosis* cochlear j. vel plura.

Inter cætera maximè laudatur *diaturbith*, quod in hoc genere efficacissimum est & valde idoneum: nam rhabarbarum dicit Boëtius, Vermes maximè enecat, & turbith pituitam (Veterum) acidum viscosum (Modernorum) vermium fomitem deturbat, ità ut multi credant, an aliud medicamentum sit vermibus æquè noxium, & ab Italis qui maximè vermibus scadent, promptissimè usurpatum. Prostant in officinis passim multa remedia, potissimum autem pulveres, confectiones, electuaria, & alia id genus contra vermes dicta remedia, quibus & singulis suam laudem relinquo, & in Authoribus fusiùs legi & videri poterunt. Pro nobis sufficiant quædam selectiora & usitatiora, inter quæ sunt sequentia;

Hel-

Helmont. laudat *Aq. communem* bullitam cum *argento vivo;* & sic pauco & innoxio potu omnes vermes necari ait. Sylvius extollit *sem. zedoar. saccharo* abduct. ad ℈ß exhibit. in competentibus vehiculis: exhibet prætereà ☿rium dulc. ad pauca gr. cum *syr. rosat. solut.* vel alio. Eximius quoque est *Liquor C.C. succinat.* ad aliquot gutt. exhibitus. ℞. *Elixir* ⊕*li Myns.* ʒj. *Essent. absynth.* ʒß. M. *Dosis*, gutt. vj. ad x. in vehiculo, præsertim dulci: hoc enim remedium vermes necat, corruptiones humorum impedit, & alvum subducit.

Nursinus quidam Circulator (ut refert Strobelberg.) totam Italiam oberrans, medicamento cuidam, ob insignem in abigendis lumbricis usum, famam & nomen attulit, quod recipit *corallinæ. sem. santon. ana* ℥j. *dictamen alb. tormentill. bistort. ana* ℥ß. trita subtilissimè & in pollinem redigantur, atque *aceto acerrimo* irrigentur, in umbra tàm diu reponantur, quousque siccescant. *Dosis* à ℈j. ad ʒj. ex *vino* aut *aq. portulacæ.*

Gallicæ mulieres sumunt *corallinæ part.* ij. *dictamn. alb. part.* j. macerantque aliquandiu in *aceto*, deinde in pulverem redigunt, exhibentque pondere mediæ aut unius drachmæ, cum *vino, brodio* vel *aq. gramin.*

Notandum, quòd ea quæ per os dantur plerumque esse debeant amara, per alvum autem quæ induntur, dulcia; priora enim propellunt ad intestina, posteriora postmodum eliciunt; neque etiam uni medicamento est insistendum, quia facilè vermes assuescunt. *Clysteres* etiam prosunt tàm *enecantes* quam *allicientes:* Enecans Clyster.

℞. *Summit. absynth.*
tanacet. ana Pj
colocynth. in petia ligat ʒß
Coq. in Aqua

℞. *Hujus Decoct.* ℥iij
adde *confect. Hamech.*

mell

mell. rosat.
ol. absynth. coct. ana modicum
Clyster alliciens,

℞. *Passul. maj. N.* x.
caricar. N. vij.
coq. in *lacte* vel *aqua.*

℞. *Hujus Decoct.* ℥iv
solve *sacch.* ℥j
vel F. Clyster ex *lacte* & *saccharo.*

Suppositoria etiam valent maximè *dulcia*, ex *lardo*, vel *melle*, vel *saccharo penidio.* Qui ☿*rialibus* uti nolunt, ij accipiant Pulv. *gentian.* cum *C.C. phlicè ppto*, & admixtâ modicâ *myrrhâ*, quæ abjuratus est vermium hostis. Sorbait sequens laudat. ℞. ☿*rij vivi purificat.* ℨj. infund. in *aq. portulac.* ℥iv. fortiter agita, & aquam rejecto ☿rio exhibe, cavendo majorem dosin ☿ij. *Plumbum liquefact.* ter in aq. exstinct. & exhibit. est infallibile remedium.

Nostrates Mulieres *allium* in lacte coquunt & *Infanti* exhibent. Idem facit *Decoct. abrotani* & *rad. gramin.*

Cæteris nil juvantibus *arcanum Timæi contra vermes* bis vel ter cum vino exhibeatur.

℞. *Sem. santonic.* ℨij
fol. card. ben. tanacet.
rad. filicis ana ℨß
vitriol. calcin. ℈j.
M. F. Pulvis.

Plura simplicia quæ vermium enecationi inserviunt, plurima sunt, inter quæ præcipuum est *semen Santonici*, seu Santolinæ, seu semen contra vermes, seu semen sanctum dictum, gustu amarum: huic succedunt *C.C. ust. absynth. ageratum, tanacet. lupini, corallina, radix dictam alb. semen caulium* & nonnulla

nulla alia. Ex his parantur variæ formæ, pulveris, electuarij, extracti; vel potiones fiunt cum *syrupo limon. oxymelle squillit.* aut etiam cum *lacte*, quia Pueri eò maximè delectantur: nam licèt lac per se materiam vermibus præbeat, tamen cum ejusmodi pulveribus sumptum, vermibus non nutrimentum, sed pestis existit. *Succus limonum* evidens quoque remedium est contra istum tartarum è quo vermes generantur: quin & *aqua hyperici* & *portulac.* puerulorum lumbricos enecant; nam portulaca refrigerando spissat, & putredini sua proprietate resistit, ideò quovis modo usurpata, tota bona est in profugandis vermibus. Sic & *oleum* quoque vermibus inimicum est, quod glutine suo spiracula lumbricorum, ut & in alijs omnibus insectis ità præcludit, ut calor illorum suæ vitæ etiam imperfectæ opifex, ex toto exstinguatur, ob id lumbrici mortui ab eadem olei lumbricandi facultate, e corpore facilè expelluntur. Laudatur etiam inter cætera *Pulv. contra vermes Augustan.* vel *Senerti*, cujus hæc est descriptio.

℞. *Sem. santon.* ℥iij
corallin.
C.C. usti ana ℥j
rad. pœon. dictamn. alb.
magist. corall. ana ℈j
M. F. Pulvis.

Pro expulsione enecatorum vermium servient adhuc sequentia: Puer (inquit quidam Author) convulsionibus jamjam moribundus, sumpsit ☿*rium dulc. rit. & rec. ppt.* cum *resin. jalap.* & duodecim lumbricos excrevit & convaluit. Sequens *Pulvis* miræ etiam est efficaciæ.

℞. *Rhabarb.*
agaric.
scord. ana ℥j
musci marin. ℥iij

C.C. usti
sem. portulac. ana ʒij
aloës illot. ℈iijß.

M. F. Pulvis detur cum jure carnium.

Externa. Externorum quoque remediorum contra vermes magna prostat apud Authores farago, inter quæ tamen selectiora sunt sequentia: *Cataplasma contra vermes Herod. Ol. absynth. ol. amygd. amarar. ol. colocynth. coctum. ol. Scorpion. ol. ad vermes Prævotij. ol. admirabile Melichij. ol. purgator. Quercet. ol. Habacucin*: quod est sequens,

℞. *Ol. olivar.* ℔ ijß
absynth. vulgar. M. v.
dictamn. alb.
gentian. ana ℥jß
tamarisc.
scolopendr.
amygd. amar.
nucl. persic. ana ʒvj
sem. santon.
corallin. ana ℥ij ʒij
aloes succotrin. ℥j
C.C. usti ℥ß
fell. taur. N. 1.
pulv. cort. citr.
aurant. ana ℥ß
picis naval. liquid. ℥iij
acet. fortiss.
succ. citr.
absynth. ana ℥ij ʒij
vin. albi q. s.

F. maceratio per aliquot dies cum ol. supradicto, deinde bulliant in MB. ad consumpt. humiditatis, postmodùm addendo

theriac.

Theriac. Venet. ʒv
ol. spicæ ʒvj
petræ ʒiv
probe dissoluta & mixta serva pro usu.

Ungv. contra vermes Dorncreilij, ungv. contra vermes Augustan: vel ℞. *Ungv. contra vermes A. A.* ʒij. *fellis tauri inspissat.* ʒj. *ol. stillat. absynth. tanacet. ana gutt.* vj. Misc. Vel *Ungv. de arthanit.* umbilico applicat: Vel ℞. *Ungv. de arthanit.* ʒij. *fell. tauri inspissat.* ʒj. *ol. diacolocynth. gutt.* vj. M. Vel *cuminum* cum *felle taurino* mixt. & ventri imposit. Vel ℞. *Theriac.* ʒß. solve in *succo absynth.* & illinatur ventri. Strobelberg: ità & Crato, os Stomachi, & ventrem puerorum feliciter inungebant *Ungv. ex mithridat. aloë, croco, & aceto.*

Nec hìc omittendum est *secretum Alexij Pedemontani* quod est sequens. Ad lunaticam, inquit, puerorum, sive convulsionem, ex qua tremunt & semimortui apparent, quod nulla alia dé causa evenit, quàm quòd vermis sæpè in ijs generetur, cor ipsum petens, tremorem nonnunquàm & mortem causans:

℞. *Tanacetum*
Hujus ramuli teneri in umbra siccati, in pulv. redigantur, & per cribrum trajecti, ijs addantur pulv. sequentes; scilicet

Pulv. gentian.
pœon. ana ʒiij
myrrh. ʒ. j

M. simul, de quo cape parum, quod impasta seu irrora cum guttulis aliquot *aquæ*, & os Infantis ac labra inunge ter, quaterque: fieri enim nequit, quin vermes omnes unà cum reliquis excrementis excernantur. Hæc ille.



CAPUT LX.

De Lienteria seu Cœliaca, vulgò die weiße Ruhr.

L*Ienteria* est nimis celer esculentorum & potulentorum, eâ formâ, quâ assumpta sunt, per alvum excretio, vitio retentricis & expultricis Ventriculi & intestinorum; à *causis* refrigerantibus, pinguibus & oleosis, acribus & similibus, prout in tit. de Diarrh. & Dysent. diximus, proveniens, & ideò etiam cura eadem est, quæ dictorum affectuum; Specialia tamen interna laudantur: *Syrup. corallor. de menth. de ros. siccis.*

CAPUT LXI.

De Tenesmo, vulgò der Zwang.

T*Enesmus* est assidua desidendi, seu per alvum excernendi cupiditas, cum dolore, tensione, nixu & conatu magno, in quo parum aut nihil & non nisi mucosum, suberuentum, purulentum egeritur; ab humoribus salsis, acribus, mordacibus, acidis, vermibus, intestinorum affectibus, nimia refrigeratione, ortum ducens.

Ejus *Curatio* præmissis universalibus, delicatioribus perficitur tàm simplicibus, quàm compositis & magistralibus, ex *Herb. linaria*, *malva*, *melilot. plantag. chamomill. quercu*, *verbasco. Floribus*: *balaust. chamomill. melilot. ros. rubr. verbasci. Semin. cydon. hyosciam. lini*, *psyll.* Valent præterea *furfures*, præsertim *triticei*, *aceto* incocti & cum sacculis applicati: *Suffimenta* ex *mastiche*, *colophon. terebinth. thure*, *tragacanth. succino*: Vel *Suffiment. de verbasco Myns.* vel *Suffitus conorum abietis*, qui excellens deprædicatur.

Intestinum inungi potest *sevo cervino* vel *bircino*, *ungv. de linaria*, *Ol. aneth. ceræ*, *chamomill. hyosciam*: *lumbricor. omphacin.*

phacin. ovorum, rosac. violac. verbasci. Vel *asserculus quercinus adipe* inunctus & calidè applicatus. Plurimi laudant *vaporem* ex *aceto*, lapidi vel lateri ignito affuso, ad corpus admissum: multum etiam præstant *suppositoria* & *clysteres* ex supradictis, præsertim sequens. ℞. *Capit. ovill. N.* j coq. in s. q. *aq.* cum *summitat. hyperici Mj. vel ij. radic. tormentill.* ℥iij. ex colatura fiant Clysteres ad ℥iij. vel plus minus pro ætatis ratione.

Ad intrà pauca sunt quæ teneris Infantibus in hoc affectu præberi possunt & debent, exceptâ *bol. armen.* vel *🜃â sigillat.* quæ nec lacti nec teneritudini obsunt, quin potiùs, ut praxis docet, plurimùm prosunt. Sunt nonnulli qui *Tinct. styptic Myns.* in hoc casu guttatim commendant.

CAPUT LXII.

De Ani procidentia.

Ani procidentia est extremæ intestini recti partis, foràs facta prominentia aut prolapsus, ob *causas* violentas, fæcum scilicet conatum, tenesmum, musculorum & nervorum imbecillitatem, refrigerationem, paralysin, abscessum, fistulam, sphincteris laxitatem, mollitiem, diarrhæam vel dysenteriam &c.

Curatio: in ani repositione & ejus retentione consistit; quòd si tumor adsit, priùs *decocto malvæ* & *alth.* fovendus, & *oleo lil. alb.* inungendus. Vel Infans *balneo* ex dictis insideat, & si alvus reponi nequeat, *decocto emoll.* deinde *adstringente* foveatur.

Repositione factâ, adstringentibus utendum nè denuò excidat.

℞. *Rosar. rubr.*
balaust.
nuc. cupress.
cort. granat. ana ℥ß

sumach.
thur.
masticb. ana ℥ij,

Coq. in vino austero, & spongiâ madidâ anus subcalidè foveatur. Absoluta fomentatione, *Pulvis* sequens gossypio exceptus, ano imponatur:

℞. *Flor. rosar. rubr.*
balaust. ana ℥ß
thur.
mastich.
myrrh. ana ℈j

M. F. Pulvis Vel ex hoc pulvere fiat Suffitus, qui linteis exceptus parti affectæ imponatur: abstinendum autem est à balneis, quia valde relaxant; cavendum præterea nè Infantes distortis cruribus, sed potiùs junctis jaceant, nè tam facilè excidat. Valent præterea in hoc affectu *aquæ* & *decocta chalybeata*, *fabrorum*, in quibus incocta sint *folia*, *quercûs*, *plantag. prunell. burs. pastor. centinod. consolid. saracen. equiseti*, *millefol. flor. acaciæ*, *balaust.* &c. Sorbait applicat *Pulv. cochlear. ostrear. calcinat.* supra bombacem, potenter enim exsiccat. Ex his etiam & similibus fieri possunt *insessus*, *sacculi* & *fotus* &c. talia enim non relaxant, sed potenter adstringunt.

℞. *Genistæ q. p.* conscinde & projice in carbones, fumus ano excipiatur, & erit magni auxilij: *asser quernus* ad ignem calefactus & *masticbe* illitus, anóque suppositus multum præstat. Sic pariter laudatur *crocus* ♂ *adstringens. C.C. ustum*; *cinis scarabæor.* ano inspersus: *plumbum ustum*, *pulv. aloë*, *tormentill. Emplastr. ex opopanace* & *sagapeno*, ossi sacro post repositionem appositum: item *Empl. nervinum. Oleum ce-æ*, *cydon. ovor, rosar. Ungv. adstring. Fernel. Camitiss. Nervinum.*

CAP.

CAPUT LXIII.

De Calculo renum & vesicæ, vulgò Nieren-und Blasen-Stein.

CAlculus est substantia seu corpus instar lapidis vel tophi, durum ac solidum, toto genere præter naturam, in renibus vel vesica potissimùm factus, è succo crasso lapidescente vel ♀ro mucilaginoso, particulis salino-nitrosis, lacte vitioso, pulmentis ex farina triticea, voracitate, dispositione hæreditaria, renum & vesicæ intemperie, vi petrifica &c. ortum ducens.

Ad *curationem* calculi renum & vesicæ multifaria quidem ab Authoribus adferuntur remedia, quæ tamen in tenellis Infantum corpusculis omnia, aut singula locum non habent; consonum proinde duxi generalia, eaque selectissima proponere, ex quibus Prudens Medicus facilè ea seliget, quæ ipsius judicio & scopo sunt convenientia.

Inter *Herbas* laudatur *fragaria*, *lingua Cervina*, *malva*, *parietaria*, *petrosel.*: *pimpinell. saxifrag. veronica*, *urtica*, *scolopendr. tanacet. virga ☉rea* &c. *Flores*, *acaciæ*, *chamomill. cichor. consolid. Regal. malv. arbor. ononid. cynosbat. virg. aureæ* &c. *Semina*: *alkekeng. cynosbat. melon. malvæ*, *napi*, *petrosel. saxifrag. seseleos*, *sileris mont. violar. purpur.* &c. *Fructus. amygd. nuc. avellan. rubr.* &c. *Baccæ*: *alkekeng. cynosbat. junip. Caricæ*, *hord. passul. limones* &c. *Radices*: *acetos. asparag. caryophyllat. fænicul. bardan. liquirit. ononid. saxifrag. polypod. sesel.* Inter *Animalia* & *mineralia* ac cætera vegetabilia, laudatur *opobalsamum*, *terebinth. tragacanth. cassia*, *milleped sanguis hirci ppt. corallia*, *cryftall mont. ppt. lap. nephrit. succin. alb. ppt Cremor* ♀*ri*, ♀*rus* ⊕*latus*, *arcanum* ♀*ri liquid* & *solid. oculi* ♋. *C C. nitrum perlat. laud. urinar. Michaël. Sal succini volat. mandibul. lucij piscis*; *talus leporis* &c.

Ex

Ex his varia & multifaria fieri possunt composita, v. gr. aquæ, balnea, cataplasmata, decocta, electuaria, emulsiones, enemata, essentiæ, juscula, olea, salia, spiritus, syrupi, tinct. unguenta & linimenta. Laudatur præ cæteris *Aq. nephrit. Paul. Sorbait. Essent. ononid. liquor crystall. Tinctura ♀ri* (quæ mira præstat) *Spirit. ceras. nigr. Spirit. nitri dulc. Circulat. aperit. Spirit. ♀ri simpl. & comp. Spirit. ⊕li cordial. urinæ, terebinth. Terebinth. potabil. Riperij; Essent. camphoræ, nephrit. Michaëlis. Tinctura ♁nij: Sal junip. stipit. fabar. petrosel. genist. ♀ri, cent. min. coralli, nitri, ononid. viper. urinæ volat. absynth. calculi humani. Syrup. byzant. simpl. & comp. capill. ♀ de endivia, de duabus & 5. rad. domesticus, veronicæ, dialth. Fernel. Juscula cicer. rubr.* ℞. *Magist. nephrit. Michaël* ℈j. plus minus detur in *lacte* vel *pulte*. Vel ℞. *Ocul.* ♋. *ppt. succin. alb. ppt. lap. nephrit. ppt. ana* ʒß. M. F. Pulv. pro aliquot dosibus. *Juscula* quotidie propinentur Nutrici, in quibus *malva, saxifrag.* & *supradict. herbæ* aut *radices* bullierint.

Si lapis, vesicæ orificium obstruat, quantocyus ex eo amovendus est, quod fiat vel Infante supino posito & cruribus concusso, vel cathetere immisso, posteà primò calculus curetur. Plurimum autem valet in hoc affectu *decoct. rad. althææ*, cum *melle despumato* & *sacch.* ex intervallis datum. Si Puer remedijs curari non possit; & modicum adultior sit, lythotomia instituenda de qua videantur Authores.

Inter *externa* plurimùm laudantur *balnea* ex supradictis simplicibus concinnata.

Vel ℞. *Herb. malv.*
alth.
parietar.
petrosel.
saxifrag.
virg. aur. ana Mj

flor.

flor. malv.
ononid. ana M ß
rad. alth. ℥j
sem. lini
fœnigr. ana ℥j.
M. incisa & contusa pro Balneo.

Post balnea *inunctiones* fiant, vel imponantur *cataplasmata & fomenta.* In hoc casu valet *Ungv. dialth. Agryp. anodyn. nephrocatharticum: Adeps cuniculi, taxi, hominis. Ungv. cancror. Oleum amygd. dulc. hyosciami, lilior. alb. chamomill Scorpion. simpl. & comp.* ℞. *Ol. Scorp. simpl.* ʒj. *ol. ceræ destillat. gutt.* iij. Misc. & inunge inguina & glandem penis. Si sit contumax affectus, applicetur *cataplasma de parietar.* ad pultem coct. & posteà adde parum *ol. Scorp. Matthioli.*

CAPUT LXIV.

De Incontinentia urinæ, seu Diabete.

I*Ncontinentia urinæ*, seu mictio involuntaria, est urinæ præter imperij arbitrium ac voluntatem, propter sphincteris vesicæ vel nervorum resolutionem, & vesicæ compressionem, sine acrimoniæ & doloris sensu, intempestiva emissio: in Infantibus, cùm rationis & judicij usu nondum polleant, hoc vitium præcipuè fit, urinâ seu copia gravante, vel acrimoniâ irritante; huic vitio si assuescant Pueri, posteà adulti difficulter desuescunt, ideò admonendi, castigandi, & prostituendi sunt: plurimùm juvabit, ut antequàm somnus obrepat (cùm maximè malum somni tempore contingit) urinam exonerent, & medio somni tempore ad eandem reddendam excitentur, donec naturæ alia consuetudo inducta sit.

Diabetes est celerrima & copiosissima potûs non mutati emictio, cum siti intensa & totius colliquatione à facultate con-

coctrice & retentrice læsa, renum verò attractice & expultrice aucta, dependens.

Curatio. Præmissis universalibus in his affectibus valent sequentia: *Agrimonia, alchymilla, bugula, burs. pastor. centinod. equiset. millefol. plantag. pyrol. tormentilla. Flores balaust. hyperici, rос. rubr. semin. agni casti, lactucæ, plantag. sumach. cort. & rad. bistort. consolid. maj. cyperi, pimpinell. tormentill. granator. Opobalsam. terebinth. balsamus Indicus alb. & niger, castor. spec. diaplantag. Myns. syrup. corall. myrtin. myrtillor. Rasura dent. apri, ebor. Guttur capon. gallinæ; Pudend. suillum: tunica ventriculi perdic. vesica capræ, carpion. Alumen, bol. armen. corall.* ▽ *sigillat. crocus* ♂ *Pulvis Joëlis* valde laudatur.

℞. *Testicul. l por. tostor.* ʒj
gutturis gallinæ cremat.
vesicæ porci cremat. ana ʒß
glandium ℈ij
sem. rut.
fol. nepet. ana ℈j

Misc. F. Pulvis, Dosis à ℈ß ad ℈j, pro ætatis ratione in aq. fol. quercûs.

Vel ℞. *Pulv. tunic. interior.*
ventric. gallin.
ciner. erinacei combustor.
croc. ♂*is adstring. ana* ℈j

M. Dosis ut prioris.

℞. *Spec. diaplantag. Mynsicht.*
dia ♂*is Myns.*
pulv. erinacei combust. ana ʒj

M. Detur ut prior, vesperi ituro cubitum.

Si

Si malum à paralysi musculi vesicæ contingat, ità ut neq; de die nec de nocte detinere queant, exhibe ℈j *vel* ʒß *castor.* & *myrrh.* part æq. cum *hydromellite*. Si à lacte malum videatur habere originem, Nutrix amovenda, vel ejus lac corrigendum. Ad extrà pecten Infantis foveatur bis de die, unâ horâ ante pastum, *Decocto balaust. cort. mali punici, absynth.* &c. vel fiant *balnea* ex supradictis simplicibus ex ♀re, ⊕re, & *alumine.* Valet etiam *Ungv. Comitiss. Martiat. Aregon.* cum *ol. mastich.* mixtum.

CAPUT LXV.

De Suppressione urinæ seu Ischuria.

ISchuria est urinæ ob frustrationem facultatis expultricis omnimoda suppressio, cujus *causæ* sunt calculi, carunculæ, grumus sanguinis, viarum angustia, materia viscosa & acida &c.

Curatio hujus affectus perficitur internis & externis remedijs, quæ videri & repeti possunt *tit.* de calculo renum & vesicæ; attendum tamen potissimum est in tenellis Infantibus, ad mucaginem illam acidam, quæ ante omnia resolvenda est, & si adsint calculi, ijdem lenissimè atterendi & expellendi.

Utilissimè valet *Pulvis ocul.* ♋, *succin. alb. ppt. ana* ℈ß *vel* ℈j, pro ætatis ratione, vel *sanguis hirci pulverisatus*, cum *lacte* vel *aq. petroselin:* aut *betulæ* porrectus.

In adultioribus prodest *decoct. radic. apij. ononid. asparag. fœniculi.* Joël commendat in ablactatis, *Ol.* ⊕*li gutt.* iij cum *vino* exhibitum. Tempore Veris optimè conducit bibere *succum betulæ* per aliquot dies. Nutricibus eadem sunt exhibenda, sed dosi competente: alvus laxetur *clysterijs* & *suppositorijs*: valent prætereà *anima halecis pulverisata, millepedes, cremor hord. laudan. urinar. Michaël: Syrup. dialth. Fernel. succus raphan.* cum *sacch.* ♀*rus nitrat. Spirit. nitri dulc. tinct* ♀*ri.*

 liquor

liquor cryſtall. aq. betulæ &c. Plura remedia tàm particularia quàm generalia, videri poſſunt, cap. de Calculo rerum & veſicæ.

Externè conveniunt *Balnea* ex *malva. ononid. alth. flor. chamomill. rapis dulcibus.* Poſt balnea, *inunctiones* regionis veſicæ & lumborum, ex *ol. ſcorp. ol. lil. alb.* Vel imponatur pectini *cataplaſma* ex *rad.* & *fol. petroſel.* contuſis & cum *butyro rec.* frixis, ex contuſa *parietaria*, *cherefol.* cum ol. *chamomill.* tùm etiam laudatur, *cepam aſſatam* contundere & pubi imponere. Plura tradentur ſequenti capite.

CAPUT LXVI.

De Stranguria, ſeu ſtillicidio & difficultate Urinæ.

STranguria eſt urinæ, guttatim & crebrò, cum, vel ſine dolore, ardore & continuo ad mingendum ſtimulo, facta excretio, ab aſſidua pártis affectæ, nimirum veſicæ irritatione, aut imbecillitate orta, quam plerumque humores acres, acidi, ſalſi, & arena cauſant & efficiunt.

Curatio. Bonum & expediens primas vias prius eluere, & *lenientia* præmittere diureticis, nè majores excitentur obſtructiones: optimè im praxi laudantur: *mel. roſat. flores caſſiæ, terebinth.* in varia forma exhibita. His præmiſſis *diuretica*, impropriè tamen dicta tutiùs locum habent, inter cætera laudatur *terebinth. in aq. parietar.* lota ad piſi magnitud. Inſtar omnium deprædicatur *ol. ſcorp. Magni Matth,* extra & intrà ad aliquot gutt. exhibit. Vel ℞. *Sangv. leporis unius, rad ſaxifrag.* ℥vj combure in fictili novo, & pulveriſa; detur hujus Pulv. ℈j. plus minus in vehiculo, Præſtans eſt *decoct. ſenecionis*, vel *centinod.* vel *ſaxifrag.* vel *cicer.* aut *decoct. nephrit. Foreſt.*

Balnea

Balnea, fomentationes, unctiones & similia externa remedia videri possunt capite de Calculo renum & vesicæ.

CAPUT LXVII.

De Dysuria, seu Urinæ ardore, & Mictu cruento

D*ysuria* est urinæ ardentis, modò paucæ modò copiosæ, cum cruciatu, sine interruptione redditio. *Mictus cruentus* verò ejusdem urinæ cum sanguine mixtæ, vel solius sanguinis per urethram emissio.

Causæ horum affectuum sunt internæ & externæ, meatum urinarium afficientes, & continuum solventes: *Causæ remotæ* vel antecedentes, lac Nutricis biliosæ vel bibulæ justò calidius, renum & hepatis intemperies & discrasia, nimia tegumenta, bilis exsuperantia &c.

Præmissis universalibus, ex simplicibus valent: *Herba acetosæ, altheæ, bet. cichor. endiv. malv. Mercurial. parietar. plantag. violariæ. Flores nymph. malvæ, melilot. papav. rhæad. squinanth. verbasci, violar: Semina acetosæ, alkekeng. cydon. frigid. maj. malv. papav. alb. plantag. psyll. Fructus amygd. dulc. & amar. dactyl. jujub. siliq. passul. sebest. pineæ, pistac. hord. oryza, pôma & pruna dulc. tamarind. Radices liquirit. acetos. malv. polypod. lil. alb. alth. Lignum nephrit. santal. rubr. terebinth. tragacanth. album, ovi, Lac asinæ, capræ, vaccæ, serum lact.* *Aquæ* ex simplicibus supradictis, vel ex compositis laudatur *Aq. contra ardor. urinæ Myns.* vel *aq. nephrit.* mirandarum virium *Pauli de Sorbait.* *Conservæ acetosell. borrag. bugloss. nymph. rosar. violar.* Decocta & juscula ex supradictis simplicibus.

Laudantur prætereà *Syrup. dialth. Fernel. de symphyt. Fernel. granator. corall. papav. alb. violar. Terebinth. potabilis Ri-*

ver. Crocus ♂ adstring. nitr. ppt. ocul. cancr. corall alb. & rubr. bolus armen.

In nimio autem ardore & dolore, sacra anchora est *laud. opiat.* vel quod magis specificum, *laud. urinar. Michaël.* Inter *externa* palmam præripit *balneum aq. dulc.* & *lactis.* Item *cataplasmata, fotus* seu *fomenta*: *insessus* ex speciebus simplicium. Inter unguenta laudatur *Ungv. dialth. popul. refriger, Gal. rosatum, santalinum, Comitiss. cum croco ♂ adstring.*

CAPUT LXVIII.

De Gibbositate: vulgò von Buckeln und Auswächsen.

QUid *Gibbositas* sit cuique notum est, ejusque *cura* raro magnui Medicæ quàm Chirurgicæ, imò (quod absurdum) carnificis subjicitur. Pauca aut exigua requirit interna remedia, Extrà ad gibbositatem Infantulorum, priùs facto debito thorace, hoc utor *Unguento.*

℞. *Ungv. dialth.* ℥iß
alabastr.
aregon.
ol. chamomill. ana ʒvj
pingued. anat.
anser.
gallin. ana ʒij
vulp. ʒiß
M. pro Linimento.



Cap.

CAPUT LXIX.

De Interrigine seu Excoriatione, vulgò die Frodigkeit oder Wolff.

I*Nterrigo* est cutanea exulceratio seu excoriatio, plerumque inter femora, ex acrimonia salina exorta: vel est cuticulæ à vera cute abrasio seu separatio, in varijs corporis locis, collo, claviculis, cervice, juncturis cubiti, axillarum, coxis, femorum plicis, inguinibus, poplite, scroto, ano, perinæ, &c. ab urinæ & sudoris vel aliorum humorum salina acrimonia, mordacitate, immunditie, vel etiam impedita insensibili transpiratione, vel sensibili transudatione &c. exorta.

Cura: præmissis universalibus & debitâ diætâ, maximè studendum est munditiei, & evitanda omnia aspera & acria. Prætereà valent *alb. ovi* cum *aq. rosar.* subact. vel *amylum* cum *aq. ead.* subact. vel *aq. plantag. rosar. solani*, parti tepidè applicata. Inspergitur quoque *Pulvis nihili* in nodulo ligatus. Aut si *panis* furno immittitur, impone ei *farinæ tritic.* Mj. Hanc ubi unà cum pane coctò è furno extraxeris, per cribrum trajice, & locis excoriatis asperge: & sic habebis desiccativum optimum & delicatissimum.

Crato hoc in usu habuit: ℞. *alb. ovi. ol. violar ana* ℥j *lytharg. ppt.* ʒiij ducantur diligenter in mortar. plumb. ut fiat Unguentum. Prodest etiam *pulvis rosar. rubr.* exsiccat. vel imponantur telæ subtilissimæ, vel earundem lanæ cultro derasæ. Mulierculæ nostræ, *cerussam, lap. calaminar. farinam fabar. hord.* vel *lentium pompholygem, tutiam, farinam* quæ in inferiori cortice *panis* est, vel *farinam lignorum* à vermibus corrosorum. *C C. ust.* & similia pulverisata vel contusa, immittunt sacculo linteo, & ità parti dolenti aspergunt *crocum* ♂; vel *terram* ⊖*li dulcem*, vel *pulv. ex creta, C.C.* & modico *cerussæ*. Optimè facit *aq. calidâ* bis de die inguina lavare. ℞. *Pulv. lap. cala-*

calaminar. ℥iij, *ceruss.* ʒiß. M. pro inspersione, superimposito linteo.

Ettmüllerus summè extollit *crocum* ♂ ex ⊕lò præcipitato, qui sine ullo sensu, loca excoriata restituit. ℞. *Ungv. diapompholyg. de ceruss. ana* ℥j. Misc. pro inunctione. Idem præstat *Ungv. alb. camphorat. de tutia. Ol. amygd. dulc. rosar. ovor,* præ cæteris *pomada. Emplastr. gryseum Joël. ex ol. rosato, cera, lythargy. bolo armena, radice consolidæ, & mucilag. semen. cydon.* fact. *Cataplasma* ex *mica panis alb.* in *lacte* coct. *Charta usta* pulverisata & inspersa: *Serum cervin. hircinum. Balnea* & *lotiones ex herb. & rad. alth. malv. parietar. violar. branch. ursin. plantag. rosar. argentina* (quæ est specifica) *hordeo* &c. Joël locum attritum & exulceratum, sedulò *aq. tepidâ* abluit, in qua incoxerit exsiccatos *flores violar.* aut *hord. excorticat.* aut *rad. alth.* posteà lotionem linteis mollibus abstergit, moxque ulceri inspergit *pulv.* seu *cariem ex piceis asseribus* exesis, vel tenuissimam *farinam hord.* vel *pulv. rad. ireos* vel *rosar.* Primirosius magno cum fructu utitur *pulvere cerussæ*, vel *pulv. amyli* cum *aq. rosar.*

Ubi intertrigo acerbiores excitat dolores, primò mitigandi sunt *mucilagine ex semine cydon.* cum *aq. plantag.* extract. & linteo excepta & par[illegible] imposita. Vel ℞. *album. ovi* N. j. *ol. violar.* ℥ß *lythary.* ʒiß. [illegible]utissimè terantur in mortar. plumb. ad crassitiem Linimenti p[illegible] usu. Valet etiam *pulmentum ex grumis avenæ* fact. & impositum.

CAPUT LXX.

De Impetigine, Lichene, & Herpete exedente & miliari.

IMpetigo seu Lichen est affectum cutis, seu sunt cutis maculæ vel pustulæ duræ ac siccæ, cum asperitate & pruritu ad vicina serpentes,

pentes, & si profundiùs procedant, Herpes dicuntur, ortæ à succo vel humore tenui, acri, salso, seroso ac terrestri.

Hæc *Curantur* bonâ diætâ, humorum alteratione, edulcoratione, evacuatione, & topicorum applicatione. In genere quæ in Scabie & de Crusta lactea dicta sunt, etiam hîc locum habent. Præterea laudatur *Experimentum Joëlis de impetigine, Linimentum Prævot. mucilago sem. cydon. & psyll.* Paulus Sorbait hanc *Mixturam* laudat:

℞. *Boli armen. ppt.*
terr. lem. ana ℨij
aq. rosar.
acet. rosac. ana ℨiij
album. ovi N. 1.

M. omnia in mortario, & panniculos in ea madefactos applica

CAPUT LXXI.

De Umbilici inflammatione, protuberantia, & Hernia umbilicali.

PRotuberantia & quandoque *inflammatio umbilici*, accidit post aliquot à nativitate dies, ob minùs rectè factam resectionem, aut sinistrè administratam ejusdem ligaturam.

In inflammatione umbilici statim à principio prodest *Ol. rosat.* cum *cera* mixt. *Emplastr. de sperm. ranar. alb. coct.* vel *griseum. Ol. rosat.* in quo *cerussa* lota contrita est, & lana molli except. & applicat. Vel applicetur *Catapl. leniens & repellens.* ℞. *Farin. bord.* ℥ß *lupinor. fænugr. ana* ℨij cum *ol. rosat.* F. Cataplasma. Valet etiam *oleum ovor.* quô Infantulum perungas circa umbilicum, toties quoties fascijs eundem imposueris: deinde fiat *magdaleon* instar pileoli ex *cera flava*, quem parti tumore tentatæ, simul cum petia linea & commodo retinaculo applices, vel applicetur umbilico *rob acaciæ* seu *pruni sylvestr.* Vel *sacculus* ex *spica Celtica* in *vino rubro* coct. express. & apposit.

CAPUT LXXII.

De Maculis seu Nævis Maternis, vulgò die Muttermaal.

PRodit sæpe Fœtus ex utero, maculis quibusdam rubris, citrinis, lividis &c. deformatus in parte aliqua corporis, vel ipsa facie, non sine magna præsertim in Virgunculis verecundia: quibusdam media facies rubra &c. sanguinolenta apparet; alijs nasus, genæ, vel labia præternaturali hac rubedine suffunduntur.

Putant Mulierculæ, si sibi gravidis quidquam appetibile denegetur, quamcunque tunc partem corporis manu tangant, eam in Fœtu hoc rubore deformari: Alij formatrici ac perfectrici facultati in utero, dum hebescit, id vitium adscribunt: alij potiùs menstruæ materiei portioni cuidam, uteri parietibus ex seminis affluxu adhærenti, aut è venis in uterum stillanti, & sic hoc vel illo colore fœtum in hac vel illa parte inficienti: alij archæo turbato aut malè informanti: alij idæis hoc vitium adscribunt: Verùm quidquid sit, felicem certè is se prædicare, qui labem hanc tollere poterit, ad curam enim omnes hæ sententiæ & opiniones, parum imò nihil præstant.

Multa ac diversa arcana & secreta ab Authoribus passim adferuntur, sed plerumque sine fænore; Selectiora proinde, certiora & quandoque experta nobis in medium afferre sufficient.

Strobelbergerus sequens deprædicat: novo hoc sæculo, *inquit*, innotuit mihi sequens remedium, quod sicut mihi sincerè relatum est, ità quoque amicis communicabo: *pars* ea *umbilici* quæ Infantulo post umbilici debitum nexum decidit, diligenter asservetur: hanc priùs siccatam ac deinceps ex *aq. herbæ Christophorianæ* madentem, maculæ imponito, ter de die, tam diu continuando, donec ea penitus evanescat. Nostræ obstetrices *prima excrementa* quæ ab alvo Puerulis profluunt, hanc quoque

in

in rem in linteolo asservant, quibus maculas illas illinunt, donec stercus per se siccatum decidat, idque sæpius reiterant. Consulunt alij, ut *semina sinapi* Puerpera manè vacuo ventriculo probè in ore comminuat & masticet, deinde nævo bene infricet & obliniat, hocque faciat singulis manè, donec nævus fuerit deletus: quidam pro his maculis delendis principatum habere agunt *caryophyllatam*, cujus vis in his maculis extricandis mirabilis judicatur; sumitur cum suis radicibus in fine Maij, quo tempore vigorosior est, atque à terrestreitate emundata destillatur, mox ex aqua destillata, Infantum lituræ sæpius lavantur, & certò evanescunt.

Alijs litus ex *sanguine menstruo* ipsius Puerperæ in secretis habetur, qui verò modum noverit detrahendæ primogenitæ cuticulæ, ei non ità difficile erit delere has maculas, dummodò grandiores non sint aut verrucosæ, malignæ, tumidæ, quæ chirurgi manum expostulant, de quibus vid: Paræum in *chirurg. lib. Chirurg.* 23. *cap.* 17.

CAPUT LXXIII.

De Purpura seu Rosalia, seu Maculis Puerorum volatilibus, seu Verticatione seu Scabie pruriginosa, quam plebs mulierum den Flug / oder die Nesselsucht; *Bohemi* Spala *vocant.*

RArus prioribus sæculis erat affectus, ac nostro tantùm hoc sæculo plurimum se prodens, & jamnum satis frequens tum in Boëmia, Austria, imò totâ Germaniâ, Puerulis maximè familiaris, alijs tamen etiam adultioribus, præsertim intemperatioribus satis frequens.

Maculæ sunt rubræ ac subrubræ, efflorescentiam instar purpuræ, cum rubedine & pruritu totius cutis, & aliquali subsequente excoriatione efficientes, quæ aliquando etiam

CAPUT LXXIV.

De Paralysi & Contractura, vulgò von der Lähme und *Contractur.*

PAralysis sive *Contractura* est motûs voluntarij imminutio vel abolitio, à nervorum vel musculorum læsione, vel materiâ, acrimonia vel acore peccante, eosdem vel obstruente, vel comprimente, vel condensante, orta.

Cura. Præmissis universalibus, primum locum obtinent *antimoniata*: præprimis *Antimon. diaphoret. Nitrum antimoniat. Tinct. antimon. Arcan. ♀ri liquid. cranium human. perlæ, corall. Pulv. March. viperar. analept. Minder. Specific. cephal. Michaël*: *Aqua betonic. carbuncul. arthrit. lavendul. simpl & composita, lil. convall. salviæ. Balnea ex formicis, nitro, cum herbis cephalic.* temperatis, vel *balneum artificiale Paul. Sorbait. Balsamum angelic. lavendul. salviæ, spicæ: apoplect. cephalic. succini, cœlest. confect. alkerm. de hyacinth. Theriaca Venet. Cœlestis. Conserva florum anthos, betonic. flor chepri, primulæ veris* &c. Laudatur potissimum *Decoct chamæpyth. florum persicor. radic. sarsæparill.* & *ligni sassafr. Emplastr. de betonic. tacamabac. diaphoret. Nervin. Oxycroceum. Essentia* vel *Tinctura Castorei, lignor. sassafr. chamæpytr. Oleum castor. ceræ, chehri, laurin. costin. Philosophorum rosmarin: rutæ, salu: spicæ, succini, terebinth. vulpinum. Species pro cucupha, diambræ; diamosch. dulc. diapleres Archont. succini. Spiritus ceras. nigr. CC. simpl. CC. succinat. formicar. fuligin. lil. convall. lumbr. nitri dulc. lavendulæ: rosmarin. rosar. salis. armon. simpl. & aromat. sangv. humani, diatrion. ♀ri simpl. & comp. terebinthinæ.*

Tinctura: bezoart. Michaël, Lunæ, ♂is, ♀ri, ppriet. Myns. Ungv. Nervin. Martiat. Ex his & similibus varia formularum genera concinnari possunt.

CAPUT LXXV.

De Hernia seu Ramice, seu Ruptura, & in specie de Enterocele, vulgò von Bruch.

HErnia, in specie *Enterocele*, est intestinorum de sede sua in scrotum aut inguina prolapsus. *Causæ* hujus potissimùm sunt humores serosi, per ductus lymphaticos in totum corpus & abdomen disseminati, vel ex ijsdem & alijs de causis, ortis flatibus. His accedunt clamor, casus, ictus, retenta respiratio, fletus, ejulatus, tussis violenta, vomitus, conatus in egerendis fæcibus, nimia corporis repletio, crurum divaricatio, alijque motus valentiores, peritonæum laxantes vel rumpentes. Umbilici hernia, seu procidentia seu prominentia, Græce *Omphalocele*, est umbilici prolapsus, easdem causas quas prior exposcens.

Curatio: ante omnia videndum, ut intestina, sive in inguine, sive in umbilico affectus sit, si exciderunt, reponantur, & imposita posteà sedulò retineantur. Danda etiam est opera, ut alvus sit laxa Infantibus, ne vel nimium repleti vel obstructi, damnum inferant: prætereà optimè incumbendum, ut à ploratu & tussi, & omni violentiore motu arceantur, hæc enim partes potenter relaxant.

Remedia tàm interna quàm externa his affectibus accommodata, sunt sequentia: imprimis prodest *vinum rubrum* in quo coxerint *poma momordicæ*, vel pars affecta inungatur *oleo philosophorum* & desuper ponatur *Emplastrum meum ad Herniam*,

℞. *Empl. ad ruptur. Felis Würrzij* ℥ijß
diaphor. Myns. ℥ij
oxycrocei ℥i
ceræ
resin. ana ℔jß.

Liquefiant lento igne continue agitando; dein adde:

pulv.

pulv. masticb.
myrrh.
oliban. ana ℥j
rad. consolid. maj.
bistort.
sigill. Salomon. ana ℥jß
gallar.
flor. balaust.
fol. querc.
cort. rad. fraxin ana ʒvj
mumiæ
sang. dracon.
gypsi usti
lapid. hæmat.
chalyb. ppt. ana ℥ß
cum *s. q. terebinth.*
M. fiat Emplastrum.

Si à flatibus prodeat malum, prodest *Empl. de baccis lauri*, vel sequens *Sacculus*: ℞. *Chamomill. Mij. fol. lauri, flor. sambuc. ana* Mß *semin. carvi, cumin. ana* ℥ß. Misc. & includantur Sacculo; nec in hoc casu *clysteres* intermittendi.

Si verò à serositate ortum ducat, prodest *Cataplasma de stercore caprillo*; vel applicetur *Cataplasma ex farina fabarum, semine lini, fænugr. Floribus chamomill. sambuc. semine cumini.* Si tandem à fœcibus induratis, *emollientia* tam intrà quàm extra, simúlque *clysteres emollientes* plurimùm proderunt. *Pinguedo ursi* regioni lumborum applicata, est secretum: *decoct. usneæ* quæ reperitur in *acacia*, in & extra adhibitum, valde excellit.

Vel ℞. *Herb. perfoliat.*
herniar.
flor. hyperic. ana Mj

sem.

ſem. petroſel. ℥iij
rad. ſymphyt. ℥ß
Inciſ. & contus. dentur ad Sacculum parti applicandum.

Vel ℞. *Empl. de pelle ariet.*
ad herniam Auguſt.
contra herniam Myns. ana ℥j
croc. ♂*is adſtr.* ℥ß
malaxetur cum *ol. ovor.*
vel *ol. perfoliat.* q ſ.
M. fiat Emplaſtrum.

Laudatur etiam *Empl. ad herniam Barbette, Grüling. Joëlis. Timæi; Würzij: Zacuti: Sennerti: Styptic. Crollij.* Dantur etiam *curæ magneticæ*; unde quidam adhibent *pulv chalybis* ad intrà, & exteriùs medicamenta ex magnete applicant; Alij *transplantationem* in arborem conciſam celebrant. In hoc caſu plurimùm cavendum eſt à balneis, quia relaxant, & relaxatas partes plurimùm emolliunt, malùmque plus augent, quàm minuunt. Sequens *Cataplaſma* à pluribus laudatur.

℞. *Arnogloſs.*
ſanicul. ana ℥ß
farin. lentium
lupinor.
fl. roſar. rubr. ana ℨj
thur. ℨiß
alumin. ℨß

M. F. Pulv. de hoc ſume q. pl. & cum *alb. ovi* conquaſſat· Fiat Cataplaſma loco affecto imponendum. Idem præſtat ſequens *Emplaſtr.* ℞. *Fol. virid. perfoliat. rad. conſolid. maj. rec. ana q. v.* contund. minutim, & addita *ceræ part. tertia* F. ſ. a. Emplaſtrum.

Si

Si quis simplicia ad sui intentum & usum desideret, sequentia specifica laudantur: *Agrimon. alchymill. burs. past. centumnod. consolid. Sarac. consolid. maj. seu symphyt. equiset. telephium, geran. Roberti, herniaria, millefol. perfoliat pilosell. plantag. pyrola, quercus, quinquefol. sanguisorb. sanicula, veron. vinca pervinca, virg. aur. flores balaust. hyperic. rosar. verbasci, nuces cupress. poma momord. fructus acaciæ, mastix, myrrh. pix naval. sangv. dracon. sarcocoll. thus, tragacanth. gummi carann. hypocistis, malicor. spong. cynosbat. muscus pruni sylvestr. radix acori palustr. aristoloch. rot. bistort. rhapont. symphyt. maj. tormentill. axung. ursi & erinacei. Oleum milleped. lacertar. momord. ovor. Ichtiocolla, lepus lactans combust.* & pulvis intus & extra applicatus. *Alumen, bolus Armen. chalybs, corall. gypsum, hæmat. Balsam. seu arcanum salis gemmæ; Ungv. ad herniam Myns. Weickard. Comitissæ.*

Lubet hìc addere in Infantibus, ubi peritonæum tantùm extensum & non laceratum: ℞. *magnet. ppt. gr. xj. cort. fraxin. gr. x.* M. F. Pulv. detur Infanti in vehiculo convenienti, per triduum manè: corpus servetur apertum leni *clystere*, & postquàm hæc facta sunt, intestinum reponatur ad suum locum, & posteà pars affecta inungatur seqv. *unguento.* ℞. *Mell. rosat.* ℥j *terebinth. cum aq. plantag. lotæ* ℨij *ol. myrtill. pulv. visci querc.* ℥ß *ceræ q. s.* M. omnia s. a. F. Unguentum. Postquàm, ut dictum, pars affecta inuncta sit hoc unguento, insperge desuper limatur. ferri satis copiosè, & desuper pone duplicatum vel quadrupl. linteum, & tandem appone ligamen; est cura magnetica & probata.

Sunt nonnulli qui partem *glaciei* ipsi parti prominenti apponunt, & sic illo frigore intensiore partes relaxatus constringere satagunt, & postmodùm demum remedia apponunt.

Quæ diximus de hernia intestinali, eadem serviunt in hernia umbilicali, nisi quòd hìc plura *carminativa* ob flatuum præsentiam admisceri quandoque soleant. Sorbait sequentem

Mixturam umbilico inflato applicat: ℞. *Pulv. semin. ameos, cumin. ana* ℥iß *alb. ovor. N. ij.* Misc. & cum stupa applicetur. Vel fortius adstringens: ℞. *Pulv. myrrh. cortic. cupress. nuc. cupress. acaciæ, mastich. lupinor. semin. ameos ana* ℥j *alb. ovorum q. s.* ad incorporationem: fiat instar Emplastri. In hernia flatulenta sive inguinum sive umbilici valet sequens: ℞. *Semin. cymin. lupinor. baccar. lauri ana part. æq.* pulverisata cum *vino rubro* ad pultis formam decoq. & applica. In hoc casu etiam valet *Empl. oxycroc.* quod potenter flatus discutit & partes roborat.

Præter hæc externa, quædam etiam danda sunt interna, quæ consolidant, & specifica quadam proprietate juvant. ℞. *Sanicul. arnoglos s. ana* Mß *agrimon.* Mj *radic. consolid. maj.* ℥ß. coq. in vase duplici in *aq.* ℔j. colatura edulcoretur *sacchar o*, quæ sæpe Infanti præbeatur. Multi laudant *Essent. contra herniam Michaël.* alij *Tinct. mart. adstring.* Valet etiam *Pulvis auriculæ muris*, Mense Majo collect. cum pulmentis & alijs præbendo. Idem præstat *Pulv. lunariæ minoris, perfoliatæ, herniar.* vel *consolid.* Sorbait exhibet penes ligaturam, *Pulv. rad. valerian. & semin. perfoliat.* manè & vesperi iterando. Wedelius *inquit*: duobus hisce præsidijs potissimùm herniosi curantur, nempe *Tinct. ♂ aperit. cydoniat.* & *Arcano duplicato*, longo usu continuata. Sequens remedium certissimum ad herniam habetur. ℞. *Radic. filic. maj.* detrahe fibrillas omnes radicem ambientes cuticulam, quæ superjacet radici exsicca in furno & pulverisa, & da quotidie dosin ætati & naturæ competentem.

CAPUT LXXVI.

De Pernionibus.

PErniones sunt inflammationis genus, seu tumores in manibus & pedibus Puerorum, subinde etiam in apice nasi, in quibus

bus natura quædam acris inest & rodens, indè ulcus siccum, ex quo nulla vel pauca humiditas emanat, excitatur, quæ neglecta non rarò gangrænam inducere solet.

Curatio: in hoc affectu plurimùm laudatur *Empl. diapalm. Ungv. de lythar g. de minio, de tutia, dialcalcyth. de nicot*, Inter remedia domestica multùm prodest *rapa oleo rosato* impleta, & frixa, partique applicata: *adeps anserin. porcin. lac dulce, sevum cerv. vervecin. succus citri* cum *adipe suillo*, & multa talia, quæ in postillis domesticis anicularum legi possunt.

CAPUT LXXVII.

De Ambustione seu Combustione von den Verbrennen.

AMbustio seu combustio est continui (potissimùm epydermidis & cutis, nonnunquam & carnis musculosæ, venarum, arteriarum, nervorum &c.) vi ignis (potentialis vel actualis) impressa & cum vel sine pustulis exorta solutio.

Curatio: Institutâ debitâ diætâ ad frigidum tendente, ordinetur sequens topicum: ℞. *Album*: *ovor. N.* 11. *ol. rosat.* ℥ij *aq. rosar.* ℥j. Misc. & omnia simul conquassentur, deinde panniculus subtilissimus illo imbutus applicetur, nec citiùs amoveatur, quousq; æger sit sanatus, sed dum siccatus fuerit, parum plumâ in eâdem mixtura intinctâ madefiat, donec omnino sanetur, quod plerumque quarta ambustionis die contingit, & tunc ad magis consolidandum, loco albuminum conquassentur duorum ovorum vitella in dicto linimento, & inunctio, ut antè perficiatur & administretur, donec novæ cutis regeneratio facta fuerit, tunc panniculus forfice paulatim præscindatur, & nec minima quidem apparebit cicatrix. Vel applicetur *Ungv. alb. Rhasis*, vel *atramentum scriptorium*: in Italia in frequenti usu est *scolopendrium*.

CAPUT LXXVIII.

De Furunculis, vulgò von Aßen.

F*Urunculus* est cutis & carnosarum partium sub cute tuberculum in acutum tendens, magnitudine ovum columb. rarò excedens, rubore ac dolore, dum in pus vertitur, conspicuum, originem trahens (ùt antiqui) à sanguine crasso & vitioso (vel ùt Neoterici) à muco viscido, acido, acri & salso, massæ sanguineæ crasin depravante, & sanguificationem vitiante, simúlque lymphæ laticem nimio acore & acrimonia inquinante, quod totum idem, sed tantùm alijs verbis est dicere: quæ postmodùm plus minùs intensa sanguinis & lymphæ labes, si nutrimentum exinde pro augmentandis & sustentandis partibus subintret, & per partium poros & tubulos distribuatur, nullo modo ipsis perfectè assimilari potest, quin plus acore, antea quidem apparenter occultato, & aliquali simul visciditate ipsis inimica, hinc inde in pustulas congeratur, in quibus acor viscidus denuò manifestatus cum vicino rore partium, acriùs & violentiùs effervescit, hinc altior tumor, intensior rubor, ardor & dolor supervenit, donec mutuâ temperaturâ, nunc in pus (ùt in nostro præsenti casu) nunc in saniem, nunc aliud simile liquamen, (ùt de tinea dictum) abeant; nunc per cuticulam priùs in squammulas & furfures erosam (prout de serpigine & intertrigine diximus) exeant.

Curatio furunculorum peragitur internè sanguinem attemperantibus, edulcorantibus, visciditatem, & acidum corrigentibus, de quibus titulô de scabie, de tinea, & alijs in locis abunte diximus: externè autem maturatione & suppuratione, ad quem scopum faciunt *butyrum recens* sine sale, *caricæ pingues*, *cera virginea*; *Folia malvæ*, *violariæ*: *medulla cervina*, *mel commune*, *passulæ maj. exacinatæ*. *Pinguedo anseris*, *galli*, *vituli*. *Radix. alth. lil. alb. terebinth. olibanum.* Simplex & vulgare habetur

betur remedium potens & approbatum ex *farina tritic.* vel *bord.* vel *siligin.* cum *melle* mixt. in formam Unguenti densioris, huic si *vitellum ovi* addideris, efficacius reddes euporiston. *Emplastrum de melilot. diachylon simpl. & comp.* seu *cum gummis.* *Farina semin. lini* per se, vel cum alijs jam dictis in varia forma concinnata & applicata.

CAPUT LXXIX.

De Rachitide, seu Tabe dorsali, seu pectorea.

P*Ectoream tabem* appellamus non quòd intrà pectus sedem habeat, quo pacto, phthisis pulmonica, eo nomine comprehenditur, sed in qua pectoris crasis & figura vitiatur, id quod fit in hoc morbo. Rachitis igitur est medullæ spinalis aphonia, unde ob vitium nervorum laxitas & mollities partibus (m)nibus inducitur, & ideò ad motum impotentes fiunt & segnes, ut incedere Pueri non valeant, varias ossium contorsiones & excrescentias patiantur, multisque gravibus symptomatibus (respirandi difficultate, capitis aquosa suffusione, lenta febre & totius corporis tabe) consumantur. Alij ab effectu sic describunt: *Rachitis* est intemperies frigida, à latice in medullam spinalem, partesque alias derivato, cum spirituum animalium torpore orta, ob cujus defectum vel excessum, partes aliæ nutrimento privatæ marcescunt, aliæ plus solitò nutritæ, in molem justò majorem augentur.

Causam hujus mali alij dicunt primas (Veteribus dictas) qualitates; alij per easdem introductam intemperiem, alij occultas qualitates, alij salia corrosiva, alij fermenta heterogenea, alij obstructiones spinalis medullæ & nervorum, & inde influxum spiritibus denegatum. Dolæus nutritionem inæqualem & impeditam & Spirituum animalium influxum seu irradiationem,

 & con-

& consequenter humorum circulantium agglutinationem, ad quæ multum contribuit serum seu lympha vitiata vel stagnans.

Curatio: Cùm ergo affectûs hujus causa, in aliquali, non omnimoda obstructione spinalis medullæ & nervorum indè oriundorum à materia viscida & tenaci consistat, videndum, ut obstructiones tollantur, & spirituum animalium irradiatio promoveatur. Prior intentio perficitur *purgantibus*, *aperientibus*, *diureticis* & *diaphoreticis*. Secundæ intentioni satisfiet *specificis*, & *restaurantibus*. Curatio semper à catharsi incipienda suadetur, ut materia illa tenax evacuetur; & sic plures curati sunt. Sydenham sequentem præscribit *Potionem*.

℞. *Tamarind.* ℥ß
fol. sen. s. st. ℨij
rhabarb. el. ℨjß
coq. in s. q. aq. comm. in colat. ℥iij dissolve
mannæ el.
syr. rosat. sol. ana ℥j
Misc. dosis cochlear. j. vel ij. plus minus pro ætatis ratione, manè per 9. dies, uno vel altero die intermisso; præterea ità moderari debet purgatio, dosin augendo vel minuendo, ut ultra 5. vel 6. sedes singulis diebus non procedat. Deinde post hanc catharsin sequens *Ungv. aperitiv.* ad totum ventrem inungendum & continuandum suadet.

℞. *Ol. lil. alb.*
tamarisc. ana ℥ij
succ. rad. bryon.
apij ana ℥j
bulliant ad succorum consumptionem, adde:
ungv. dialth.
butyr. insuls. ana ℥j
gum. ammon. in acet. solut. ℥ß
ceræ flav. q. s.
M. F. Linimentum.

Dolæus

Dolæus hac Sydenhamiana methodo multos feliciter curavit, & paulò provectioribus, *pulv. jalap. à gr. j ad vij.* cuidam *syrupo* adjecit, sic feliciter per vices purgavit, deinde dedit *ungv. suum de osmunda* (de quo pag. sequenti) quod extra dorso & artubus inunxit, & etiam intus usurpandum porrexit; sicque multos restituit. Quòd si autem Rachitis, ùt malum pertinax, his non cessit; sequentia adjecit: nimirum *clysteres.* Sequentem laudant Angli. ℞. *Milleped. cum vino lotor. N.* xx. *vel* xxx. quibus contusis affund. *seri lact. ex vino alb. parati* ℥iv. *vel* v. in express. solve *sacch. rubri*, vulgo *Thomæ* dicti ℥iv. Misc. Ad mucum acidum & viscidum in intestinis hærentem resolvendum, conducit *clyster ex sale* ♆*ri*; aliove lixiviali acuatus. Inter alterantia specifica ab Anglis & alijs habentur *ligna*, & eorum *cortices*: imprimis *berba & radix osmunda regal. Flores spicæ* & omnes *radices aperientes*, *herbæque* omnes *cephalicæ* sale volatili præpollentes, imprimis *thee*; omniaque *antiscorbutica*, eodem sale volatili impregnata, ùt sunt *millepedes*, *lumbrici terrestr.* &c.

Inter *Chymica* celebratissimum est illud *Boyle*, cui nomen est *Ens Veneris* quod conficitur è *sale ammoniaco* & *colchotare*, id est, vitriolo calcinato edulcorato, & bis aut ter simul sublimatis. *dosis à gr. iij. ad iv. vel vj.* cum appropriato liquore tempore somni.

Prætereà omnia hic conducunt *armoniacalia*, utpote quæ ob summam partium suarum tenuitatem, ad obstructiones, affectum hunc efficientes, tollendas, maximè valent. Hinc conveniunt. *Spirit. sal. armon. simpl.* & *aromat.* seu etiam *volat. Flores sal. armon. simpl.* & ♂*tis.* Sequens *sal artificiale* indolis armoniacalis magnificat Doct. Mayhov.

℞. *Sal. volat. C. C.*
sang. human.
vel urin. q. s.

Quibus phiolæ oblongæ immissis, *spirit. salis* rectificat. aut etiam *spirit. sulph. per campan* tact. guttatim affundatur, quousque ebullitio non amplius excitabitur, sal hic resolutus per filtrum trajiciatur, & leni calore ad siccitatem abstrahatur.

Dosis à gr. iiij: *ad* vj mane vel tempore somni in vehiculo conveniente exhibenda,

In paulo adultioribus *chalybeata*, ⊕*lata*, ♀*sata*, *castorina*, *cinnabarina*, omnem sæpe paginam implent, sic & omnia *cephalica* & *antepileptica* conveniunt; quatenus obstructiones tollunt, humores circulantes perficiunt, spiritus animales eliciunt & restaurant: unde prosunt *spiritus sangv. humani simpl. vel comp.* vulgò *Spiritus cœlestis* vel *Balsamus Samaritanus dictus*, cujus hæc est descriptio:

℞. *Sangv. human. q. v.*

Destilla per organa vitrea in MB. tàm diu, donec sal valet, alembico adhæreat, caput mortuum calcinetur, & extrahetur cum *aq. pœon.* sal fixum, liquorèm ex sanguine prædictum rectifica, & hic dicitur Cælestis simplex.

Compositus sic fit:

℞. *Rad. pœon.*
acori
bistort. ana ℥ß
fl. lavend.
papav. errat.
rosar. rubr.
nymph. ana Mß
visc. quercin. ℥ß
sem. pœon. ʒiij
campb. ʒj
pulv. santal. rubr. ℥ß
aq. vit. pro balsamo ℥iv,
essent. ♂*is* ʒij

balsam.

balsam. cœlest. simp. supra dict. ℥vij
extract. castor. ʒ
essent. opij ʒij.

Incis. & contus. Misc. & infund. diebus aliquot, stent in loco calido, posteà coletur, filtretur & usui servetur. *Aquæ vitæ pro Balsamo* sequens est descriptio:

℞. *Herb. beton.*
salv.
majoran.
rosmarin.
fl. lil. convall. ana Mj
4 *cordial. ana* Mß
stœchad. Arab. Pj
spic. Jnd. ℈j.

Misc. destillentur per MB.

Vires hujus Balsami præstantissimæ sunt, in epilepticis & convulsivis motibus, affectibus soporosis, & nervosum systema divexantibus. *Dosis* à gutt. j. ad x. in *aq. flor. tiliæ*, vel *ceras nigr.* vel *Epilept. pueror.*

Valet etiam *Spiritus C. C. simpl. vel comp.* seu *liquor C. C. succinatus* dictus, à Michaële & Hoffmanno descriptus hoc modo. ℞. *Sal. volat. succini*, *C. C.* optimè depurat. *ana q. pl.* dissolve in *Spiritu C. C.* rectificato. Hæc si destillentur, sal volat. cum Spiritu ascendunt, & liquorum hunc constituunt.

Schöfferus laudat suum *Balsamum nervinum.* Ex his & similibus fiunt composita, & varij generis formulæ. ℞. *Radic. osmund. regal.* ʒiß *rad. pœon. maris*, *ligni santal. citrin. semin. nasturt. aquat. ana* ℈j *flavedin. aurant. condit.* ʒiij. pulverisatis add. *sacch. q. s.* seu ℥v plus minùs in *aq. osmund. regal.* solut. F. l. a. Rotulæ vel Tabulæ, pondere ʒj. accipiat Infans mediam vel integram, bis in die superbibendo *Aquam* sequent. Doct. Mayow.

℞. *Rad. ari*
pœon. mar.
osmund. regal.
(seu *rad. filicis maris*) *ana* ℥iij
fol. salv.
beton.
nasturt. aquat.
beccabung.
veron.
hepat.
summit. abiet. ana Miij
jugland. virid. ℔ß
milleped. lotor. ℥iij
castor. ʒj

Incis. & contus. affund. *seri lact.* ex *vino alb.* parat. ℔*vj* destillentur f. a. *Dosis* ab ℥ß ad ℥ij. pro ætatis ratione bis in die.

Unguentum de Osmunda Dolei cujus mox mentionem fecimus intus & extra usurpandum, & expertissimum, est hoc:

℞. *Fol. osmund. regal. quernæ virentis* Mvj
salv. rubr. anagallid. ana recent. Mj
laur. majoran.
rosmar. ana virid. Miß
succ. herb. cardiac.
beccabung.
nasturt. aq.
trifol. fibrin. ana ℥ij.
bacc. juniper. ℥j.

Concisa omnia minutim contund. opt. in mortar. lign. vel marmoreo, cum ℔vj *butyri majal non saliti*, deinde macerentur per 14. dies, tum paulatim liquescant in MB. & cùm fermentescere incipit, fiat expressio & Unguentum pro usu.

Potus

Potus sit *decoct. rad. osmund. regal.* vel *potus thee*, vel *decoct. flor. salviæ.* vel *fol. betonic.* &c. in aq. ferventissima & *saccharo* modico edulcoretur; vel *decoct. chinæ*, vel *ligni sassafr.* aut *cortic. pini.*

Remedia *chirurgica* sunt *venæsectio* quam Angli admittunt in plethora: *scarificationem* quoque suadent fact. in concha aurium, sanguinemque parva quantitate detrahere solent, quam operationem cultello obtusiore peragunt, idque bis aut ter interpositis semper septem diebus repetunt; laudant quoque *hirudines*, *fonticulos*, *setacea*, *vesicatoria*, *cucurbitulas*, huc etiam valent *frictiones* pannis lineis calidis, præsertim in spina & partibus musculosis, ossiúmque concavis (prominentes autem non fricentur) factæ: Si vires ferant, obambulatio crebra in usu sit, ut spiritus concitentur ad musculosas partes. Hìc etiam in debilitatis convenit gestatio ex ulnis nutricum, & cunarum jactatio: contrectentur hypochondria, instituantur quandoque ligaturæ, ut sanguinis aliqua portio, versùs partes extenuatas deducatur. Ut spina erecta teneatur, & ossa prominentia reprimantur, confici possunt ex ossibus ceti, vel meliùs, ex ferro thoraces, qui Infanti adaptentur.

Neque hìc omittenda est artificialis corporis suspensio, ope instrumenti cujusdam penduli ex fascijs ità formati, ut pectus sub axillis complectatur, & caput sub mento aliâ fasciâ circumdatur, manúsque binis ansis excipiat, quô ità corporis onus succindatur, donec in decentem restituatur formam. *Fomentationes* etiam præ alijs conducunt, institùtæ vel cum *vino* vel *aq. vitæ*, vel alijs spiritibus, spinæ & alijs debilitatis partibus; Pro fomento laudatur sequens *Decoctum.*

℞. *Rad. osmund. regal.* ℥iij
fol. beton.
salv.
rorismar.
majoran.
nasturt. aquat. ana Mj

flor.

flor. chamom.
melilot.
famb. ana Pj
bacc. laur.
junip. ana ℥ß
Coq. in *aq. font. q. f.* ad ℔ij add. *vini alb. generosi*, vel *aq. vitæ* ℔j. colatura servetur usui.

Sequens *Unguentum* pro partibus debilitatis est expertum:

℞. *Fol. famb.*
laur.
majoran.
falv.
rofmarin.
beton.
fummit. lavendul. ana Mij
bacc. laur. junip. ana ℥j

M. incisa & contusa vasi idoneo indantur, cum *butyri majal.* vel *rec. non faliti* ℔iij *aq. vitæ* ℔ß. coq. lentè ad aq. vitæ consumptionem: express. adhuc calidæ add. *ol. nucift. exprefs.* ℥ß. *balfami de Perù* ℥j. Misc. F. Unguentum pro usu.

Hisce nihil juvantibus ad *balneum naturale thermarum*, vel *artificiale* ex *herbis cephal.* ♀ro & ⊕lo parat. confugiendum.

Symptomatum quoque habenda est ratio: uti est alvi fluxus, qui optimè curatur *levioribus catharticis*, *infusione* nempe *rhab.* & adhibitis varijs *ftomachicis* parum adstringentibus, de quibus jam alibi.

Ad sudores colliquativos discutiendos, conveniunt varia *aperientia* & *digeftiones juvantia* de quibus etiam suis locis.

Ad asthma & difficilem anhelitum conveniunt *pectoralia balfamica*, præprimis *balfam.* ♀ris *ad gutt.* iij. in apropriato vehiculo: extrà pectus inungatur sequenti *Ungv.* ℞. *Ungv. pectoral.* ℥j. *ol. nucift. exprefs.* ℥j. Misc.

CAP.

CAPUT LXXX.

De ambulandi Impotentia, & Crurum distorsione.

PUeri sæpe in ætate duorum annorum, cùm gradi incipiunt, inepti & ad eundum rari esse consueverunt, de quo matres sollicitæ auxilium quærunt à chirurgis, qui plerumque varijs machinis crura & tibias erigere conantur, sed frustra, quia sponte à natura utplurimùm circa ætatem trium aut quatuor annorum tibiæ & musculi firmantur, & partes ad statum naturalem redeunt, & certè natura firmandorum articulorum optima est architectrix. Contingit etiam sæpius in Pueris, quibus abdomen insigniter ab obstrnctionibus tumet, quòd illi anatum more incedant, ad dextrum & sinistrum latus inclinantes, qui obstructionibus solutis liberè incedunt.

Sequens *Unguentum*, pro ambulatione tarda ab articulorum debilitate, ut ossa firmentur, multum servit.

℞. *Herb. salv.*
majoran.
ebul. ana part. æq.

Extrahe succos ex contusis, posteà inde eos in cucurbitulam vitream bene lutatam, ut paulò plùs quàm medium compleat, coq. in furno tam diu, sicut panes smilagineos, cùm frigefactum fuerit, videbis fracto vitro mixturam instar Unguenti: de hac sume q. pl. add. *medullæ crurum bovis q. s.* inunge calidè crura & coxas infantis.

CAPUT Ultimum.

De Lue venerea.

LUes *venerea* est morbus malignus contagione inductus, massam sanguineam, humores & partes corporis corrumpens,

pens, maculis rubris, tuberculis, ulceribus contumacibus & cruciatibus in manibus, alijsque plurimis symptomatibus, nocturno præsertim tempore se prodens. Nomina habet varia, *primò* dicitur, *Lues venerea*, (quia plerumque vel per concubitum vel contactum, vel sucto ab infecta persona lacte, oritur) *secundo Morbus Gallicus* (quia apud Neapolim à Gallorum Exercitu infecto prodijt) *tertio Neapolitanus* (à Civitate Neapoli, quia ibidem primò innotuit) *quarto Italicus* (quòd plurimùm ibidem vigeat) *quinto Hispanicus* (ab Insulis quibusdam Americis) *sexto Indicus* (pariter ab Insulis puibusdam in quibus populariter hic affectus grassatur) *septimo Sypbilis* (à Fracastorio magis Poëticè quàm Medicè sic dicta) *octavo Pudendagra* (quòd easdem partes potissimùm & sæpius occupet,) *nono Variola magna* (quia tubercula in hoc affectu longè sunt majora, quàm in ordinarijs puerorum variolis.

Lue venerea, Infantes, in & extra uterum corripi, experientiâ & exemplis constat.

Causa hujus affectûs, est acrimonia humorum salina, lixiva & acida, quando nimirum duo pugiles nostræ naturæ, bilis & succus pancreaticus, ùt & lympha glandulosa, luxurians, communicato à matre vel nutrice infecta (idque vel in utero per circulum sanguinis, vel extra uterum per suctum lactis) contagio, à constitutione naturali recedunt, atque vitium hoc virulentum contrahunt: exempla enim sunt in patulo, Infantes plurimos suctu lactis, aspersione salivæ, exosculatione, lecto communi, usu vestium infectarum &c. accedente molli & rarâ corpusculorum puerilium texturâ, hoc malum contraxisse.

Affectus hic gravis & difficilis est, præsertim in tenellis his corpusculis, remedia generosa huic affectui competentia, minimè sufferentibus.

Curatio, duplex est; *universalis*, quæ causas; *particularis* quæ singula symptomata respicit.

Riverius, puerum ætate 30. mensium, lue & fœda scabie affectum,

ctum, sequentibus remedijs curavit. ℞. *Rasur. ligni Guajac.*. ℥ij aq. font. ℔iij infund. per 24. horas, deinde bulliant ad tertiæ partis consumpt. Colaturæ capiat ℥ij vel iij singulo manè, duabus horis ante pastum, corpus tegendo paulò plus solito, & continuando per 20. dies.

℞. *Diagryd.* ♀*rati gr.* vj. *Calometan. gr.* v. M. F. Pulvis tenuissimus, detur cum cochl. j. vel altero panatellæ saccharatæ, superbibendo parum jusculi: continuetur hoc remedium quinto quoquo die, augendo dosin utriusque medicamenti juxta operationem: ℞. *Residentiam prædicti decocti*, *aq. front.* ℔iij. fiat bocchetum pro potu ordinario, addendo *sacch.* & *liquirit.* q. s. ad saporis gratiam; his remedijs per unum Mensem continuatis, probè convaluit.

Curatio alia, Pueri duorum annorum á nutrice infecti lue venerea, quæ se prodidit primùm pustulis latis & rubris in perinæo, ijsque successerunt ulcera in natibus juxta podicem; mox pustulæ in facie, ac tandem exulcerationes in faucibus ac labiis, accedente corporis consumptione indies progrediente. ℞. *Senn. mund.* ℥iß. *rhab. elect. agaric. trochisc. ana* ℈ij *cinamomi* ℈ß infund. in *aq. card. bened.* Dissolve in express. *syr. rosat. solut.*. ℥j. F. Potio manè danda, & semel in septimana repetenda. Diebus intermedijs usus est seqv, *Decocto*: ℞. *Ligni Guaj.* ℥j. *cort. ejusd.* ℥ß, *aq. font.* ℔iij. infund. & decoq. ad tertias, colaturæ capiat ℥iij manè sine sudore ob metum nimiæ consumptionis & siccationis in corpore tenello, quare victum etiam analepticum concedendum, consonum erat, eodem decocto utebatur pro potu ordinario, sed diluto æquali portioe aquæ. Cùm hæc remedia continuâsset per 20. dies, omnia symptomata disparuerunt, & æger in ipso remediorum usu refectus & impinguatus fuit. Recruduerunt tamen post aliquot menses symptomata, ideò iterata sunt remedia, sed Decoctum efficacius efficiendo, ac stragulis cooperiendo, ut saltèm leviter sudaret. Hac curâ iterum restitutus fuit, intra dies 20, quam diutiùs continuâsset metu recidivæ,

divæ, nisi hyems rigida obstitisset. Intermisso itaque remediorum usu per dies circiter 20, ulcera renovata sunt: Cùm tunc cœlum esset temperatius, curam, sed efficaciorem aggressus est.

Primùm dedi *Mercur. dulc. gr.* viij. cum *diagryd. gr.* iv. in jusculo, quô calidè per vomitum & secessum purgatus est, quarto quoque die medicamentum exhibebatur. Intermedijs verò diebus sumebat *decoctum*, hoc mòdô paratum. Supradicta *Guajaci* & ejus *cortic.* quantitas, ponebatur in alembico cum aq. ℔iß infundebatur per diem naturalem, ac posteà destillabatur ad medias. Liquor superstes colatus miscebatur cum aq. destillata, quæ erat acidula. Hujus mixti dabantur ℥iv. manè calidè, corpus tegendo, & sudores copiosiores effluebant. Per 20. dies continuata fuit postrema hæc curatio, ex qua morbus omnino sublatus.

Ulceribus natium admovebatur *Ungv. ex melle rosat. vitell. ovor. & terebinth.* Faucium verò ulcera brevi curantur *melle rosaceo; spiritu* ⊕*li* acido reddito.

Hæc est itaque series omnium & singulorum morborum & effectuum præter naturam, qui Infantibus vel solis competunt, vel magis familiares sunt, quos *Hipp.* tanquàm in compendio tribus *Aphorismis, sect. 3. aph. 24. 25. 26.* plerumque complexus est, & nos in hoc tenui opusculo compendiosissimè pro utilitate publica medentium & medendorum congessimus: velint Superi, ut quæ in paucitate verborum fideliter diximus, in eventu, multarum felicissimarum curationum, cum fœnore assequamur, sitque optatissima Sanitas omnium & singulorum.

F I N I S.



INDEX.

INDEX SPECIALIS
Rerum & Remediorum.

C.

Cor-

Frigus

Kir-

Oculi

R.

S.

F I N I S.



